Studio Addictus

Geo. P. Fedotov, Russian Religious Mind
Harvard U. Press 1946.
rev. Thought, 3/1948/180-6, Jos. Lecler
Montreal

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

# THEOLOGIA DOGMATICA

## CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

AB ECCLESIA CATHOLICA DISSIDENTIUM

I

# OPERA EJUSDEM AUCTORIS

I. — Histoire du canon de l'Ancien Testament dans l'Église grecque et l'Église russe. — Paris, G. Beauchesne, 1909. In-16 de 140 p.

II. — Nestorius et la controverse nestorienne (fait partie de la *Bibliothèque de théologie historique* publiée sous la direction des professeurs de théologie de l'Institut catholique de Paris). — Paris, G. Beauchesne, 1912. In-8° de 326 p.

III. — La prière pour l'unité chrétienne : *Motifs spéciaux de prier pour le retour des chrétiens dissidents d'Orient à l'unité catholique.* — Paris, Bonne Presse, 1920. In-12 de ix-356 p.

IV. — Joseph de Maistre et l'Église gréco-russe. — Paris, Bonne Presse, 1922. In-12 de xviii-198 p.

V. — Homélies mariales byzantines. Textes grecs édités et traduits en latin dans la *Patrologia Orientalis* de R. Graffin-F. Nau. — Paris, Firmin-Didot, fascicule i, 1922 (t. xvi de la *Patrologia Orientalis*), 330 col. — Fascicule ii, 1925 (t. xix de la *Patrologia Orientalis*), 480 col.

VI. — De Photii morali effigie (excerptum ex *Bessarione*, t. xxv, 1921). Romæ, Typographia pontificia in Instituto Pii IX. In-8°, 60 p.

VII. — Julien d'Halicarnasse et Sévère d'Antioche (*Controverse sur la passibilité du corps de Jésus-Christ*). — Paris, Bonne Presse, 1925. In-8°, 64 pages (extrait des *Échos d'Orient*).

# THEOLOGIA DOGMATICA

# CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

## AB ECCLESIA CATHOLICA DISSIDENTIUM

49

Auctore MARTINO JUGIE

EX AUGUST. AB ASSUMPTIONE

TOMUS I

## THEOLOGIÆ DOGMATICÆ GRÆCO-RUSSORUM

ORIGO, HISTORIA, FONTES

WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

PARISIIS

SUMPTIBUS LETOUZEY ET ANÉ, EDITORUM

87, BOULEVARD RASPAIL, 87

Omnia jura vindicabuntur

1926

Cum permissu Superiorum.

*Nihil obstat :*

Parisiis, die 26 octobris 1925,

J. ANDRÉ

Imprimatur :

Parisiis, die 28 octobris 1925,

V. DUPIN

Vic. gen.

SANCTO JOANNI DAMASCENO CHRYSORRHOÆ

ECCLESIÆ CATHOLICÆ PRÆCLARO DOCTORI,
SPIRITUS SANCTI PROCESSIONIS A PATRE PER FILIUM
SUBTILI DECLARATORI,
PRIMATUS B. PETRI APOSTOLI EJUSQUE SUCCESSORIS
ROMANI PONTIFICIS ASSERTORI DISERTO,
UNITATIS ECCLESIÆ CONTRA HÆRETICOS EJUSDEMQUE
INDEPENDENTIÆ ADVERSUS CÆSAROPAPISMUM
DEFENSORI STRENUO,
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DEIPARÆ IN CONCEPTIONE
IMMACULATÆ ET GLORIOSE IN CÆLOS ASSUMPTÆ
LAUDATORI FACUNDO,
FRATERNÆ CHARITATIS EXEMPLARI EXIMIO ET
COMMENDATORI SEDULO
PERAMANTER DICATUM.

# INTRODUCTIO

Titulum huic operi præfixum non parum temeritatis arguere libenter agnoscimus. Adeo enim manca et imperfecta est notitia, quam in præsenti statu disciplinarum orientalium de historica evolutione theologiæ dogmaticæ apud dissidentes Orientales assequi licet, ut propositum tradendi aliquam hujus theologiæ summam inter ea, quæ vix effici possint, merito sit computandum. Quis namque est qui ignoret monumentorum theologiæ orientalis maximam partem nondum typis fuisse vulgatam, atque in codicibus lectu plerumque difficillimis nec aditu facilibus adhuc delitescere ? Ex iis etiam scriptis theologicis, quæ recentiori tempore lucem passim aspexere, non pauca adeo rara jam evaserunt, ut vix reperiri queant, hac præsertim tempestate quum, perturbata undique ex recenti bello inter gentes amica societate, hujusmodi opera detegendi emendique difficultas non parum creverit.

Horum sane non ignari operisque in lucem producendi multiplices defectus prospicientes, proposito nihilominus desistendum esse non putavimus, pluribus ducti rationibus, quarum prima hæc est, nempe quod si ad aliquid de quocumque argumento scribendum, plena scientiæ maturitas expectanda esset, calamum vix unquam quis arriperet. Igitur, qui mensam copiosis epulis refertam apponere nequimus micas saltem offeremus; et qui viæ latæ et undique expeditæ aperiendæ impares omnimo sumus, angustum callem forsan prospere sternemus, præcipuasque itineris stationes indicabimus, quibus post nos doctiores nobis animum attendentes, viam scientiæ regiam facilius delineabunt.

### Operis opportunitas.

Ad opus aggrediendum ac persequendum alia nos impellit causa. Si enim Ecclesiarum Orientalium dissidentium præsentem conditionem advertamus, illarum plerasque in misero statu jacere adversisque rebus ægre obniti deprehendemus. Quæ fidelium numero longe majori ante bellum gaudebat, Ecclesiam dico imperii russici, Status protectione nunc primum orbata, imo ab eo, qui in præsenti est, diras patiens persecutiones, intestina dissolutione laborans cernitur, dum suos primores filios inter nationes Occidentis passim dispersos lamentatur. Hi autem Ecclesiæ catholicæ veriorem conceptum assequi tandem poterunt qui hactenus nonnisi per densissimas præjudicatarum opinionum tenebras illam perspiciebant; ex quibus quosdam in catholicis Universitatibus et Institutis jam studio vacare læti nuper audivimus. Qui vero e nostris sacerdotes vel magistri horum fratrum separatorum commercio utuntur, eosque ad catholicam unitatem adducere prudenter nituntur, mediocrem schismatis byzantini theologiæque græco-russicæ cognitionem habeant necesse est; quibus has nostras de theologia orientali prælectiones aliquantum profuturas esse speramus.

Neque iis, ni fallimur, inútiles erunt, qui sive in regionibus missionum, sive in civitatibus mixtæ confessionis, vineæ Domini excolendæ augendæque operam impendunt atque quotidie cum dissidentibus communicant. Non enim omnes Instituta orientalia frequentandi facultatem habent. Hac vero qui gaudent, aliquid commodi forsan et ipsi ex nostro labore percipient. Ex his siquidem lectionibus quædam tradita fuere in ipso Instituto pontificio orientali romano, ubi gratæ memoriæ Benedicti XV Summi Pontificis nutu benigno, per quatuor integros annos theologiæ orientalis cathedram tenuimus. Porro per idem tempus licuit notas plurimas, ad Bosphori ripas olim laboriose collectas, dum scilicet in seminario Leonino Chalcedonensi a nostræ Congregationis Patribus pro Græco-Bulgaris constituto theologiæ dogmaticæ lectoris officio fungebamur, in unum doctrinæ cohærentis corpus redigere; quod in formam compendii scholastici nunc primum in lucem producimus.

## Operis indoles et scopus.

Compendii revera indolem præ se fert præsens opus. Non enim omnes quæstiones ad theologiam dogmaticam dissidentium pertinentes fuse tractare intendimus, sed tantummodo harum brevem summam tradere, postquam quædam de origine et causis separationis cujusque Ecclesiæ ab Ecclesia catholica dissidentis necnon de historia theologiæ separatæ in modum prolegomenorum præmiserimus. In posterum autem, si Deus quidem vitam et salutem, Superiores vero tempus et opportunitatem dederint, propositum, quod jamdudum in mente gerimus, ad effectum perducere aggrediemur, scribendi scilicet gallice quamdam *Histoire de la théologie de l'Église gréco-russe*, ubi historicam evolutionem theologiæ græco-russicæ fusiori calamo describemus. Nunc vero in proposito est paucis exponere, juxta ordinem apud theologos communiter receptum, sententias theologicas a dissidentibus quum in documentis publicæ auctoritatis tum in operibus insigniorum theologorum propugnatas, insistendo in iis capitibus, in quibus doctrina dissidentium a doctrina catholica discrepat. Permulta enim sunt nobis dissidentibusque Orientalibus in doctrina fidei feliciter communia, in quibus utique immorandum non erit.

Porro hæc nostra theologiæ dissidentis expositio non respiciet tantummodo disciplinam, prout nunc in Ecclesiis separatis traditur, sed spectabit etiam, et quidem potissime, ad theologiæ historicam explicationem, inde a separatione peracta Ecclesiarum. Ad dignoscendum siquidem quid circa aliquod caput sentiant dissidentes, duos vel tres theologos hodiernos in medium proferre satis non est; imo et libri symbolici alicujus Ecclesiæ, si quando adsint, ad nos tuto edocendos non semper sufficiunt. Nam, quidquid aliqui cum apud nos tum apud heterodoxos in contrarium credant vel proferant, certum omnino est variationes ac mutationes in doctrina dissidentium, temporum decursu, etiam quoad capita controversa, non raro occurrere. Has autem variationes ac mutationes deprehendere ac notare maximi momenti est, præsertim cum Ecclesiæ separatæ, et omnium maxime Ecclesia græco-russica, de sua immutabilitate ac in ser-

vando deposito revelato infallibilitate sæpissime glorientur.

Animadvertamus hic nonnullos facile errare, dum quid de certa quæstione doceat aliqua Ecclesia separata scire cupientes, unum vel alterum theologiæ dogmaticæ compendium in seminariis vel Academiis ecclesiasticis usitatum adire satis habent. Hujusmodi enim libri doctrinam, quæ nostris diebus inter dissidentes communis evasit, ad summum tibi referunt nihilque de præterito dicunt. Insuper non raro accidit, ut vel hæc ipsa compendia invicem sibi contradicant, quamquam auctores se tradere veram ac genuinam suæ Ecclesiæ doctrinam contendere solent; quod sane mirum non est, cum apud illos infallibile magisterium privatos doctores dirigens ac corrigens omnino deficiat. Unde non unum vel duo tantum compendia, sed quotquot inveniri possunt, inspicienda.

Cum autem nostri propositi sit dissidentium sententias clare exponere et cum doctrina catholica conferre potius quam copiosis argumentis refellere, a polemicis incursibus, quantum fieri potest, abstinebimus, atque pro tuenda doctrina catholica plerumque hæc tantum afferemus, quæ ex ipsorum dissidentium penu promere licebit. Unde nonnisi obiter ad Patrum antiquorum traditionem provocabimus; sicque fiet, ut opus characterem omnino irenicum præ se ferat. Cæterum ipsa sincera sententiarum dissidentium expositio ad normam criticæ historicæ facta, ad ostendendum hujusmodi sententias, quatenus doctrinæ catholicæ opponuntur, nullo valido niti fundamento omnique valore polemico destitui plerumque plane sufficiet. Cum enim quicumque verus consensus inter auctores deficiat, et non raro tot sententiæ occurrant, quot sunt theologi, error propria manu seipsum confodit.

Hac autem via procedentes, ab illa recedimus, quam in impugnando schismate byzantino theologi catholici hactenus plerumque secuti sunt. Hi enim, perpaucis exceptis, de obsoletis illis discrepantiis, quæ medio aevo Græcos inter et Latinos tam acriter disceptatæ sunt, quædam polemice vel apologetice proferre satis habuerunt, argumenta theologiæ catholicæ plus minusve copiose evolventes, genuinum vero statum theologiæ heterodoxæ non describentes, neque de ejus variationibus contradictionibusque quid-

quam detegentes. Hanc autem certandi rationem ob hanc potissimum causam nostri tenuerunt, quod inde a sæculo XVI in confutandis Reformatorum erroribus pæne toti occupati sunt; unde nonnisi per transennam — et plerumque ad venanda argumenta contra Protestantes — dissidentium Orientalium theologiam inspexerunt.

## Nostri antecessores.

His tamen antecessoribus nostris multam debemus laudem et gratiam. Fuerunt enim eorum opera nobis valde utilia. Verum quidem est illorum neminem synopsim historicam totius theologiæ dissidentis, inde a separatione Ecclesiarum ad nostra usque tempora, data opera aggressum esse tradere; de pluribus autem quæstionibus particularibus optimas conscripserunt dissertationes, vel documenta theologica magni momenti typis mandarunt, vel demum doctos articulos, nostro præsertim tempore, de Ecclesiis dissidentibus earumque doctrinis et usibus in periodicis foliis ediderunt; quos omnes habemus debitores. Eorum quidem scripta omnia enumerare longius esset; suo autem loco, nostri operis decursu, indicabuntur. Sufficiat hic clariora quædam nomina memorare.

De theologia Græco-Russorum non pauca continent scitu utilissima Petri Arcudii et Leonis Allatii opera, quæ infra, in hoc primo nostro volumine recensemus. Verum quidem est illos duos collegii Sancti Athanasii præclaros alumnos in statuenda perpetua consensione utriusque Ecclesiæ, catholicæ scilicet et græco-russicæ, circa dogmata a Protestantibus impugnata, nimium aliquando studium impendisse; ex quo factum est, ut veras discrepantias vel non satis adverterint, vel de industria tacuerint, vel saltem imperfecte retulerint. Hoc tamen non impedit quominus de theologia orientali bene sint meriti.

Sæculo XVIII ineunte, Eusebius Renaudotius, vir eruditissimus, de theologia tum Græcorum, tum præsertim aliorum dissidentium Orientalium multa conscripsit, ex quibus non pauca nondum edita fuere, et in Bibliotheca nationali Parisiensi asservantur. Hæc ad nostrum propositum omnino

conducunt, et valde sane dolendum, quod hic doctus tam paucos sui laboris imitatores habuerit.

De theologia item Nestorianorum et Monophysitarum suæ *Bibliothecæ orientali* pretiosas notas annexuit clarissimus Maronita Josephus Assemanius; at infeliciter operis sunt fragmenta, non opus.

Memoratu omnino digna sunt ea quæ doctissimus Lequien de controversiis inter Græcos et Latinos disseruit tum in suis dissertationibus Damascenicis[1], tum in suo opere rarissimo sub ficto nomine Stephani de Altimura, Ponticensis, publicato, cui titulus : *Panoplia contra schisma Græcorum, qua romana et occidentalis Ecclesia defenditur adversus criminationes Nectarii, nuperi patriarchæ Hierosolymitani, quas congessit in libro* Περὶ ἀρχῆς τοῦ Πάπα, *de Primatu papæ*, Parisiis, MDCCXVIII.

Sæculo XIX, nobis occurrunt eruditissima opera Henrici Denzinger : *Ritus Orientalium*, 2 vol. et cardinalis Hergenröther : *Photii Constantinopolitani liber de Spiritus Sancti Mystagogia. — Monumenta græca ad Photium ejusque historiam pertinentia. — Photius Patriarch von Constantinopel*, 3 vol. Hoc ultimo opere nihil perfectius atque utilius conscriptum est de origine et consummatione schismatis byzantini necnon de theologia photiana.

Inter dissertationes theologicas recenter editas, quæ de quibusdam quæstionibus particularibus ad theologiam dissidentem pertinentibus laudabiliter tractant citari possunt :

1° Dissertatio Georgii B. Matulewicz, quæ inscribitur *Doctrina Russorum de statu justitiæ originalis*, Cracoviæ, 1903; quæ tamen doctrinæ quorumdam recentiorum theologorum nimium momentum tribuere videtur;

2° Opella Aloisii Bukowskii cui titulus : *Die Genugtuung für die Sünde nach der Auffassung der russischen Orthodoxie*, seu *Satisfactio pro peccatis secundum doctrinam Orthodoxiæ russicæ*, Paderborn, 1911.

3° Disquisitio F. Grivec : *Doctrina byzantina de primatu et unitate Ecclesiæ* (slovenice et latine), Liublianæ, 1921.

Nuper autem Aurelius Palmieri in theologia Russorum apprime versatus, magnum quoddam opus de *Theologia*

1. *Patrologia græca*, edit. Migne, t. XCIV.

*dogmatica orthodoxa* (seu græco-russica) inceperat. Postquam vero prolegomena amplissima valdeque utilia, præsertim ob ditissimas indicationes de litteratura theologica Russorum, in lucem edidit [1], proposito infeliciter valedixit.

Qui sane nostras maxime merentur grates, ii utique sunt, qui in edendis theologiæ dissidentis monumentis operam impenderunt et impendunt, inter quos eminent cardinales Mai, Pitra et Hergenröther, Migne, R. Graffin, J.-B. Chabot eorumque cooperatores et collectionis Mansianæ pro synodis orientalibus peractor, Ludovicus Petit; inter dissidentes vero: Dositheus Hierosolymitanus, Eugenius Bulgaris, Andronicus Demetrakopulus, Papadopulus-Kerameus, S. Lampros, Sophronius Eustratiades, Manuel Gedeon, I. Pavlov, archimandrita Arsenii, etc.

## Operis partitio.

Cum Ecclesiæ orientales dissidentes triplicis sint generis Ecclesia videlicet nestoriana, Ecclesia, vel potius, Ecclesiæ monophysiticæ, Ecclesiæ autocephalæ ex schismate byzantino ortæ, quarum glomeratio constituit Ecclesiam quæ « Orthodoxa Orientalis » vulgo audit, triplicem etiam theologiam dissidentem habemus. Nobis igitur agendum est: 1° de theologia Nestorianorum; 2° de theologia Monophysitarum seu Jacobitarum; 3° de theologia Græco-Russorum.

Equidem, si in his prælectionibus edendis ordinis historiæ rationem haberemus, primo publicanda esset theologia nestoriana, deinde monophysitica, tertio græco-russica. Cum vero hæc ultima majus momentum præ se ferat, multoque aliis duabus productior futura sit, illam prius typis mandabimus duobusque integris voluminibus complectemur. Primum volumen, quod in præsenti damus, est de origine, historia ac fontibus theologiæ græco-russicæ. In altero exponetur doctrina Græco-Russorum circa singulos theologiæ dogmaticæ tractatus, præsertim vero circa capita inde a schismate perfecto controversa. Theologiam autem

1. Aurelius Palmieri, *Theologia dogmatica orthodoxa* (Ecclesiæ græco-russicæ) *ad lumen catholicæ doctrinæ examinata et discussa. Prolegomena*, 2 vol. in-8°, xxv-815 et 198 p. Florentiæ, 1911-1913.

Nestorianorum atque Monophysitarum unico volumine, quod operis erit tertium, absolvemus.

Faxit vero Deus, ut hic noster labor non tantum ad scientiæ theologicæ incrementum, verum etiam ad dissipanda lugenda schismata orientalia aliquid conferat, ut omnium Christianorum quamprimum fiat unum ovile sub uno Pastore!

Scribebam Romæ, die 6 aprilis, anno 1923.

# DE THEOLOGIA DOGMATICA
## GRÆCO-RUSSORUM

### QUÆSTIONES PRÆVIÆ DUÆ

*Antequam disquisitionem specialem de theologia dogmatica Græco-Russorum instituamus, duas quæstiones generales ad omnes dissidentes Orientales spectantes tractare utile ducimus; quarum una erit de communibus nominibus seu appellationibus usu receptis ad designandos cœtus ecclesiasticos Orientis eorumque asseclas ab Ecclesia catholica separatos; altera autem de habitu Orientalium dissidentium ad veram Christi Ecclesiam, num scilicet ad eam aliquo modo pertineant.*

### PRIMA QUÆSTIO

#### DE COMMUNIBUS APPELLATIONIBUS, QUIBUS ECCLESIÆ SEPARATÆ ORIENTIS EARUMQUE FIDELES DESIGNARI SOLENT

Appellationes, quibus Orientales separati nuncupari solent, duplicis sunt generis : quædam enim omnino generales sunt omnibusque congruunt; aliæ vero particulares et cuique cœtui dissidenti propriæ. De communibus hic tantum disseremus, de particularibus acturi, quando de singulis Ecclesiis sermo erit.

Quatuor præcipuas appellationes generales invenimus, quæ

omnibus et singulis cœtibus ecclesiasticis Orientis ab Ecclesia catholica dissitis, eorumque asseclis simul atque indiscriminatim applicari possunt, et de facto non raro applicantur, scilicet : *schismaticus*, *hæreticus*, *dissidens*, *separatus*. Hæc quatuor apposita, etsi inter se valde sunt affinia, non tamen eumdem omnino sensum præ se ferunt; unde unumquodque eorum accurate explicandum est.

### I. — Schismatis notio et species.

*Schisma* est verbum græcum latine significans *scissuram*, *divisionem*. Sensu theologico et canonico sic breviter definitur : *Schisma est subtractio ab obedientia visibilis capitis Ecclesiæ formaliter sumpti, vel a communione catholicæ Ecclesiæ* [1].

Duplex schisma distinguitur : *purum scilicet* et *mixtum*. *Schisma purum* in voluntate tantum residet, consistitque in mera denegatione obedientiæ Summo Pontifici, inquantum est caput Ecclesiæ, vel in simplici recessu a communione catholicæ Ecclesiæ. *Schisma mixtum* conjunctam habet hæresim aliquam; unde non solum ad voluntatem, sed etiam ad intellectum refertur. Adest ergo quando quis, « præter separationem ab unitate veræ Ecclesiæ, negat unam vel plures propositiones ab ipsa Ecclesia definitas et propositas, v.g., negat romanum Pontificem esse in terris Vicarium Christi et caput Ecclesiæ [2] », vel insigniri infallibilitate personali, quando ex cathedra loquitur.

Ordinarie, præsertim nostris diebus, vix unquam datur schisma purum, quod non sit etiam cum aliqua hæresi conjunctum. Schisma enim est via ad hæresim. Ut suum a vera Ecclesia recessum excusent, schismatici aliquam hæresim, quam mordicus propugnent, sibi confingere solent, atque ad negandum primatum jurisdictionis infallibilitatemque romani Pontificis quasi necessario adducuntur.

Nota schismatis inuruntur tum propositiones, tum sectæ religiosæ, tum personæ.

1° Aliqua propositio dicitur *schismatica*, quando schismati

1. Cf. L. Ferraris, *Bibliotheca canonica juridica moralis theologica*. Edit. nova, Romæ, 1891, t. VII, p. 49.
2. *Ibid.*

favet, atque ad schisma sponte ducit eos, qui ut normam agendi eam amplectuntur.

2° Secta vel Ecclesia schismatica ea est quæ non obedit romano Pontifici, et a communione Ecclesiæ catholicæ sejuncta manet.

3° Schismaticus *proprie* seu *formaliter* dictus ille est qui peccati schismatis reus est, qui scilicet, ex mera malitia, pertinaciter renuit subesse et obedire romano Pontifici, qua Ecclesiæ capiti et Christi in terris Vicario, aut cum membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusat. *Proprie schismatici dicuntur*, ait sanctus Thomas, *qui propria sponte et intentione se ab unitate Ecclesiæ separant, quæ est unitas principalis* [1].

Unde, ut quis vere et proprie sit ac dici possit schismaticus, ita ut excommunicationem canonicam incurrat (aut saltem incurrere possit) requiritur : 1° ut sciat romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, et romanum Pontificem ejus caput visibile jure divino constitutum;

2° ut propria sponte et intentione se ab unitate romanæ Ecclesiæ separet, eique obedire renuat, vel, si a parentibus schismaticis natus, cum culpa gravi ab ea separatus remaneat, postquam illam esse veram Ecclesiam a Christo fundatam certo agnoverit.

Si quis autem in aliqua secta vel Ecclesia schismatica natus et educatus, in bona fide versetur ignoretque Ecclesiam romanam unice veram Ecclesiam esse, hic non est *formaliter* schismaticus, sed tantum materialiter, ideoque nonnisi improprie schismatici epitheto designatur, quippe qui peccati schismatis reus non est.

### II. — Haereseos definitio et species.

Hæresis, a voce græca αἵρεσις, etymologice idem sonat ac *electio* vel *secta*. Apud theologos sumitur vel pro doctrina contradictorie opposita alicui veritati revelatæ et a magisterio ecclesiastico propositæ ut ab omnibus fide divina et

1. *Summæ theologicæ* II$^{a}$ II$^{æ}$, quaest. xxxix, art. 1. Cf. etiam resp. ad 2 : *non obedire præceptis Ecclesiæ cum rebellione quadam constituit schismatis rationem.*

catholica credenda, vel pro actu quo quis hujusmodi doctrinæ præbet assensum, aut de aliquo fidei catholicæ articulo positive dubitat.

Hoc altero sensu accepta, hæresis dividitur in *materialem* et *formalem*. Hæresis materialis est merus assensus intellectus alicui propositioni hæreticæ ex sola ignorantia vel errore præstitus, quin adsit pertinacia voluntatis in eo persistendi. Per se non est culpabilis, et quamvis externe sit manifestatus, censura ab Ecclesia non plectitur.

Hæresis *formalis* « est hominis baptizati ac christianam fidem professi error voluntarius ac pertinax contra aliquam veritatem fidei catholicæ. Unde patet quod ad hæresim formalem duo copulative requiruntur, scilicet error in intellectu et pertinacia in voluntate [1]. »

Qui alicui propositioni hæreticæ materialiter tantum adhæret, vel dubitat de aliquo fidei catholicæ articulo, qui ei non fuit adhuc sufficienter propositus, non est veri nominis hæreticus, et nonnisi improprie ista appellatione notatur. Dicit enim sanctus Augustinus in epistola quadam ad Donatistas directa :

*Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi* [2].

Et in Codice novissimo juris canonici, ad canonem 1325, § 2, hanc definitionem hominis hæretici legimus : *Post receptum baptisma, si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fidei divinæ et catholicæ credendis denegat, aut de ea dubitat, hæreticus est.* Ex quo sequitur illum hæreticum veri nominis non esse, qui bona fide, ex errore involuntario aliquam e veritatibus fide catholicæ rejicit, aut de ea dubitat.

Inde etiam theologi communiter asserunt inter hæreticos proprie dictos numerandos non esse illos, qui inter hære-

1. Ferraris, *op. cit.*, t. IV, p. 70.

2. S. Augustini episcopi *epistola* XLIII *classis secundæ* (alias *epist.* CLXII). *P. L.*, t. XXXIII, col. 160. Hic locus in vetere *Corpore juris* inveniebatur, caus. XXIV, quaest. III, cap. *Dixit Apostolus*, 29.

ticos nati et educati de uno vel pluribus articulis fidei catholicæ dubitant, aut eos positive denegant, quamdiu in bona fide vel ignorantia (etiam plus minusve culpabili) versantur, neque facultatem specialem ad eos absolvendos necessario requiri, cum isti hæretici materiales tantum sint, neque excommunicationem illam in hæreticos formales latam incurrerint [1].

Notamus tandem, sicut propositiones et personas, ita et sectas religiosas seu Ecclesias dici hæreticas, eas scilicet in quibus communiter docentur et accipiuntur propositiones hæreticæ.

### III. — Significatio appositi : « Dissidens ».

Ex etymo, dissidens ille est qui seorsum vel longe ab alio sedet, qui ab eo est remotus.

Tropologice acceptum, hoc appositum designat eum qui sive sententia, sive voluntate, sive utraque simul ab alio dissentit. *Dissidium* est contrarium perfectæ amicitiæ, quæ facit amicos eadem sentire eademque velle et nolle. Non raro tamen amici circa quædam inter se dissident, quin amicitia totaliter rumpatur. Docti autem frequentissime inter se dissident circa propriæ scientiæ conclusiones. Theologi catholici ipsi non unam eamdemque proferunt sententiam de quibusdam quæstionibus ad fidem non pertinentibus, quas alii aliter solvunt.

In sensu theologico, dissidentes vocamus illos christianos qui cum Ecclesia catholica non sentiunt circa quædam doctrinæ revelatæ capita. Atqui dum epitheta : *schismaticus*, *hæreticus*, proprie accepta, culpam theologicam gravem necessario supponunt, vox *dissidens*, nullum dedecus morale per se involvit, sed consensionis defectum in ordine doctrinæ directe significat, abstrahendo ab indole morali dissensionis, num scilicet hæc culpabilis sit, vel non.

Ex hac definitione apparet christianos omnes orientales acatholicos esse dissidentes respectu Ecclesiæ catholicæ.

1. Cf. Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum morale*, Prati, 1890, t. II, p. 62, et R. Souarn, *Praxis Missionarii in Oriente servata*, Parisiis, 1911, p. 135. Sæpe tamen absolutio datur ad cautelam. Insuper professio fidei præscribitur.

Item cœtus ecclesiastici catholici dissidentium nomine nuncupari possunt.

### IV. — Significatio appositi : « Separatus ».

Omnes qui dissidentes dicuntur, *separati* etiam vocari possunt. Vox *separatus* significationem omnino generalem præ se fert. Nihil aliud suggerit, nisi ipsum separationis factum, quod inter christianos revera exsistit, et a nemine negari potest. Sicut vox *dissidens*, ab omni culpa morali per se omnino præscindit.

His prænotatis, hanc triplicem conclusionem statui posse arbitramur :

### V. — Prima conclusio.

*Ecclesiæ dissidentes orientales, qua societatês religiosæ vere sunt schismaticæ ac hæreticæ, hisque epithetis a Catholicis licite designantur. In praxi tamen, ne fideles illarum Ecclesiarum hoc loquendi modo nimis lædantur, utque facilius ad veram Ecclesiam illos adducamus, appellationes benigniores, veluti :* Ecclesiæ dissidentes, Ecclesiæ separatæ, *sine veritatis detrimento usurpare possumus.*

Ecclesiæ istæ vere sunt schismaticæ, quia romano Pontifici non obediunt, nec cum Catholicis in divinis communicant. Sunt etiam hæreticæ, quia in documentis authenticis earum fidem exprimentibus negantur quædam veritates ad fidem divinam et catholicam pertinentes. Notum est illas omnes in hoc saltem inter se convenire, quod primatum jurisdictionis et infallibilitatem romani Pontificis rejiciunt.

Fuerunt nonnulli qui tum Ecclesiam russicam separatim sumptam, tum etiam græcam neque schismaticas neque hæreticas esse contenderunt, hac duplici ducti ratione, nempe quod Ecclesiæ istæ nullo solemni decreto tanquam schismaticæ ac hæreticæ ab Ecclesia catholica damnatæ fuerint, neque ipsæ pactum Florentinum, cui per suos legatos subscripserunt, in nullo plenario concilio suo abrogaverint[1].

1. Sic Lacordaire, cujus verba laudantur in periodico *Revue des Églises d'Orient*, t. III, Parisiis, 1887, p. 462 : « La Russie est catholique à son insu : elle n'est pas, et n'a jamais été schismatique de son gré, comme il en a été de l'Église d'Orient ( = Église byzantine ou

Quibus respondendum nullum esse dubium quin Ecclesia catholica has Ecclesias, qua societates religiosas, ut schismaticas hæreticasque habeat, quamvis nullum solemne decretum de hoc hactenus ediderit. Hoc patet ex tota sua agendi ratione erga membra illarum Ecclesiarum. Quando enim aliquis e dissidentibus Russis vel Græcis ad catholicam unitatem accedere desiderat, prius professionem fidei catholicæ emittere debet erroresque abjurare in Ecclesia russica vel græca communiter vulgatos; quod nisi fecerit, ad receptionem sacramentorum illum admittere vetitum est, etiamsi se bona fide errasse protestetur[1]. Si vero catholicus vir bona fide circa aliquem fidei articulum erraverit, atque, errore detecto, se veritatem amplecti declaraverit, ab illo utique Ecclesia catholica solemnem fidei professionem non exiget, saltem ordinarie. Quare ergo talem professionem errorumque abjurationem Russo vel Græco dissidenti semper imponit, nisi quia tamquam schismaticam hæreticamque habet Ecclesiam græco-russicam, quatenus hæc societatem religiosam in vinculo obedientiæ et fidei ab ipsa separatam constituit ?

Aliunde veritati consonum non est Russos et Græcos decretum unionis Florentinæ publice expressisque verbis nunquam respuisse. Multoties enim quatuor patriarchæ

grecque). » Si vox *Russia* sumatur pro « populo russico in genere », hæc verba utique veritati consonant; sed si *Russia* designet Ecclesiam russicam, qua societatem religiosam ab Ecclesia catholica sejunctam, tunc Russia dici debet schismatica, eo sensu quo societas aliqua, qua talis, communiter appellatur schismatica. Quod de Russia affirmat Lacordaire, hoc idem de Ecclesia græca tenuit D. Van Caloen, O. S. B. : « Jamais, au cours des siècles, ait ille, il ne fut posé par l'Église grecque un acte officiel pour révoquer l'union de Florence. Jamais un schisme avec Rome ne fut proclamé. Juridiquement parlant, l'union existerait donc encore. » *Revue bénédictine*, t. VIII (1891), p. 121, in articulo : *La question religieuse chez les Grecs*. Cf. etiam *ibid.*, p. 125.

1. Canon 731, § 2 Juris novissimi sic se habet : *Vetitum est Sacramenta Ecclesiæ ministrare hæreticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus rejectis, Ecclesiæ reconciliati fuerint.* Circa modum reconciliandi dissidentes Orientales cum Ecclesia catholica, et circa professionem fidei a neo-conversis emittendam, vide opus P. Romualdi Souarn : *Praxis Missionarii in Oriente servata*, Parisiis, 1911, p. 134-145. Professio fidei imponitur etiam minoribus et rudibus.

græci dissidentes concilium Florentinum damnarunt tum in synodis plenariis, tum in publicis encyclicis, tum etiam in fidei confessionibus ad suos fideles directis : V. g., anno 1484, sedente patriarcha œcumenico Simeone Trapezuntino, magnum concilium prælatorum græcorum Constantinopoli habitum est, quod etiam nomine concilii *œcumenici* decorarunt, et cui quatuor patriarchæ orientales subscripsere. In eo unio Florentina solemniter rejecta est, atque ad separationem inter utramque Ecclesiam vehementius declarandam, ritus reconciliationis Latinorum ad Ecclesiam græcam accedentium confectus promulgatusque est [1]. Immo, jam inde ab anno 1755, Græci dissidentes ut invalidum communiter habuerunt baptisma more infusionis collatum, catholicosque latinos, suæ Ecclesiæ nomen dare desiderantes denuo baptizare, perinde ac si meri infideles essent, etiam nostris diebus, non dubitant.

Ad Ecclesiam russicam quod attinet, historia compertum est in ea Latinorum rebaptizationem diu frequentatam fuisse, ut fusius postea dicemus. Hodie vero Rituale Ecclesiæ russicæ specialem ritum reconciliationis Catholicorum continet [2].

Ex his luce clarius patet Ecclesiam græco-russicam, inquantum societatem religiosam a catholica Ecclesia separatam constituit, vere esse schismaticam et hæreticam. Cum vero hæc epitheta : *schismatica*, *hæretica*, auribus dissidentium durius sonent, ab his abstinere tum in privatis colloquiis, tum etiam in libris consultius erit, vocesque benigniores usurpare, quæ factum separationis a vera Ecclesia simpliciter significant. Unde Ecclesias orientales, poterimus vocare *dissidentes* vel *separatas*, quin veritatis proditores videamur. Hanc agendi rationem ipsi summi Pontifices in suis litteris suo exemplo nobis commendant [3].

1. Rhallis-Potlis, *Syntagma canonum*, t. v, p. 143-147. In prologo *Officii reconciliationis legitur* : Ἰστέον δὲ, ὅτι ἡ σύνοδος, αὕτη, οἰκουμενικὴ οὖσα, πρώτη σὺν Θεῷ τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ ἐκείνην παρανομωτάτην κατέβαλε καὶ ἀνέτρεψε σύνοδον. Vide articulum Ludovici Petit, in *Echos d'Orient*, t. II, p. 121 sq. cui titulus : *L'entrée des catholiques dans l'Église orthodoxe.*

2. A. von Maltzew, *Die Sacramente der orthod. kathol. Kirche des Morgenlandes*, in-12, Berolini, 1898. L. Petit, *art. cit.*, p. 136 sq.

3. V. g., Leo XIII, in suis Litteris apostolicis *Cum divini Pastoris*, die 25 maii datis, anno 1898 : « *De erectione Archisodalitatis precum et*

### VI. — Secunda conclusio.

*Fideles Ecclesiarum dissidentium orientalium bona fide errantes nonnisi improprie schismatici et hæretici vocantur, cum sint tantummodo schismatici et hæretici materiales. Cum vero ex una parte, dubium non sit quin inter dissidentes multi, immo quamplurimi, bona fide versentur, utpote a parentibus schismaticis et hæreticis nati in regionibus, ubi jam a multis sæculis error invaluit; ex altera vero parte, formales schismaticos atque hæreticos a materialibus certo discernere plerumque non possimus, charitas una cum justitia suadet, ut Ecclesiarum orientalium separatarum fideles iis vocibus designemus, quæ per se a peccato formali schismatis vel hæreseos abstrahant.*

*Juridice* quidem et *canonice*, Ecclesia, quæ de mere internis non judicat, ut hæreticos schismaticosque habet quotquot in secta dissidenti baptizati, et jam puberes rationisque usu gaudentes, extra ipsius vitam socialem publice manent. Hic juridicus loquendi modus certe legitimus est, illumque improbare nullo pacto intendimus. Nostra vero conclusio ex aspectu dogmatico-morali statuitur ac concipitur. Quod siquidem, sub hoc aspectu, schismatici et hæretici mere materiales nonnisi improprie schismatici et hæretici vocentur, hoc supra ostendimus, sancti Augustini, sancti Thomæ aliorumque theologorum et canonistarum auctoritate innixi. Sufficiat hic addere hæreticos materiales ubique terrarum, etiam inter Catholicos, inveniri posse.

Quod vero multi ex dissidentibus Orientalibus, imo forsan quamplurimi, bona fide errent, non ex uno conjicere licet. Primo quidem, accurata rerum religiosarum notitia inter plebeios et rusticos — et hi, sine dubio, majorem partem dissidentium constituunt — sicut apud nos, ita etiam, et multo magis apud Russos, Græcos aliosque Orientales deficit. De separatione Ecclesiarum deque discrepantiis dogmaticis inter ipsas existentibus nihil aut fere nihil sciunt isti.

*piorum operum pro reditu Ecclesiarum dissidentium ad catholicam unitatem sub patrocinio B. M. V. in cælum Assumptæ in ecclesia Anastasiæ Byzantii.* Leonis XIII Pontificis maximi *Acta*, t. XVIII, p. 49.

More patrio Deum colunt, et si volueris cum illis de aliquo capite controverso disputare, ad proprios parochos te remittent.

Aliunde, innumera sunt præjudicia, calumniæ, mendacia a fautoribus schismatis multis abhinc sæculis per populos sparsa contra Ecclesiam catholicam, quibus imbuti animi non solum rudium, verum etiam plus minusve doctorum veritatem detegere ægre queant.

Equidem non negamus inter dissidentes Orientales inveniri quosdam schismaticos hæreticosque formales, qui, postquam serio historiæ veteris Ecclesiæ studuerint, aut catholicæ Ecclesiæ indolem ex perspicuis notis, quibus Deus illam insignivit, bene perspexerint, hanc veram esse Christi Ecclesiam agnoscant, et tamen exterius suæ sectæ schismaticæ hæreticæque adhærere pergant. Sed quinam, quotnamque sint isti. Deus solus, ut plerumque, bene novit. Scimus enim testimonio illustrium virorum ad catholicam fidem ex sectis hæreticis conversorum, eos per multos annos in bona fide permansisse, quamvis perdocti essent. Unde liquet nos certo discernere non posse quinam inter dissidentes sint bonæ fidei, quinam malæ, quamvis indubitanter noverimus multos ex ipsis, imo plerosque materialiter tantum schismati hæresive adhærere. Quid igitur faciemus? Nonne benignius justiusque erit appellationes quomodocumque injuriosas missas facere, ne dum reos consequi, volumus, innocentes percellamus?

Hunc agendi modum nobis commendat alia ratio. Notum est polemistas anticatholicos, præsertim ex Græcis et Russis, persæpe verbis contumeliosis uti, cum nos suis scriptis impetunt. Catholicos decet hanc pessimam disputandi rationem vitare, præceptumque fraternæ caritatis semper observare, bonum pro malo reddendo, non malum pro malo; sicque infirmos in fide suscipere, ut ad plenam veritatis christianæ cognitionem citius perveniant.

Quibusnam autem appellationibus consultum sit uti ad designandos fideles Ecclesiarum dissidentium, hac tertia conclusione declaramus.

### VII. — Tertia conclusio.

*Fideles Ecclesiarum heterodoxarum orientalium a Catholicis ordinarie vocandi sunt* DISSIDENTES *vel* FRATRES SEPARATI *vel aliis appellationibus his similibus, quæ in sua directa*

*significatione a peccato formali schismatis vel hæreseos abstrahunt.*

Ut ex supra dictis patet, quando Orientales acatholicos *dissidentium* vel *separatorum* nomine designamus, hoc solummodo affirmamus, scilicet quod de facto in rebus fidei nobiscum non plene conveniunt, atque in exteriori vinculo communionis ecclesiasticæ a nobis separati manent.

Num tale factum sit ex parte illorum in conscientia peccaminosum, non decernimus, sed Deo cordium scrutatori judicium relinquimus, ex parte nostra dissidium tollere, atque omnimodam consensionem concordiamque inter christianos instaurare omni conatu nitentes. Dissidentes autem fratres nominare veritas non prohibet et charitas aliquo modo jubet. Sunt enim fratres nostri in Christo, quia baptizati sunt, quia præcipua dogmata religionis christianæ bona fide plerumque credunt, quia, sicut et nos, eucharistico pane aluntur. Sanctus Augustinus donatistas tanquam fratres in suis epistolis alloquebatur, atque salutabat [1]. Possumus utique tanti doctoris exemplum imitari, atque dissidentes Orientales ut fratres habere talique nomine designare.

Huic nostræ tertiæ conclusioni favent non solum plures scriptores catholici optimæ notæ, sed etiam Summi Pontifices, qui in suis Litteris et Encyclicis, persæpe nomine *dissidentium* nuncupant tum Orientales christianos ab Ecclesia catholica separatos, tum etiam Protestantes occidentales [2].

1. *Epistola* XLIII *classis* II sancti Doctoris, quam supra laudavimus, sic inscribitur : *Dominis dilectissimis et merito prædicandis fratribus Glorio, Eleusio, Felici, Grammatico et cæteris omnibus quibus hoc gratum est, Augustinus. P. L.*, t. XXXIII, col. 159.

2. Leo papa XIII, in epistola ad cardinalem Gibbons de Americanismo data, die 22 Januarii 1899, loquitur de iis *qui dissident*, ad Protestantes alludens. *Leonis P. M. Acta*, t. XIX, p. 6. — « Ho sempre evitato in tutti i miei scritti, ait P. Tondini, e per buone ragioni, l'appellativo di scismatico. » *La Russia e l'unione delle Chiese.* Romæ, 1895, p. 28. Item, P. Gagarin, in Ecclesia russica dissidenti natus et educatus, posteaque ad catholicam fidem conversus, scribebat : « On me reproche de ne pas avoir employé le terme de schismatique. J'avoue que je n'ai pas eu le courage de me servir de cette expression dans un écrit qui peut tomber entre les mains de mes plus proches parents, de mes amis de jeunesse et de celui que Dieu m'a donné pour souverain. » In

**VIII.— De appositis : Heterodoxus - Orthodoxus : Quæres.**

1° *Possumusne dissidentes Orientales vocare heterodoxos ?*

Respondeo : « Affirmative », quia hæc vox græca significat tantum : *aliter sentire quam recta fides exigit.* Atqui verum est dissidentes de quibusdam fidei catholicæ articulis non recte sentire.

2° *Expeditne Græco-Russis in hoc complacere, ut orthodoxos, sicut seipsos prædicant, illos passim appellemus ?*

Respondeo : Negative. Veritas simul et charitas, ut mihi videtur, ab hac appellatione abstinere nos monent : veritas, quia Græco-Russi sunt de facto in multis heterodoxi, non orthodoxi; charitas, quia si fratres, quos videmus errare, ad veritatis tramitem reducere volumus, omne id quod quomodocumque tendit ad illos in suo errore confirmandos vitare debemus. Atqui Græco-Russos appellitare *orthodoxos* posset illos aliquatenus in sua falsa persuasione confirmare quod sint revera orthodoxi. Neque hæc nostra agendi ratio illos offendere debet, quia fides nostra nos prohibet ne orthodoxos vocemus illos, qui de facto orthodoxi non sunt. Unde, quamvis hæc appellatio quandoque tolerari possit, melius est ab ea ordinarie abstinere, præsertim in scriptis. Cæterum alii dissidentes Orientales, Nestoriani scilicet et Monophysitæ, nomen *orthodoxorum* semper sibi vindicarunt, et tales haberi volunt. Cum autem omnes sint heterodoxi, quibusdam concedere non debemus quod cæteris denegamus [1].

libello : *La Russie sera-t-elle catholique ?* Parisiis, 1856. D. Van Caloen, in articulo jam supra notato, sapienter dicit : « Le Latin désireux de rester en bons termes avec les Grecs, doit éviter à tout prix de leur appliquer la dénomination de schismatiques. C'est là, à leurs yeux, une injure gratuite : ils se sentent profondément blessés par cette appellation, et il serait pour le moins impolitique de s'en servir. » *Revue bénédictine*, t. VIII, (1891), p. 125.

1. Per se patet omnes dissidentes quum Orientales tum Occidentales nuncupatione generalissima *Acatholicorum* designari posse. Hoc nomine jure vocantur quotquot ad Ecclesiam catholicam, qua visibilem societatem, manifeste non pertinent.

## ADNOTATIONES AD PRIMAM QUÆSTIONEM

### I

#### De mente Vladimiri Soloviev circa separationem Russiæ ab Ecclesia catholica.

Vladimirus Soloviev, celeberrimus ille catholicæ veritatis inter Russos hodiernos propugnator, in suis scriptis non una vice declarat Russiam non esse ab Ecclesia catholica formaliter ac regulariter separatam; quod sane de populo russico intelligendum est, quatenus hic ab Ecclesia dirigente civili potestati plane subjecta distinguebatur, atque in bona fide versans circa veram Ecclesiam, dogmatibus essentialibus christianæ religionis addictus remanet. Ecclesiam vero russicam, prout exstabat ante recentem rerum perturbationem, clarissimus vir tanquam schismaticam et ab Ecclesia universali alienam aperte condemnat ac rejicit : « La Russie, inquit ille, n'est pas formellement et régulièrement séparée de l'Église catholique : elle se trouve, sous ce rapport, dans un état indécis et anormal éminemment favorable à l'œuvre de la réunion..... Les doctrines fausses et anticatholiques enseignées chez nous dans les séminaires et les Académies théologiques n'ont aucun caractère obligatoire pour le corps de l'Église russe, et n'atteignent pas du tout la foi du peuple. » *Ex articulo edito in diario* « *L'Univers* », 18 septembre 1888. Eadem repetit in libello, cui titulus : *L'idée russe*, Parisiis, 1888 : « Notre religion, en tant qu'elle se manifeste dans la foi du peuple et dans le culte divin, est parfaitement orthodoxe. L'Église russe, en tant qu'elle conserve la vérité de la foi, la perpétuité de la succession apostolique et la validité des sacrements, participe, quant à l'essence, à l'unité de l'Église universelle, fondée par le Christ... L'institution officielle qui est représentée par notre gouvernement ecclésiastique et par notre école théologique, et qui maintient à tout prix son caractère particulariste et exclusif, *n'est pas, certes, une partie vivante de la vraie Église universelle fondée par le Christ..... Une Église qui fait partie*

*d'un État, d'un royaume de ce monde, a abdiqué sa mission, et devra partager la destinée de tous les royaumes de ce monde.* Elle n'a plus en elle-même aucune raison d'être; elle se condamne à la débilité et à la mort... Une institution que l'Esprit de vérité a abandonnée ne peut pas être l'Église véritable de Dieu. Pour le reconnaître, il ne faut pas abdiquer la religion de nos pères, il ne faut pas renoncer à la piété du peuple orthodoxe, à ses traditions sacrées; à toutes les choses saintes qu'il vénère. Il est évident, au contraire, que la seule chose que nous devons sacrifier à la vérité, c'est l'établissement pseudo-ecclésiastique qui a pour base l'intérêt matériel et pour moyen d'action la fraude et la violence. » *L'idée russe*, p. 22, 28. Cf. d'Herbigny, *Un Newman russe : Vladimir Soloviev*, Parisiis, 1909, p. 240 sq. Ex his patet Vladimirum Soloviev thesi nostræ non contradicere, sed potius illam firmare. Nos enim non de multitudine populi Russici in bona fide versantis loquimur, sed de illa institutione pseudo-ecclesiastica, quam tam acriter carpit russus scriptor.

## II

### De existentia bonae fidei apud dissidentes circa veram Ecclesiam.

Experientia constat multos dissidentes quum Orientales tum Occidentales bona fide errare circa existentiam veræ Christi Ecclesiæ. Talis ignorantia non solum apud rudes et incultos, verum etiam apud litteratos et doctos deprehenditur. Persæpe enim accidit, ut apud ipsos vera notio catholicæ doctrinæ adulteretur. Quot sunt, v. g., inter Protestantes et Græco-Russos, qui dogma infallibilitatis romani Pontificis male intelligant !

« Multi Protestantes, ait Tanquerey, existimant infallibilitatem nihil aliud esse nisi impeccabilitatem (quæ notio non solum apud populares invenitur, sed etiam apud viros aliunde doctos et sapientes, ut mihi apprime notum est ex multiplici cum Protestantibus confabulatione); alii dicunt Pontificem posse, vi hujus privilegii, declarare bonum id quod revera malum est, ita ut ejus voluntas sit regula boni et mali; non-

nulli contendunt infallibilitatem idem esse ac omniscientiam vel involvere inspirationem, imo quasi unionem hypostaticam S. Spiritus cum Papa, aut potestatem continuo miracula patrandi. Incredibile quidem videtur notionem aliunde simplicem et perspicuam tot variis modis adulterari posse; sed quum res ita sit, apologetæ et prædicatoris officium est hoc dogma dilucide exponere ac vindicare [1]. »

Notissimus theologus russus, Alexius von Maltzew, in congressu secundo Velehradensi, anno 1909 habito, candide confessus est se hactenus credidisse catholicam Ecclesiam docere impeccabilitatem Papæ, voce russica *nepogrêschimost*, qua plerumque utuntur Russi ad vertendam latinam vocem *infallibilitas*, deceptus. Unde votum emisit, ut deinceps Russi aliam vocem, scilicet *bezoschibotchnost*, ad exprimendum dogma catholicum adhiberent [2].

In sua opella *De sodalitate precum pro reditu Ecclesiæ græcorussicæ ad catholicam unitatem sub patrocinio beatæ Mariæ virginis immaculatæ*, P. Tondini hoc factum refert ex *Vita* anglice conscripta Patris Ignatii Spencer a sancto Paulo Passionistæ, qui fuit celeberrimus inter Anglos veritatis catholicæ propagator :

« Dans un entretien qu'il eut avec le pape Pie IX, le 30 janvier 1852, au sujet de l'*Association de prières, pour la conversion de l'Angleterre*, le P. Ignace Spencer demanda qu'en désignant ses compatriotes, on s'abstînt de les appeler *hérétiques :* « Je ne me reconnais pas coupable, dit-il au pape, « d'hérésie volontaire avant ma conversion, et je n'en recon- « nais pas coupables mes compatriotes en général. — Ah! que « dites-vous ? » répliqua le pape; mais, après un instant de réflexion, il consentit, par un gracieux signe de tête, à la demande du P. Spencer. C'est pourquoi dans la lettre que la Propagande délivra à ce dernier, on ne lit pas *hæreticorum*, mais tout simplement *acatholicorum* [3]. »

1. *Synopsis theologiæ dogmaticæ fundamentalis*, editio XII^a^, Parisiis, 1908, p. 468.

2. *Acta II Conventus Velehradensis*, Pragæ Bohemorum, 1910, p. 18.

3. Césaire Tondini, *Notice sur l'Association de prières*, p. 38. Parisiis, 1876. Cf. *Life of Father Ignatius of Saint-Paul, Passionist (the Hon. and Rev. George Spencer), by the Rev. Father Pius a Sp. Sancto, Passionist.* Dublin, 1866, p. 420, 421.

Cæterum, Pius papa IX non semel publice agnovit existentiam invincibilis ignorantiæ circa catholicam Ecclesiam inter acatholicos, ut videre est tum in Allocutione *Singulari quadam* (9 dec. 1854) tum in Encyclica *Quanto conficiamur* (10 augusti 1863) : *Pro certo habendum est*, inquit Pontifex in Allocutione laudata, *qui veræ religionis ignorantia laborant, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi hujusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut hujusmodi ignorantiæ designare limites queat ju ta populorum, regionum, ingeniorum, aliarumve rerum tam multarum rationem et varietatem ?*

Ad Græco-Russos quod spectat, notandum est illos inveniri in meliori conditione relate ad possibilitatem invincibilis ignorantiæ circa veram Christi Ecclesiam quam Protestantes. Etenim in paucis tantum a nobis dissident, apostolicam pastorum successionem servaverunt, traditionem ut Revelationis fontem non rejecerunt. Unde facilius credere possunt se in vera Christi Ecclesia exstare; præjudicia vero contra Ecclesiam romanam apud eos longa sæculorum serie radicata sunt ac firmata.

Huic notæ finem imponamus, clarorum quorumdam virorum verba recitando de existentia bonæ fidei apud Græco-Russos :

« Bien des Russes, ait P. Gagarin, trompés par le mot *nepogrêchimost*, confondent l'infaillibilité avec l'impeccabilité, et s'imaginent que, d'après la doctrine catholique, le pape ne peut pas pécher. Cela va si loin qu'un professeur appartenant à une des premières universités de Russie et que je ne veux pas désigner autrement, à cause de l'estime que j'ai pour sa personne, est allé jusqu'à dire, dans une lettre qui a été imprimée, qu'il voyait une contradiction entre le titre de *Sainteté*, que l'on donne au pape, et le confesseur qui est attaché à sa personne : « S'il est saint, il ne pèche pas ; et « s'il ne pèche pas, à quoi bon un confesseur[1] ? »

Item A. Tilloy scribit : « Loin de nous la pensée d'incriminer la sincérité de nos frères dissidents ! Nous devons au

1. J. Gagarin, *Les Starovières, l'Église russe et le pape,* dans les *Études de théologie*, t. II, Paris, 1864, p. 78. Forsan, hic professor ignorabat patriarcham œcumenicum Constantinopolitanum titulo *Sanctissimi*, ἡ αὐτοῦ παναγιότης, apud Græcos decorari. Nunc etiam Serborum patriarcha *Sanctissimus* audit.

contraire la présumer, et on le conçoit sans peine. Les chrétiens orthodoxes ont été entretenus dès leur enfance dans les préjugés de leurs ancêtres contre l'Église romaine; ils croient à leur Église, et l'on conçoit qu'ils considèrent comme fondées les erreurs qu'ils attribuent aux Latins. Si ceux-là mêmes qui n'ont pas eu à conquérir la vérité catholique, parce qu'ils ont été bercés sur ses genoux et allaités sur son sein, la contredisent souvent, est-il étonnant qu'elle soit également contredite par ceux qui ne la connaissent pas, ou qui ne l'aperçoivent qu'à travers l'épais nuage des préjugés qui la défigurent ? Pour conclure à la mauvaise foi, il faudrait lire au fond des cœurs, comme Dieu [1]. »

« Il y a assurément, dit D. Van Caloen, art. cit., dans l'Église grecque de nos jours de vrais schismatiques, surtout dans le haut clergé, des hommes qui, s'inspirant de l'histoire des siècles à jamais oubliés par les populations chrétiennes, cherchent par ambition personnelle à tenir les chrétiens d'Orient séparés de Rome. Encore ces hommes sont-ils peu nombreux. La grande majorité des Orientaux, nous en sommes persuadés, n'est pas formellement schismatique; ils sont induits en erreur, mal renseignés sur les faits, dans une parfaite bonne foi, et sans obstination schismatique. » *Revue bénédictine*, t. VIII, p. 121.

Notandum est tamen ignorantiam Ecclesiæ catholicæ ejusque doctrinæ, nostris diebus, paulatim apud Orientales minui ob multitudinem collegiorum, scholarum aliorunque piorum operum, quæ a missionariis catholicis in his regionibus passim constituta sunt. Quæ de separatis in genere P. M. d'Herbigny scribit, multis hodiernis dissidentibus Orientis speciatim congruere possunt : « Practice, inquit, multi separati sistunt in hac *mediocri* conclusione : « Catholica « Ecclesia certo est via *perfectior;* mihi tamen, qui non sum « obligatus ad perfectiora, non est obligatoria. » Sic dispositi, propter male formatam conscientiam, possunt per accidens excusari a gravi peccato. Sæpius tamen motivum propter quod retrahuntur a perfectiore via, implicat materiam peccati saltem venialis [2]. »

1. A. Tilloy, *Les Églises orientales et l'Église romaine*, Parisiis, 1889. p. VIII, IX.
2. *Theologica de Ecclesia*, t. I, p. 136.

## SECUNDA QUÆSTIO

### DE HABITUDINE ORIENTALIUM DISSIDENTIUM AD ECCLESIAM CATHOLICAM

#### I. — Prænotamina.

Ad determinandam veram habitudinem dissidentium Orientalium ad Ecclesiam catholicam, quædam principia theologica in memoriam revocare necesse est.

*Primum principium.* — Non existit nisi una vera Ecclesia a Christo fundata, invisibilis simul ac visibilis, ad modum veræ societatis visibilis in terris constituta, romano Pontifici subjecta, cujus membra per baptismum aggregantur, ejusdemque fidei professione ac eidem regimini religioso obedientia exterius dignoscuntur. De fide.

*Secundum principium.* — Ecclesia catholica est societas necessaria non solum necessitate præcepti, *verum etiam necessitate medii ad salutem*, ita ut extra illam nemo salvari possit. Fidei proximum.

Ut quis ad æternam salutem tandem perveniat, necesse omnino est, ut veræ Ecclesiæ catholicæ *aliquo modo* tanquam membrum inseratur. « Tantæ nimirum necessitatis est Ecclesia Christi, quantæ consortium et conjunctio est cum Christo capite et mystico ejus corpore, præter quod nullam aliam communionem ipse nutrit et fovet tanquam Ecclesiam suam... *In instituto salutaris providentiæ ordine, communicatio Sancti Spiritus, participatio veritatis et vitæ non obtinetur nisi in Ecclesia et per Ecclesiam, cujus caput est Christus.* Hinc dogma fidei est extra Ecclesiam salvari neminem posse; neque tamen, qui circa Christum ejusque Ecclesiam invincibili ignorantia laborant, propter hanc ignorantiam pœnis æternis damnandi sunt, cum nulla obstringantur hujusce rei culpa ante oculos Domini. Immo quoniam Deus vult omnes salvos fieri, idcirco si hujusmodi homines faciunt quod in se est, divina gratia non privantur a Domino, ut justificatio-

nem et vitam æternam consequi possint. *Quam si consequantur, non ideo extra Ecclesiam salvantur; omnes enim justificati ad Ecclesiam sive re, sive voto pertinent.* Nemo vero salvus esse potest, qui a fidei unitate, vel ab Ecclesiæ communione culpabiliter sejunctus ex hac vita decedit; si quis in hac arca non fuerit, peribit, regnante diluvio [1]. »

Hinc constat propositionem a sancto Cypriano olim propugnatam : *Extra veram Ecclesiam nulla datur gratia spiritualis* [2], esse veram in se. Omnis enim gratia, etiam illa quæ dicitur gratis data, in cœtibus christianis dissidentibus in quibusdam casibus collata ac distributa, ex Ecclesia catholica tanquam ex depositorio unico provenit. Errabat autem sanctus martyr, dum putabat nullum heterodoxum a Christo vel ab Ecclesia assumi posse tanquam causam instrumentalem gratiæ collatricem.

*Tertium principium.* — Vera Ecclesia quasi duplici elemento constat, anima scilicet invisibili, et corpore sociali visibili. Anima Ecclesiæ est ipse Deus unus et trinus, prout est auctor (per modum causæ principalis) vitæ supernaturalis donorumque omnium spiritualium Ecclesiæ membris communicatorum. « Si causam principalem quæras, dona supernaturalia in Ecclesiam dimanantia a tribus personis divinis æqualiter procedunt. Tribuuntur autem modo Patri, qui est origo omnis boni, modo Verbo seu Christo Deo, propter humanitatem conjunctam, modo et sæpissime Spiritui Sancto, cui specialius appropriantur [3]. Hinc Spiritus Sanctus communiter apud

1. Ex *decreto de Ecclesia Christi* a Commissione theologico-dogmatica concilii Vaticani præparato, cap. VI et VII. In principio hujus constitutionis hæc etiam leguntur : « *Deus ac salvator noster totius salutiferæ doctrinæ veritatem et mediorum salutis thesauros in Ecclesiam suam tanquam in depositorium dives contulit, ut omnes sumant ex ea potum vitæ.* » Inter canones huic constitutioni annexos, quintus sic sonabat : *Si quis dixerit Ecclesiam Christi non esse societatem ad æternam salutem consequendam omnino necessariam, aut homines per cujusvis religionis cultum salvari posse, anathema sit.*

2. Propositio Quesnelli vigesima : *Extra Ecclesiam nulla gratia conceditur*, fuit damnata, quia in hac propositione, nomine Ecclesiæ venit corpus *Ecclesiæ visibile,* non vero Ecclesia simpliciter, prout est simul visibilis et invisibilis, prout constat *anima et corpore.* Propositio quesnelliana subaudit errorem sancti Cypriani.

3. G. Van Noort, *Tractatus de Ecclesia Christi*, ed. tertia, Amstelodami, 1913, p. 81.

Patres et theologos audit « *anima* (utique in sensu appropriativo) *corporis Christi mystici*. »

Corpus Ecclesiæ, prout ab ejus anima distinguitur, est ipse organismus socialis visibilis Ecclesiæ catholicæ. « Quidquid incurrit in oculos, ad Ecclesiæ corpus pertinet; quod ideo distinguitur ab ipsa Ecclesia, quatenus est societas externa et visibilis. Ad illud ergo spectant oves et pastores, subditi et præpositi, et vincula externa, quibus hi mutuo in unam societatem visibilem colligantur [1]. » Nota hanc Ecclesiæ socialem unitatem ab ipsa anima Ecclesiæ tanquam effectum causæ principalis oriri.

Elementa præcipua vitæ interioris supernaturalis quam anima Ecclesiæ in membra influit, sunt : gratia habitualis sanctificans, virtutes theologicæ et dona Spiritus Sancti. Hæc tria elementa non raro a theologis per metonymiam *anima Ecclesiæ* vocantur; per ipsa enim, Ecclesiæ membra fiunt realiter viva. Sunt tamen alia dona invisibilia, quæ a Spiritu Sancto et Christo capite in Ecclesiam dimanant, scilicet multiplices gratiæ actuales, charismata extraordinaria, character sacramentalis. Hæc *rationem animæ aliquo modo participant*, sed *deficienter tantum;* nam sola gratia sanctificans membra Ecclesiæ reddit simpliciter et absolute viva [2].

*Quartum principium.* — Baptismus aquæ valide et rite in Ecclesia catholica susceptus requiritur ac sufficit ad perfecte incorporandum baptizatum corpori Christi mystico, id est, Ecclesiæ catholicæ, quoad utrumque ejus elementum. Talis

1. H. Hurter, *Theologia generalis*, ed. undecima, Œniponte, 1903, p. 259, 260.

2. Van Noort, *op. cit.*, p. 83. Duplicem loquendi modum theologorum de anima Ecclesiæ animadverte. Quidam, vestigiis Patrum antiquorum pressius inhærentes, ipsam Spiritus Sancti personam vocant animam Ecclesiæ. Alii vero, notantes Spiritum Sanctum non posse esse *causam formalem* vitæ supernaturalis animarum sanctarum, sed tantum una cum Patre et Filio causam efficientem principalem, dicere malunt animam Ecclesiæ esse ipsam gratiam sanctificantem una cum virtutibus infusis eam necessario comitantibus. Uterque loquendi modus in rerum veritate fundamentum habet. Ceterum comparatio ex anima et corpore hominis desumpta ad Ecclesiam transferri non potest nisi cum debitis exceptionibus; claudicat enim, sicut quævis comparatio.

enim baptismus omnia peccata delet, vitam supernaturalem confert, ac baptizatum efficit membrum Ecclesiæ qua societatis visibilis. Propositio est de fide.

*Quintum principium.* — Baptismus aquæ in Communione dissidenti valide collatus subjecto usu rationis carenti, incorporat perfecte baptizatum Ecclesiæ catholicæ. Hinc parvuli ex hæreticis nati et ab hæreticis valide baptizati, inter vera Ecclesiæ catholicæ membra computandi sunt. Propositio de fide dici potest, quia utrumque est definitum scilicet « parvulos, suscepto baptismo, inter fideles computandos esse », et « baptismum ab hæreticis datum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, esse verum baptismum » (Concil. Trid., sess. VII, can. 4 et 13).

*Sextum principium.* — Baptismus aquæ a dissidente usu rationis gaudente et bona fide errante valide ac rite susceptus sufficit ad hunc perfecte conjungendum animæ Ecclesiæ; sed imperfecte tantum, id est *implicite ac voto*, illum connectit corpori Ecclesiæ, quatenus est societas visibilis. Propositio certa ex fide. Duplici etenim modo ad Ecclesiam, qua societatem visibilem, baptizatus tanquam membrum pertinere potest, re scilicet vel voto. Ille re, juridice ac perfecte ad corpus Ecclesiæ pertinet, qui suam incorporationem exterius manifestat per publicam fidei catholicæ professionem atque hierarchiæ catholicæ præstitam obedientiam. Voto autem tantum, implicite ac imperfecte ad corpus Ecclesiæ pertinet baptizatus dissidens bona fide errans. Hic enim, vi præparationis animi, qua est interne dispositus ad se conjungendum veræ Ecclesiæ, si illam agnosceret, est quasi membrum inconscium veræ Ecclesiæ. Ecclesia vero, quæ de mere internis non judicat, illum habet juridice ac canonice ut hæreticum et schismaticum extra suum corpus sociale versantem, quamdiu ipsi publice non adhæret.

*Septimum principium.* — Dissidentes impuberes non reputantur ab Ecclesiæ corpore juridice separati, quatenus excusantur a pœnis latæ sententiæ in schismaticos atque hæreticos Ex jure canonico, can. 2230.

Ex his principiis sequentes conclusiones deducimus :

### II. — Prima conclusio.

*Ecclesiæ dissidentes, qua societates religiosæ, nullo modo haberi possunt tanquam membra vel partes veræ Ecclesiæ a Christo fundatæ, quasi Ecclesia catholica seu universalis omnium sectarum christianarum conglomeratio seu confœderatio esset.*

Hæc conclusio sponte fluit ex primo principio de unitate ac visibilitate veræ Ecclesiæ. « Vera enim Ecclesia ita in sua constitutione est determinata, ut quæcumque societates a fidei unitate vel a communione hujus corporis sejunctæ nullo modo pars ejus aut membrum dici possint; neque per varias christiani nominis consociationes dispersa est atque diffusa, sed tota in se collecta penitusque cohærens, in sua conspicua unitate indivisum ac indivisibile corpus præferens, quod est ipsum corpus mysticum Christi [1]. »

Conceptio huic conclusioni opposita jam inde a sæculo XVII inter Protestantes suos habuit studiosos; nostris vero diebus, inter diversas Protestantium sectas communis evasit, multique Græco-Russi illam amplexi sunt, ut postea videbimus.

Quælibet Ecclesiæ dissidentes, præcise qua organismi religiosi, sunt omnino ad salutem consequendam inutiles; immo magna salutis obstacula mortisque instrumentum dicendæ sunt, quatenus a vera salutis arca homines longe retinent. Si vero suis fidelibus bona fide errantibus ac bene dispositis quandoque prosint, illisque vitam divinam transfundere valeant, hoc fit per accidens, inquantum scilicet ex divinæ providentiæ dispositione, vel etiam ex positiva veræ Ecclesiæ voluntate in certis casibus assumuntur tanquam merum instrumentum vel canalis ad dona spiritualia conferenda. Ex se namque nullam gratiam spiritualem ha-

1. *Schema concilii Vaticani de Ecclesia*, cap. v, can. 4, huic schemati annexus sic habet : « Si quis dixerit veram Ecclesiam non esse unum in se corpus, sed ex variis dissitisque christiani nominis societatibus constare, per easque diffusam esse, aut societates alias ab hujus corporis communione sejunctas, vel a plena professionis fidei unitate dissentientes, membra esse aut partes Ecclesiæ Jesu Christi, anathema sit. »

bent, quam animabus tradant; quidquid autem ex Redemptionis thesauris retinent, ex vera Ecclesia manat, et ad eam tanquam bonum proprium pertinet. Ita, v. g., hierarchia dissidentium Orientalium potestatem ordinis servat olim in Ecclesia catholica receptam, valideque pleraque sacramenta conficere vel conferre potest. Ita etiam, supposita explicita vel tacita concessione juridictionis a Romano Pontifice facta, eadem hierarchia suos fideles bona fide errantes ac rite dispositos a peccatis absolvere potest.

### III. — Secunda conclusio.

*Hæretici schismaticique formales quum in Oriente tum in Occidente existentes communiter dicuntur esse extra veram Ecclesiam quoad utrumque ejus elementum. Pertinent tamen semper aliquo modo imperfectissimo tum ad animam tum ad corpus veræ Ecclesiæ, quatenus videlicet retinent characterem sacramentalem, quo a meris infidelibus secreti remanent, et vi cujus catholica Ecclesia in illos servat veram jurisdictionem illosque quandoque assumit tanquam instrumentum gratiæ collativum.*

Theologi fere omnes, quando tractant de Ecclesiæ membris, nullam ponunt differentiam infideles inter et hæreticos schismaticosque formales; dicunt siquidem hos omnes simpliciter esse tum extra animam tum extra corpus Ecclesiæ. Quidam tamen, post sanctum Thomam, aliter loquuntur. Et revera hæretici schismaticique formales infidelibus omnimode æquiparari non possunt. Quamvis enim sua et Ecclesiæ voluntate extra Ecclesiam consistant mortique spirituali subjaceant, aliquam tamen connexionem imperfectam cum vera Ecclesia semper retinent propter characterem sacramentalem, qui natura sua indelebilis est. Unde recte sanctus Thomas dicit : « Quia character baptismalis, quo quis populo Dei annumeratur, est indelibilis, ideo semper remanet baptizatus aliquo modo de Ecclesia : et sic Ecclesia semper de ipso judicare potest [1]. »

Item, in *Breviore synopsi theologiæ dogmaticæ* Tanquerey a Quevastre-Hebert confecta, dicitur : « Imperfecte sunt mem-

1. *Supplementum*, quæst. XXII, art. VI ad. I.

bra Ecclesiæ : 1. hæretici, qui pertinaciter et publice fidei catholicæ veritatem negant vel in dubium revocant... 2. Schismatici, qui pertinaciter et publice ab obedientia legitima superioribus debita sese substrahunt [1].»

G. Van Noort ipse, postquam pronuntiavit hæreticos schismaticosque formales non esse membra Ecclesiæ, hæc tamen addit : « Hæretici, schismatici et excommunicati, etsi non sunt actu membra Ecclesiæ, nunquam omni relatione ad Ecclesiam exuuntur. Manet enim in iis character baptismalis, cujus vim aggregativam ipsi actibus suis (objectice saltem malis) impediunt quidem, sed non auferunt. Hinc quamdiu vivunt, *jure debitoque* ad Ecclesiam pertinent, ejusque jurisdictioni subsunt, etsi utrumque invincibiliter ignorare queunt [2]. »

Van Noort non loquitur nisi de charactere baptismali ; sed ad characterem sacerdotalem, cujus efficaciam in plerisque Ecclesia ne quidem impedire vel ligare potest, etiam attendendum est. Vi hujus characteris, episcopi et sacerdotes hæretici vel schismatici etiam formaliter ac pertinaciter rebelles, sacramenta Ecclesiæ valide administrare vel conficere queunt.

Quia autem character sacramentalis, etsi natura sua sit invisibilis, sensibiliter tamen per sacramenti publicam receptionem manifestatus fuit, ideo propter hunc dicimus hæreticos schismaticosque formales aliquo modo (id est, modo declarato), quum ad animam tum ad corpus veræ Ecclesiæ semper pertinere, atque meris infidelibus e toto æquiparandos non esse.

### IV. — Tertia conclusio.

*Dissidentes Orientales bona fide errantes* : 1° *tanquam membra pertinent ad animam veræ Ecclesiæ perfecte* vel *imperfecte, prout fidem cum charitate, vel solam fidem informem habent;* 2° *juridice ac canonice habentur extra corpus Ecclesiæ, qua societatis;* 3° *voto implicito, etiam ad corpus sociale Ecclesiæ pertinent;* 4° *Propter characterem sacramentalem modo imper-*

1. *Brevior synopsis theologiæ dogmaticæ*, ed. 1919, p. 112-113.
2. *Op. cit.*, p. 170.

*fecto tum ad animam tum ad corpus Ecclesiæ pertinent, quemadmodum de hæreticis et schismaticis formalibus declaratum est.*

Conclusio per se patet, post ea quæ jam diximus.

### V. — Corollaria.

1º Ex his apparet erroneam esse conceptionem mere juridicam eorum qui absolute et sub quovis respectu ab Ecclesia catholica excluderent quotquot de facto cum ejus organismo hierarchico ac sociali non communicant. In praxi tamen, talis conceptio tum fidelium, tum etiam missionariorum catholicorum mentes subire potest.

2º Certum est Ecclesiam catholicam inter dissidentes Orientales multos filios ignotos possidere. Etenim non solum parvuli et impuberes in sectis dissidentibus nati ac baptizati ad eam tanquam vera membra pertinent, verum etiam quotquot in bona fide versantur circa existentiam veræ Ecclesiæ, voto ei adhærent.

3º Magna cum charitate, tanquam fratres in fide infirmi, dissidentes Orientales a catholicis tractandi sunt ac fovendi. Si enim bona fide errent, — et plerumque certo scire impossibile est quinam sint malæ fidei — sunt vere, quamvis non complete, Ecclesiæ catholicæ membra. Ne igitur illos habeamus tanquam ethnicos aç infideles ex toto convertendos, quasi nil christiani haberent.

4º Ad hanc fraternam charitatem acquirendam, juvat considerare omne donum spirituale, quod separati fratres in sua secta accipiunt, ab Ecclesia catholica tanquam ab originali fonte manare. Sacramenta enim et alia dona spiritualia sunt veræ Ecclesiæ propria bona, et quando ex hoc thesauro dissidentes aliquid accipiunt, ab Ecclesia catholica matre ultimo accipiunt.

5º Missionarius timere non debet ne dissidentibus veram Ecclesiam libere prædicando ac aperte revelando, illorum bonam fidem auferat. *Deus enim vult omnes homines ad agnitionem veritatis venire* (I Timoth., II, 4), et Christus Apostolis præceptum dedit *prædicandi Evangelium omni creaturæ* (Marc., XVI, 15). Prædicatio veritatis fit, *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes* (Luc., II, 35). Quando dissiden-

tium mentibus lumen crescit, gratia etiam divinitus illis augetur, ut veritati cognitæ obsequi valeant. Prudentia tamen et divina arte apostolo opus est ad manifestandam Matrem Ecclesiam filiis qui inculpabiliter eam adhuc ignorant. Si iis qui in domo sunt dispensator *fidelis et prudens semper curare debet, ut det in tempore tritici mensuram* (Luc., XII, 42), quanto magis erga illos qui extra domum vagantur hæc agendi ratio servanda!

6º Ex doctrina supra tradita patet quam injusta sit ac calumniosa illa intolerantiæ criminatio quam acatholici contra veram Ecclesiam tam sæpe urgent. Si enim ex una parte, vera Ecclesia confidenter declarat neminem extra seipsam salvari posse, ex alia clare ostendit quomodo bonæ fidei jura atque Dei voluntas omnes salvandi cum hac doctrina optime concilientur.

## ADNOTATIONES AD SECUNDAM QUÆSTIONEM

### I

#### De membris occultis et ignotis veræ Ecclesiæ.

Diximus dissidentes Orientales bona fide errantes voto implicito ad corpus Ecclesiæ catholicæ pertinere. Hoc communiter tenent theologi non solum de dissidentibus baptizatis, verum etiam de infidelibus in bona fide versantibus. Manet tamen semper certa differentia *in gradu conjunctionis cum Ecclesia*, ceteris paribus, inter merum infidelem et dissidentem christianum, propter characterem baptismalem.

De infidelibus L. Capéran hæc dicit : « Par analogie avec le composé humain, on peut distinguer le corps et l'âme de l'Église... Cette distinction posée, on dit souvent que les justes vivant en pays païen, sans aucune idée de l'Église, appartiennent à l'âme de l'Église. La formule est malheureuse dans la mesure où elle conduirait à penser que ces justes forment une Église invisible, dédoublement de l'autre, et qu'il ne saurait être question pour eux d'agrégation à la société visible établie par Notre-Seigneur... Dans l'économie présente, toute grâce est donnée en considération de

l'Église, devient une force attractive vers l'Église, arrive à unir à l'Église, par le lien de la foi implicite, toutes les âmes de bonne foi. On ne possède en soi la vie surnaturelle qu'en étant membre de l'Église. En un mot, de par la volonté divine, l'appartenance au corps de l'Église est un moyen de salut indispensable. Au lieu de laisser entendre qu'il suffit de faire partie de l'âme de l'Église — ce qui serait pour autant trahir la doctrine traditionnelle —, il faut dire que les hommes de bonne volonté appartiennent *de cœur* à l'Église visible. Lorsque, en raison d'une ignorance invincible, l'incorporation dans la société catholique ne se réalise pasen fait, le désir même implicite d'en faire partie supplée à l'incorporation effective [1]. Les dispositions favorables d'une conscience qui ne sait pas, qui ne peut savoir, tiennent lieu de la démarche extérieure impossible. Le vouloir particulier de cette démarche n'est-il pas réellement inclus dans le dessein général d'honorer et de servir Dieu, comme il veut être honoré et servi? En ce sens, l'Église visible possède beaucoup plus de membres qu'elle ne compte de baptisés [2]. »

Item P. Bainvel : « Le désir inhérent à l'acte même de charité (connaître la volonté de Dieu pour l'accomplir) implique celui d'appartenir à l'Église dans la mesure du possible. L'âme qui veut vivre de la vie divine veut vivre par là même dans le milieu normal où circule cette vie divine, là où s'exerce comme dans sa sphère propre d'action, l'influence du Saint-Esprit. Elle veut donc implicitement appartenir au corps même de l'Église [3]. »

Casum dissidentium christianorum tangit J.-B. Terrien, in suo opere : *La grâce et la gloire*, t. I, p. 330-331 : « Du rapport entre le Christ et l'Église, la tête et le corps, il suit manifestement que personne n'est incorporé au Christ, qu'il ne le soit à l'Église. Un membre du Christ pourrait-il être séparé du corps du Christ? Voilà pourquoi le baptême, en nous faisant membres de Jésus-Christ, nous fait aussi membres de l'Église. S'il est vrai que celle-ci nous engendre

1. Nota votum hujusmodi supplere non quoad omnia, sed quoad consecutionem salutis.

2. L. Capéran, *Le problème du salut des infidèles : Essai théologique*, Paris, 1912, p. 81 sq.

3. J. V. Bainvel, *Hors de l'Église point de salut*, Paris, 1913, p. 50.

comme ses fils, quand elle nous baptise, cette naissance a cela de singulier que la mère garde dans son sein les enfants qu'elle y forme... Ceux-là mêmes qui, par le malheur de leur naissance ou pour toute autre cause qui ne les rend pas coupables, reçoivent extérieurement le baptême hors de l'Église, ceux-là, dis-je, sont enfantés en elle et par elle, et lui restent unis comme des membres au corps, dans la mesure où ils sont unis à Jésus-Christ lui-même : tant il est vrai qu'une incorporation ne va pas sans l'autre, ou, pour parler plus exactement, qu'il n'y a qu'une seule et même incorporation. »

## II

### De arte adducendi dissidentes ad agnoscendam Matrem Ecclesiam.

Ut dissidentes Orientales ad agnoscendam veram Ecclesiam adducantur, parum vel nihil proficient controversiæ et disputationes facie ad faciem, immo non raro officïent. Multum autem conferent : oratio assidua, fraterna charitas, morum integritas conspicua, opera pia, amica colloquia, pacifica veritatis manifestatio, scripta irenica de quæstionibus controversis, lectio librorum asceticorum Vitarumque sanctorum Ecclesiæ catholicæ. Ut quidam theologus anglicanus scripsit : *Nemo unquam e propria religione argumentis expulsus est.*

De prima animi præparatione in dissidentibus fovenda M. d'Herbigny hæc optima scribit : « Generatim prior cura sit ut recte, ante omnem argumentationem, suam ordinent voluntatem ad Deum. Optima enim condicio ejus qui sic disponatur : *Ubicumque sit vera Dei religio* (legitima Dei Ecclesia) *paratus sum et volo cum auxilio Dei omnia facere, ut ad eam admittar.* Sic enim præcavetur periculum culpæ formalis contra fidem; quæ sæpius committitur, si intellectus illuminetur, non præparata voluntate. Aliunde vero, homo perfecta tunc caritate per gratiam Dei dispositus, etiamsi postea diu (aut, per accidens, semper) nequeat percipere intellectu falsitatem suæ religionis, jam tamen « seipsum « ordinavit ad debitum finem per gratiam » (S. Thomas, I II$^{æ}$, q. LXXXIX, ad 6$^{um}$), et vi saltem illius voti, quamdiu durat, participat ab Ecclesia Christi possibilitatem salutis. Denique,

ut patet, talis proxime disponitur ad externam quoque participationem Ecclesiæ, ut primum eam dignoscet [1]. »

Juvat hic transcribere quæ de prudentia et discretione pastoribus Ecclesiæ necessariis habet Bossuetius in opere *Meditations sur l'Évangile :* « Le *Maître a établi cet économe,* cet intendant, ce dispensateur, *pour être fidèle, pour être prudent, pour donner la nourriture à sa famille,* pour la lui donner *dans le temps;* pour la lui donner *avec mesure.* Te voilà, ô Pierre! Vous voilà, pasteurs! Il faut être fidèles : donner fidèlement ce que le Maître a mis en vos mains pour le distribuer, les instructions, les sacrements. Voilà ce que c'est qu'être fidèles : ne s'attribuer rien; ne rien retenir de ce qu'il a voulu que vous donnassiez. O économe! ô intendant spirituel! tu n'as rien à toi, tu n'as rien pour toi, puisque toi-même tu es tout aux autres. *Tout est à vous, soit Paul, soit Céphas, tout est à vous : et vous êtes à Jésus-Christ,* disait saint Paul (*I Corinth.*, III, 22, 23). Tout est à vous. Il faut donc être fidèle, et se donner tout entier au peuple de Dieu. Mais outre la fidélité, il faut la prudence, pour donner dans le temps, pour donner avec mesure : prendre les moments favorables d'une affliction, du ralentissement d'une passion, d'une maladie, d'une grande perte; être attentif à ce moment : « Voyez; Dieu vous avertit; Dieu vous frappe; Dieu vous réveille. » Voilà le premier effet de la prudence; *prendre le temps;* sinon, on rendra compte à Dieu du moment perdu et de la damnation de son frère. Le second : *donner avec mesure;* pas plus qu'on ne peut porter : *Ne donnez pas le saint aux chiens, ni les perles aux pourceaux* (Matth., VII, 6) : ne prêcher pas les hauts mystères de la communication avec Dieu aux âmes encore impures, qui ont besoin qu'on les étonne, qu'on les effraie; ne donner pas l'absolution ni la communion précipitamment; ne la donner pas aux chiens et aux pourceaux, aux âmes encore impures; aller par degrés; gagner peu à peu. Mais néanmoins il vient un temps qu'il n'y a point de temps, qu'il n'y a point de mesure à garder. Ici on dit : *Ne reprenez pas, mais avertissez* (I Timoth., V, 1); là, *Il faut reprendre avec modestie* (II Timoth., II, 25); ailleurs, *Reprenez durement* (Tit., I, 13); ailleurs, *Dans le*

1. *Theologica de Ecclesia,* t. I, p. 136.

*temps, hors du temps, à propos, et hors de propos* (II Timoth., IV, 2); autrement, tout est perdu. Voilà donc la fidélité et la prudence d'un bon serviteur.

« Deux choses nécessaires à régler : le fond et la manière. Le fond : il faut donner, soyez fidèle. La manière : il faut donner à propos, et avec les proportions, les convenances requises; autrement, vous n'êtes pas ce serviteur digne que le maître l'emploie à gouverner sa famille, parce que vous ne donnez rien par infidélité; ou lorsque vous donnez, ce que vous donnez tourne à rien par votre imprudence [1]. »

1. *Préparation à la première semaine du Sauveur,* LXXXVIIe jour.

# PROLEGOMENA

AD

# THEOLOGIAM DOGMATICAM

## GRÆCO-RUSSORUM

De theologia dogmatica Græco-Russorum acturi, necessarium omnino ducimus in modum prolegomenorum præmittere non pauca de origine, de historia necnon de fontibus hujus theologiæ.

Theologia græco-russica, quatenus disciplinam a theologia catholica diversam constituit, ab ipso facto separationis utriusque Ecclesiæ, romanæ scilicet et byzantinæ, originem ducit. Etenim, ante hanc lugendam separationem, in orbe catholico non exstabant duæ theologiæ, sed una tantum, quæ tum in Oriente tum in Occidente a communi fide sua mutuabatur principia. Sermo quidem erat de Patribus et theologis græcis, de Patribus et theologis latinis; at hi omnes mente catholici erant, unam eamdemque Ecclesiam agnoscentes, quam ut Matrem contra hæreticos qualescumque concorditer defendebant. Ex quo autem inter utramque unius Ecclesiæ partem dissidium ortum, tunc et divisio in re theologica quasi necessario apparuit, quia, ut jam supra diximus, sine hæresi perversaque doctrina schisma diu subsistere nequit. Cum vero Ecclesia Christi sit indefectibilis notisque unitatis et catholicitatis spoliari nunquam possit, illa pars orbis catholici quæ in communione cum Petri cathedra perseveravit, vera et unica Christi Ecclesia permansit, dum altera, in cœtum schismaticum mutata, Ecclesiam quam hodie græco-russicam vocamus, grada-

tim efformavit. Unde, quærere originem theologiæ græco-russicæ eodem recidit ac quærere originem illius lugendæ separationis, quæ orbem catholicum in duas partes oppositas divisit, Ecclesiamque byzantinam schismatis nota inussit. Primus igitur horum prolegomenorum tractatus erit de schismate byzantino, quatenus theologiæ græco-russicæ originem tribuit. Secundus erit de historia theologiæ byzantinæ ac græco-russicæ modernæ, qui non minorem præ se feret utilitatem pro scientifica investigatione hujus theologiæ mox in nostro secundo volumine instituenda. Cum enim, ut præfati sumus, nostri propositi sit historicam evolutionem theologiæ Græco-Russorum, præsertim circa capita controversa paucis delineare, necesse omnino est, ut prius quædam tradatur notitia de præcipuis theologis deque eorum gravioribus scriptis ad prædictas quæstiones spectantibus.

Demum, ut relativus valor dignoscatur argumentorum a theologis dissidentibus in controversiis prolatorum, præ oculis semper habenda sunt quæ de propriæ theologiæ fontibus theologi isti tradunt ac judicant. Inde tertius tractatus de fontibus theologiæ græco-russicæ. Cui, per modum appendicis ad volumem integrum, disquisitionem historicam de Photii cultu subnectemus, utpote ad illustrandam veram indolem schismatis byzantini aliquid lucis allaturam.

# TRACTATUS PRIMUS

## DE ORIGINE THEOLOGIÆ GRÆCO-RUSSICÆ, SEU DE SCHISMATE BYZANTINO

Schisma byzantinum est factum historicum sat implicatum, quod non subito, ad instar terræ motus, accidit, Ecclesiamque commovit, sed lente ac gradatim, quasi quoddam semen venenatum ab inimico homine in agro sanctæ Ecclesiæ satum, sese evolvit, donec suum pestiferum fructum protulit. Primum igitur de præparatione hujus luctuosi eventus in anteactis temporibus investigatio nobis ineunda. Cum autem hoc schisma non statim ad plenam suam consummationem adductum fuerit, sed sæculo IX, sub Photio, primam inchoationem habuerit, et nonnisi sæculo XI, Michaelis Cærularii opera, absolutum fuerit, de hac duplici ac bene distincta tempestate separatim agendum erit. Demum non abs re erit, tanquam complementum hujus primi tractatus adjicere brevem expositionem diversarum sententiarum, quas Græco-Russi de origine schismatis temporum decursu protulerunt. Quatuor capitibus tractatus absolvetur totus :

PRIMUM CAPUT : *De præparatione schismatis.*

SECUNDUM CAPUT : *De ejus inchoatione sub Photio.*

TERTIUM CAPUT : *De ejus consummatione sub Michaele Cærulario.*

QUARTUM CAPUT : *De schismatis origine secundum dicta Græco-Russorum.*

### CAPUT PRIMUM

#### DE PRÆPARATIONE SCHISMATIS BYZANTINI, SEU DE EJUS CAUSIS REMOTIS

Cum semine venenato schisma byzantinum supra comparavimus. Ut autem semen vivum quid germinet, primum quidem principium vitale in seipso habeat necesse est, hu-

mumque convenientem inveniat. Ut vero crescat, congruo caloris ac humoris temperamento opus est; ipsum vero incrementum plus minusve succedit, prout humi ac temperiei efficaciam adjectione fimi agricola fovet. Eodem fere modo ac plantæ, humani se habent eventus. Eorum vitale principium est doctrina vera vel falsa; humi locum tenent diversæ circumstantiæ loci, temporis, personarum, etc. Sol et pluvia sunt hominum liberæ determinationes. Quasi fimus adjuvans exstant leges ac recepti mores.

Quatuor ista in historica byzantini schismatis evolutione deprehendere licet. Primum quidem humi partes egit translatio capitis romani imperii de vetere Roma ad Byzantium. Hæc translatio occasio remota schismatis jure dici potest. Illius autem originale ac directivum principium jam in canone tertio concilii Constantinopolitani primi, ac præsertim in vicesimo octavo Chalcedonensi aperte se prodit. Præcipuæ vero causæ efficientes duæ, imperator scilicet ac patriarcha Novæ Romæ, tanquam sol et pluvia, statim ab initio suum exserunt influxum. Tandem non desunt causæ passive ac materialiter faventes, discrepantias illas dico disciplinares ac liturgicas, quæ quasi copiosior fimus zizaniæ incrementum non parum secundant. Unde hoc primum caput de præparatione schismatis in quatuor articulos dividimus :

Articulus I : *De occasione remota byzantini schismatis.*

Articulus II : *De ejus principio originali.*

Articulus III : *De causis efficientibus ejus præparationi conferentibus.*

Articulus IV : *De causis materialibus ejusdem.*

## ARTICULUS I

### De occasione remota byzantini schismatis.

In hoc articulo non quærimus quænam fuerit causa efficiens byzantini schismatis, neque quænam illius occasio proxima, sed tantum quodnam fuerit factum historicum quod Ecclesiarum dissidio causam præbuerit initialem, illiusque occasio remota fuerit. Occasio non est causa proprie

dicta, sed causam ad agendum provocat illique favet, ut ad propositum scopum pertingere possit.

Thesis. — *Translatio sedis imperii romani de Vetere Roma ad Byzantium a Constantino Magno facta, tanquam occasio remota byzantini schismatis habenda est.*

Quando Constantinus Magnus byzantinam civitatem elegit, ut novum esset imperii romani caput, ibique sedem imperialem fixit, equidem a suo proposito longe erat, ut in Ecclesiam Christi schisma induceret; ex hoc tamen quod Byzantium velut Novam Romam ab omnibus haberi voluit, omniaque egit, ut hæc Nova Veteri in omnibus fieret æqualis, quædam perversæ æmulationis grana in bona Ecclesiæ terra seminavit. Veteri namque Novam in omnibus æquare impossibile omnino erat. Senior quippe Roma non solum imperii terreni caput, verum etiam regni Dei in terris, Ecclesiæ scilicet catholicæ, sedes principalis exstabat. Romæ Petrus, Apostolorum vertex ac coryphæus, suam cathedram in perpetuum fixerat; Romæ, gloriosum martyrium pro Christo subierat, privilegia, quæ pro bono totius Ecclesiæ a Christo acceperat, suis successoribus relinquens. Poterat quidem sæcularis imperator regni terreni sedem transferre; poterat novam condere Romam, illamque in civilibus ac profanis æqualem, immo Vetere superioreme efficere; at Petri cathedram de loco divinitus prælecto movere nequibat. Constantinopolis gradu ecclesiastico Roma inferior necessario remanebat. Accidit autem quod hunc statum humiliorem in rebus ecclesiasticis Nova Roma ægre tulit, primatui suæ æmulæ invidit, totisque viribus æqualitatem, quam jure habere non poterat, vi ac dolo obtinere conata est. Exinde schismati initialis occasio data. Hoc Novæ Romæ titulo, quo Constantinopolis decorata est, quum imperatores, tum episcopi byzantini ad negandum primatum juris divini romani Pontificis sollicitati sunt, tentationique sensim indulserunt. Eorum conamina pro exaltatione ecclesiastica urbis imperialis primum quidem timida et quasi verecunda fuere; deinde vero, audaciora procacioraque evasere, donec ad completam separationem perventum est.

Periculum divisionis non parum augebatur ex indole quorumdum prælatorum ad adulandum et complacendum principibus nimis proclivium, eo pacto, ut ab ipsis honores gra-

tiasque obtinerent. Hi prælati, ut imperatoris benevolentiam sibi conciliarent, urbis regiæ episcopum mediatorem adhibere mox inceperunt; immo hoc mediatore uti quum decretis imperialibus tum etiam canonibus conciliorum coacti sunt. Porro, ut hunc mediatorem sibi propitium redderent, ejus ambitiosis conatibus resistere non sunt ausi, sed potius illis, data opportunitate, faverunt. Unde non semel accidit, ut in schisma vel etiam in hæresim una cum eo delapsi fuerint, multo antequam Photius contra Occidentales aperte bellum iniret.

## ARTICULUS II

### De principio originali byzantini schismatis.

Principium originale ac fundamentale schismatis illam vocamus doctrinam falsam ex qua, velut ex proprio fonte, schisma per modum logicæ consequentiæ exortum est; qua plus minusve conscie innixi sunt omnes schismatis fautores, et quæ semper fuit, nostrisque etiam diebus remanet quasi lapis angularis totius ædificii ecclesiastici dissidentis.

Hoc principium nihil aliud est quam negatio primatus romani Pontificis, quatenus divinam habet originem et non mere honorificam, sed proprie dictam jurisdictionem in universam Ecclesiam involvit. Multo ante absolutam Ecclesiarum separationem, multoties multisque modis hoc principium in Ecclesia orientali deprehendimus, primo quidem æquivocationum tenebris involutum, deinde vero aperte missisque ambagibus expressum. Inter varias hujus falsæ doctrinæ formulas, illam seligimus, quæ in canone vicesimo octavo concilii Chalcedonensis occurrit. Unde thesim hujus articuli his verbis concipimus :

Thesis. — *Principium ex quo schisma ortum est, in canone vicesimo octavo concilii Chalcedonensis invenimus his verbis expressum : « Jure Patres Senioris Romæ throno, quod urbs illa caput erat imperii, privilegia tribuerunt. Eadem consideratione moti, centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi sanctissimo Novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt, recte judicantes urbem imperio ac senatu honoratam atque æqualibus cum antiquiore regina Roma privilegiis fruentem, etiam*

*in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam extollendam esse eique secundum post illam locum deberi* [1].

Ad plenam hujus thesis dilucidationem, quæremus :

1° Quænam fuerit significatio directe intenta a Patribus concili Chalcedonensis in statuendo canone 28;

2° Num hic canon totius fuerit concilii generale decretum, quænamque illius auctoritas fuerit apud Byzantinos ante Photium;

3° Quinam sit ejusdem canonis sensus obvius ac objectivus, abstractione facta a circumstantiis historicis, quibus ejus promulgatio vestita est.

### I. — Sensus a Patribus concilii intentus.

Primum quidem veram ac proximam hujus canonis significationem quum ex contextu, tum ex recepto verborum sensu declarare necesse est. Porro hoc decreto, quod, reclamantibus romanæ Sedis legatis, ediderunt, Chalcedonenses Patres sedem Constantinopolitanam honorare directe intendebant, illamque extollere supra sedes origine apostolica gloriantes, Alexandrinam scilicet et Antiochenam, quibus canon sextus concilii Nicæni secundum et tertium locum post romanam Sedem in sacra hierarchia decreverat. Quidam putaverunt illos privilegia mere honorifica pro urbe regia expostulasse. Etenim, in canone tertio centum quinquaginta Patrum ab ipsis laudato, hæc tantum leguntur : *Constantinopoleos episcopus habeat prærogativas honoris post Romæ episcopum, eo quod urbs illa sit nova Roma* [2].

Verum Patres Chalcedonenses, hunc canonem interpretantes, non loquuntur de prærogativis vacui honoris ; ipsa verba : « τῆς τιμῆς » supprimunt, asseruntque centum

1. Καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. Καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἐν' θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, εὐλόγως κρίναντες τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν... καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκείνην, μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ'ἐκείνην ὑπάρχουσαν. Mansi, *Amplissima collectio conciliorum*, t. VII, col. 369.

2. Τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. Mansi, *op. cit.*, t. VII, col. 445.

quinquaginta Patres Novæ Romæ throno æqualia privilegia (τὰ ἴσα πρεσϐεῖα) tribuisse his, quæ prius Patres senioris Romæ throno tribuerint. Ista privilegia non sunt mere honorifica, non respiciunt tantum simplicem præcedentiam, sed implicant veram jurisdictionis ecclesiasticæ extensionem juraque patriarchalia proprie dicta. Hoc patet non solum ex conclusione canonis vigesimi octavi, ubi jurisdictio in diœceses Ponti, Asiæ et Thraciæ necnon in episcopos partium harum diœcesum a Barbaris detentarum Constantinopolitano episcopo tribuitur [1], sed etiam ex præcedentibus canonibus nono et decimo septimo ejusdem concilii, quibus jus recipiendi et examinandi appellationes pro toto Oriente eodem episcopo Constantinopolitano expresse conceditur [2].

Volunt igitur Patres Chalcedonenses, ut Constantinopolitanus episcopus sit unus ex his prælatis eminentioribus seu primatibus, quos sequenti ævo patriarchas vocabunt, nunc vero exarchas appellant[3], utque inter hos primates secundus post romanum Pontificem veniat. En honor, quem pro eo expetunt. In hoc canone, a primatu proprie dicto romanæ Sedis abstrahunt; de eo omnino silent, perinde ac si illum penitus ignorarent, episcopum vero romanum tanquam ex exarchis (seu patriarchis) unum considerant; ad ejus privilegia (τὰ πρεσϐεῖα), id est ad ejus patriarchalem jurisdictionem alludunt, voluntque ut iisdem prærogativis similique jurisdictione episcopus byzantinus honoretur secundusque post illum sedeat.

Ut autem hanc in ordine sedium patriarchalium immu-

1. « Ut et Ponticæ et Asianæ et Thraciæ diœcesis metropolitani soli; præterea episcopi prædictarum diœcesum qui sunt inter barbaros a prædicto throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur. » Mansi, *ibid.*, col. 370.

2. « Si clericus autem cum proprio, vel etiam cum alio episcopo, negotium aut litem habeat, a provinciæ synodo judicetur. Si autem cum ipsius provinciæ metropolitano episcopus vel clericus controversiam habeat, diœcesis exarchum adeat, vel *imperialis urbis Constantinopolis thronum*, et apud eum litiget. » Ex canone IX. *Ibid.*, col. 362. Vide etiam canonem 17, col. 366. Cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des conciles*, t. II, 2e partie, p. 791 sq.

3. Canon 9 et canon 17 concilii Chalcedonensis exarchas, ἐξάρχους, vocant tum patriarchas proprie dictos tum metropolitanos eminentiores, qui pluribus metropolibus præerant. Hefele-Leclercq, *ibid.*, p. 795 sq.

tationem probabilem reddant, falsam rationem in medium proferunt, affirmantque privilegia patriarchalia quibus gaudet romana Sedes, ei a Patribus, eo quod esset urbs imperialis, fuisse collata, ut sic facilius possint pro Novæ Romæ throno æqualia privilegia expostulare. Fatendum est illos dolose ficteque in hac re loqui, et non longe a mendacio officioso stare, ut tum imperatori tum Anatolio, urbis regiæ episcopo, ultra modum complaceant. Etenim non ignorabant illi episcopi orientales romanum episcopum suam præeminentiam in Ecclesia suaque jura, etiam exarchalia, a Petro Apostolorum principe tenere, non vero ab aliquo Patrum concilio, quod revera nunquam fuit, et quod scienter pro causa finxisse videntur. Multa enim præclaraque testimonia habemus de eorum fide in primatum juris divini romani Pontificis. Sufficiat hic pauca hæc transcribere :

Unus e Patribus Concilii, celeberrimus scilicet episcopus Cyri Theodoretus, jam ante concilii Chalcedonensis convocationem epistolam ad sanctum Leonem Magnum miserat, in cujus initio hæc legebantur :

*Si Paulus, præco veritatis, tuba Spiritus Sancti, ad magnum Petrum se contulit, ut iis qui Antiochiæ de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret, multo magis nos humiles et pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit. Multis enim prærogativis ornatur Sedes vestra... Petrus et Paulus Sedem vestram nobilissimam reddiderunt; hic bonorum vestrorum est apex* [1].

Inter actiones, Patres S. Leonem Magnum, ut Petri successorem et Ecclesiæ universæ caput pluries aut ipsi laudaverunt, aut ab ejus legatis disertis verbis laudari sine ulla contradictione audierunt. In actione secunda, post lectionem Epistolæ dogmaticæ Leonis ad Flavianum, omnes clamaverunt : *Hæc Apostolorum fides... Petrus per Leonem hæc locutus est* [2].

In actione tertia, damnationem Dioscori a legatis romanis

1. Διὰ πάντα γὰρ ὑμῖν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει. . *Epistola* LII *inter Epistolas S. Leonis Magni. P. L.*, t. LIV, col. 847.

2. Mansi, *Conciliorum amplis. coll.*, t. VI, 971 : Πέτρος διὰ Λέοντος ταῦτα ἐξεφώνησεν.

his verbis expressam approbarunt : *Sanctissimus et beatissimus archiepiscopus magnæ et senioris Romæ Leo, per nos et per præsentem sanctam synodum* (δι' ἡμῶν καὶ τῆς παρούσης ἁγιωτάτης συνόδου), *una cum ter beatissimo et omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra et crepido catholicæ Ecclesiæ, et rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio* [1].

In eadem actione, Maximus Antiochiæ episcopus, Joannes, Sebastæ Armeniæ primæ civitatis metropolitanus, Nunechius metropolitanus Laodiceæ, Leonem vocant *Patrem nostrum* [2].

In actione quarta, Paschasinus legatus sanctum Leonem appellat universalis Ecclesiæ papam seu, ut in texto græco habetur : *omnium Ecclesiarum archiepiscopum*, πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν ἀρχιεπίσκοπος [3].

In actione decima sexta, Patres hæc verba judicum imperialium probarunt : *Ante omnia, primatus et honor præcipuus, secundum canones, antiquæ Romæ archiepiscopo conservari debent* [4], ubi distinctio quædam inter primatum, τὰ πρωτεῖα, et honorem, τιμήν, induci videtur. Judices eumdem honorem, τῶν αὐτῶν πρεσβειῶν τῆς τιμῆς non vero primatum, pro Anatolio expostulant.

Post concilium, iidem Patres sancto Leoni Magno longam epistolam miserunt, ut ab ipso approbationem et confirmationem canonis vigesimi octavi obtinerent. In hac epistola primatus romani Pontificis divinam originem diserte profitentur :

« Fidem, inquiunt, ex præcepto legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, *vocis beati Petri omnibus constitutus interpres, et ejus fidei beatificationem super omnes adducens... Nobis tu quidem, sicut membris caput præeras*, in his qui tuas vices gerebant benevolentiam præferens... *Tuæ sanctitati vineæ custodia a Salvatore commissa est...* Confirmavimus

1. Mansi, *op. cit.*, t. VI, col. 1047.
2. *Ibid.*, col. 1051, 1055.
3. *Ibid.*, t. VII, col. 8.
4. Πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν, κατὰ τοὺς κανόνας, τῷ τῆς πρεσβυτίδος Ῥωμῆς θεοφιλεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι. Mansi, *op. cit.*, t. VII, col. 452.

centum quinquaginta sanctorum Patrum, qui Constantinopoli congregati sunt, regulam, quæ præcepit post vestram Sanctissimam et *Apostolicam Sedem* privilegia (τὰ πρεσβεῖα) Constantinopolim habere loci secundi, *scientes quia radium Apostolicæ Vestræ Sedis nimis potentem, in Constantinopolitanam Ecclesiam, cujus consuetam curam geritis, sæpius extendistis, dum sine invidia soliti estis vestrorum bonorum participatione ditare familiares...* Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium; *et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et Summitas tua filiis quod decet adimpleat*[1]. »

Ergo Patres Chalcedonenses romanum Pontificem declarant esse Petri successorem, Ecclesiæ universæ caput, omnium episcoporum patrem, cui cura vineæ Domini ab ipso Salvatore commissa est. Illum enixe rogant, ut suo decreto illorum statutum approbare et confirmare velit. Sed legenti tantum canonem vigesimum octavum hæc non apparent; contraria potius in mentem veniunt. Unde mirum non est sanctum Leonem Magnum, qui non solum ad præsens, verum etiam ad futurum respiciebat, et quamcumque erroris speciem ab Ecclesia expellere satagebat, hunc canonem omnino rejecisse, juraque tum sedium apostolicarum tum ipsius veritatis strenue defendisse, ut ex his patebit, quæ in prima adnotatione ad hoc caput dicturi sumus.

### II. — De canonis XXVIII ecclesiastico valore necnon de ejus apud Byzantinos auctoritate ante Photii tempora.

Hic vigesimus octavus canon nonnisi abusive dicitur fuisse decretum concilii Chalcedonensis. Non enim ab omnibus concilii episcopis, sed ab aliquibus tantum, id est, a ducentis circiter, ex sexcentis et quinquaginta qui ad fidem confirmandam convenerant, probatus fuit. Marcianus namque imperator, elapso jam quarto die post sextæ actionis celebrationem, iis quæ ad fidem pertinebant absolutis, episcopis permiserat, ut ad sua quisque redirent. Actioni autem

1. ὧν σὺ, ὡς κεφαλὴ μελῶν, ἡγεμόνευες... καὶ κατ'αὐτοῦ τοῦ τῆς ἀμπέλου τὴν φυλακὴν παρὰ τοῦ σωτῆρος ἐπιτετραμμένου τὴν μανίαν ἐξέτεινε· λέγομεν δὴ τῆς σῆς ὁσιότητος. *P. L.*, t. LIV, col. 951 sq.

illi, in qua canon conditus, vel potius promulgatus fuit — genuini enim illius auctores conditoresque clerici byzantini fuere, faventibus tum Anatolio, tum imperatore Marciano —, legati sancti Leonis interesse noluerunt, et postridie, coram episcopis qui convenerant, sanctioni isti reclamarunt, lecta hac commonitorii pontificii parte, quæ sic se habebat : *Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari vel imminui, servantes omni modo personæ nostræ in vobis* (*quos vice nostra transmisimus*) *dignitatem : ac si qui præter eam, splendore civitatum suarum confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis* [1].

Insuper, ut ait clarissimus Lequien : « nullus præsens aderat, qui Alexandrinæ Ecclesiæ causam ageret, nullus qui Ephesinæ. Unde Leontius Magnesiæ, qui in actione XI, Ephesinæ sedis jura adversus byzantinos clericos tutatus erat, inter eos qui subscripserunt non reperitur, nec decreto prorsus consensisse. Thalassius, Cæsariensis Ponticæ diœcesis primas, ei non subscripsit, nec ex animo suffragatus est, sed ironice magis ; sed nec ejus nomen reperitur inter episcopos, qui epistolæ ad Leonem pro canonis hujus confirmatione obtinenda datæ subscripsisse feruntur. Quocirca successor ejus Alypius Leoni imperatori, anno 457, scribebat : *se ea quidem quæ particulariter examinata sunt et gesta a sanctis episcopis in Chalcedonensi collectis civitate non legisse* (neque enim a sanctæ memoriæ tunc episcopo Thalassio, qui interfuit sancto concilio, aliquid amplius est adlatum, ex his quæ gesta noscuntur) *sed tantummodo definitionem expositam ab illo sancto concilio, ab ea delatam inspexisse.* Non ergo Thalassius ad Ecclesiam suam Cæsariensem referendum censuit illud decretum, quo Constantinopolitanæ sedi obnoxia in posterum fiebat... Ad hæc, Leo papa non semel in suis ad Marcianum et Pulcheriam litteris conquestus est extorta a Constantinopolitanis clericis episcoporum suffragia ; quam profecto vim Eusebium Ancyranum, qui canoni non subscripserat, quique sui juris esse Gangrensis metropolitæ ordinationem subinde affirmabat, expertum esse synodi acta testantur [2]. »

1. Mansi, *op. cit.*, t. VII, col. 443.
2. *Panoplia contra schisma Græcorum*, Parisiis, 1718, p. 79, 80.

Maximus quidem Antiochenus, cujus jura ladebantur tum canone 28 tum Juvenalis Hierosolymitani ambitiosis moliminibus, omnibus quæ contra ipsum fiebant assentire visus est; sed hoc non est mirum, cum præsul iste Anatolii creatura fuerit, Antiochenæ sedi ab eo illicite præfectus in locum Domni, qui a Dioscoro, in Ephesino latrocinio depositus fuerat.

Ex his omnibus patet canonem 28 non fuisse totius concilii Chalcedonensis generale decretum, sed solummodo quorundam episcoporum sanctionem, omni auctoritate vel robore destitutam, etiam antequam romanus Pontifex illam aperte respueret. Postquam autem hunc canonem sanctus Leo disertis verbis irritavit, nihil roboris habere poterat. Etenim secundum regulam ab Ecclesiæ exordio ubique admissam, quam Socrates[1] historicus ac Sozomenus[2] citaverunt: *nequaquam fas erat, absque romani episcopi sententia et consilio, aut synodos generales haberi, aut Ecclesiis omnibus decreta sanari.* Ad hanc regulam se conformaverunt tum Patres concilii, tum imperator, tum et ipse Anatolius, quando a sancto Leone suis litteris canonis 28 confirmationem expostularunt. Ergo, renitente romano Pontifice, canon iste vi omni carebat.

Et revera Ecclesia orientalis aliquamdiu illum nescivit. In antiquioribus enim collectionibus canonicis quum græcis, tum syriacis et arabicis, non inveniuntur nisi viginti septem canones Chalcedonenses[3]. Imperator ipse Marcianus, gravissimis Papæ rationibus victus, mentem mutavit, canonemque 28 non solum non approbavit, verum etiam, anno 454, legem tulit, cujus hæc verba sunt : « Impp. Valentinianus et Marcianus Augg. Palladio præfecto prætorio. Privilegia quæ generalibus constitutionibus universis sanctis Ecclesiis orthodoxæ religionis retro principes præstiterunt, firma et

1. *Hist. eccl.*, II, VIII, 17.
2. *Ibid.* III, x.
3. In *Nomocanone* Joannis Scholastici circa 550 composito, non leguntur nisi 27 canones concilii Chalcedonensis. Item, in collectione canonica nestoriana sub nomine *Synodici orientalis* nuper a J.-B. Chabot edita. Item in *Regula judiciorum ecclesiasticorum* Nestoriani Ebed-Jesu, numerantur tantum 27 canones Chalcedonenses. Cf. Hefele-Leclercq, *op. cit.*, t. VI , p. 1271 sq.

illibata decernimus custodiri. *Omnes sane pragmaticas sanctiones, quæ contra canones ecclesiasticos, interventu gratiæ et ambitionis elicitæ sunt, suo robore et firmitate vacuatas esse decernimus.*

Hoc tenore refertur Marciana lex in codice justinianeo, tit. XXII, *De sacrosanctis Ecclesiis.* Illam esse mutilam satis clare apparet, quippe quæ sit nimis generalis, nihilque determinati lectori offerat. Verisimile est, ut conjicit Baronius, ab ipso Justiniano illam fuisse truncatam. Quidquid sit, certum est imperatorem Marcianum canonem 28 respuisse, Anatoliumque ipsum monuisse, ut in hac re sancto Leoni morem gereret. Quod et tandem fecit ambitiosus præsul, qui circa mensem Aprilem anni 454, hæc romano Pontifici scripsit :

« De his autem quæ Constantinopolitanæ sedis gratia sancita sunt in Chalcedonensi nuper synodo, pro certo Beatitudo vestra hoc habeat nullam esse culpam in me, homine qui semper otium et quietem, in humilitate me continens, ab ineunte ætate mea dilexerim ; sed Constantinopolitanæ Ecclesiæ clerus est, qui hoc habuit studium, et istarum partium religiosissimi sacerdotes, qui in hoc fuere concordes, et sibi pariter adjutores : *cum tamen et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati Vestræ Beatitudinis fuerit reservata* [1]. »

Attamem fatendum est Ecclesiam byzantinam prohibitioni romani Pontificis non diu stetisse canonemque rejectum in praxim deduxisse, faventibus imperatoribus, Justiniano præsertim, qui in sua *Novella* CXXXI, episcopo Constantinopolitano secundum locum post romanum Pontificem in hierarchia ecclesiastica aperte tribuit :

*Item sancimus*, inquit ille, *sanctissimum Veteris Romæ papam primum esse omnium sacerdotum, beatissimum vero archiepiscopum Constantinopolis Novæ Romæ, post sanctissimam Apostolicam Sedem Veteris Romæ secundum locum habere, reliquis vero omnibus præferri* [2].

Jam ante concilium Chalcedonense, præsules urbis regiæ omnia privilegia, quæ tum in canonibus 9 et 17, tum in

1. *Epistola Anatolii ad Leonem papam.* Inter epistolas Leonis Magni, epist. CXXXII, *P. L.*, t. LIV, col. 1084.

2. *Corpus juris civilis*, ed. G. Beck., Leipzig, 1837, t. II, pars 2, p. 271.

28 ejusdem concilii recensentur, sibi arrogaverant. Jam jurisdictionem suam in diœceses Thraciæ, Ponti et Asiæ extenderant. Anno 426, Sisinnius cuidam synodo præfuit coram Theodosio Antiocheno. Immo, non semel episcopi Novæ Romæ jura sedium patriarchalium attentaverant, et nuperrime Anatolius Maximum episcopum Antiochenum ordinare ausus fuerat.

Inde ab anno 381, jus recipiendi et examinandi appellationes in rebus ecclesiasticis pro toto Oriente episcopus Constantinopolitanus, favore et jussu imperatorum, practice exercuerat. Cum enim præsules orientales sua negotia, suasque lites ad ipsos imperatores deferrent, isti ad episcopum urbis regiæ illos remittebant, qui causas allatas una cum episcopis partium orientalium pro tempore ibi adstantibus examini subjiciebat sententiasque ferebat. Hinc origo illius synodi permanentis Constantinopolitanæ, quam σύνοδον ἐνδημοῦσαν vocabant, quæque mirum in modum ambitiosis præsulum Novæ Romæ conatibus favit [1]. Unde, non obstantibus reclamationibus romanorum Pontificum, episcopi Constantinopolitani, etiam post Chalcedonense concilium, ut primates totius Orientis practice se gesserunt, immo ut tales habiti sunt non solum ab episcopis orientalibus, sed etiam a patriarchis Alexandrino et Antiocheno, præsertim postquam horum sedes in potestatem infidelium inciderunt.

Sæculo septimo versus finem vergente, synodus Trullana anno 691 habita, quæ concilii œcumenici nomen sibi ipsi immerito prorsus præfixit, præcedentium synodorum canones pro exaltatione sedis Novæ Romæ prolatos solemniter renovavit in suo canone trigesimo sexto, qui sic se habet :

« Renovantes quæ a sanctis centum quinquaginta Patribus in hac a Deo conservanda et regia urbe convenerunt, et sexcentorum triginta qui Chalcedone convenere, constituta sunt, *decernimus ut thronus Constantinopolitanus æqualia privilegia cum Antiquæ Romæ throno obtineat, et in ecclesiasticis, ut ille, rebus magnifiat, ut qui sit secundus post illum* (τῶν ἴσων ἀπολαύειν πρεσβείων τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θρόνου, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκεῖνον, μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δεύτε-

1. De origine « Synodi permanentis » vide dissertationem S. Vailhé, in *Échos d'Orient*, 1921, p. 129-146 : *Le droit d'appel en Orient.*

ρον μετ'ἐκεῖνον ὑπάρχοντα). Post quem, magnæ Alexandrinorum civitatis numeretur thronus; deinde Antiochiæ, et post eum Hierosolymitanæ civitatis [1]. »

Patres Trullani verba canonis 28 Chalcedonensis de origine privilegiorum Sedis romanæ non repetunt sed manifeste supponunt, dum Novam Romam in rebus ecclesiasticis Veteri exæquare volunt. Insuper scimus illos principio laico isto imbutos fuisse, juxta quod gradus ecclesiasticus alicujus civitatis gradui civili ejusdem respondere debet. Dicunt enim in suo canone trigesimo octavo :

« Canonem a Patribus positum nos quoque observamus : Si qua civitas ab imperiali potestate innovata est, vel rursus innovata fuerit (mutata), civiles ac publicos typos consequatur quoque rerum ecclesiasticarum ordo [2]. »

Logicam tamen consequentiam hujusmodi principii relate ad Veterem Romam deducere adhuc non audent. Etenim, tempore synodi Trullanæ, Vetus Roma non amplius erat imperii caput. Sola Constantinopolis imperium tunc tenebat. Ergo juxta principium allatum, non Veteri sed Novæ Romæ primum locum assignare debuissent. Quare hoc non fecerunt? Quia Ecclesia orientalis pristinam fidem in primatum juris divini romanæ Sedis adhuc firmiter retinebat, ut videre est ex multis præclarisque testimoniis byzantinorum scriptorum præsulumque hujus temporis; quibus diserte profitentur romanum Pontificem Petri, Apostolorum principis, successorem esse, primatumque ac supremam jurisdictionem in universam Ecclesiam tenere [3]. Sufficiat hic verba referre Patrum concilii œcumenici sexti (an. 681), quorum plerique synodo Trullanæ subscripserunt.

« Maximi morbi majoribus indigent auxiliis, scribunt illi Patres sancto Agathoni papæ, atque idcirco Christus verus Deus noster sapientem dedit medicum : Vestram a Deo honoratam Sanctitatem, contagia hæreticæ luis fortiter propulsantem remediis orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. *Itaque tibi, ut primæ sedis antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus, stanti*

1. Mansi, *op. cit.*, t. XI, col. 959.
2. *Ibid.*
3. Vide quædam ex his testimoniis collecta in opere P. Pargoire : *L'Église byzantine de 527 à 847*, Paris, 1905, p. 189-196.

*supra firmam fidei petram*, libenter, perlectis veræ confessionis litteris a Vestra Beatitudine ad piissimum imperatorem missis : *quas ut a summo Apostolorum Vertice divine perscriptas agnoscimus*, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus [1]. »

Iidem in sua epistola ad imperatorem Justinianum II dicebant : « Summus nobiscum concertabat Apostolorum princeps : illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem, et divini sacramenti mysterium illustrantem par litteras. Confessionem tibi a Deo scriptam illa Romana antiqua civitas obtulit.... *et per Agathonem Petrus loquebatur* [2]. »

Attamem Patres Trullani in praxi ita agunt ac si Romanus Pontifex non amplius esset totius Ecclesiæ caput. Suam synodum dicunt œcumenicam, quamvis nullus Apostolicæ Sedis legatus rite subscribat. Leges ac consuetudines ab Ecclesia romana probatas ac servatas aperte condemnant :

« Quoniam comperimus inquiunt, in Romanorum civitate in sanctis quadragesimæ jejuniis, in ejus sabbatis jejunium observari præter ecclesiasticam traditionem : sanctæ synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcusse vires habeat canon qui dicit : *Si quis clericus inventus fuerit in sancto die dominico vel sabbato jejunare, præter unum et solum, deponatur; sive autem laicus, excommunicetur* [3]. »

Hoc pacto perdurat in Ecclesia byzantina contradictio inter fidem et agendi rationem, inter theoriam et praxim, inter verba et actus. Ipsa verba non raro sunt æquivoca, et schisma hæresimque sapiunt. Quoties auxilio Sedis romanæ indigent Orientales ad sua jura tuenda, ad pacem Ecclesiarum instaurandam hæresesque propulsandas, magnifico eloquio romanum Pontificem adeunt, ejusque divinum primatum diserte proclamant. Dum vero pace et tranquillitate gaudent, aut quoties romani Pontifices illorum ambitionem perstringunt, perversisque propositis obstant, primatum romanum practice ignorant et negligunt, monitis Apostolicæ Sedis obedire renuentes, et non raro in apertum schisma,

1. Mansi, *op. cit.*, t. XI, col. 684.
2. *Ibid.*, col. 665.
3. Canon 55. *Ibid.*, col. 970. Vide etiam canonem 13. Cf. ea quæ infra dicuntur, p. 79-85.

immo in hæresim prosilientes. Hujus sane subdolæ agendi rationis exemplum habemus in modo quo Byzantini se gesserunt circa canonem 28 Chalcedonensem[1]; quem a romanis Pontificibus pluries reprobatum illi sincere repudiare noluerunt. Ut mox probaturi sumus, totum schismatis venenum in hoc canone latebat. Quanquam autem Byzantini, ante Photium, divinam originem primatus romani negare non sunt ausi, attamen error in mentes lente irrepebat; in cujus documentum ob lectoris oculos ponere satis erit interpretationem canonis Chalcedonensis a quodam Anonymo Patribus Trullanis fere coævo excogitatam :

« Sciendum est Patres idcirco Ecclesiæ Constantinopolis secundum locum assignavisse, quia tunc Senior Roma imperium tenebat. Igitur, si, ut dicit hæc sancta synodus, Patres privilegia dederunt Seniori Romæ, quia caput erat imperii, merito nunc primas tenet Nova Roma, quippe quæ, nostris diebus, sola est, quæ ex Dei beneplacito imperium teneat[2]. »

Perpauci sane fuere, ante Photii tempus, qui talem argumentationem ausi sint propalare. Sed nemo non videt quantum periculum pro ecclesiastica unitate ex falso principio a Patribus Chalcedonensibus enuntiato imminebat; cujus principii omnes logicas consequentias nunc aperire tempus.

### III. — Sensus obvius canonis vigesimi octavi Chalcedonensis.

Ut primatum romani Pontificis impugnent, polemistæ græco-russi ad canonem vigesimum octavum provocare solent, quasi hoc decreto omnino negetur origo divina principatus romanæ Sedis, prout in vetere Ecclesia communiter

1. Ex quibusdam indiciis conjicere est canonen XXVIII Chalcedonensem publicis canonum collectionibus non fuisse insertum ante sæculum IX; sed in praxi, ab omnibus recipiebatur; imo in concilio Nicaeno II, canones Trullani in globo probabantur.

2. Δεῖ εἰδέναι, ὡς διὰ τοῦτο δευτέραν τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίαν ὠνόμασαν, ἐπειδὴ τότε καὶ ἡ πρεσβυτέρα ἐβασίλευε Ῥώμη. Εἰ τοίνυν, καθά φησιν ἡ ἁγία αὕτη σύνοδος, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν [πρεσβυτέραν] Ῥώμην οἱ πατέρες τὰ πρεσβεῖα δεδώκασι, μόνης νῦν εὐδοκίᾳ Θεοῦ ταύτης τῆς πολεως βασιλευούσης, εἰκότως αὕτη [νῦν] καὶ τὴν προτέραν κέκτηται. Vide in *Bessarione*, t. XXII (1918), p. 46-55, nostrum articulum : *Le plus ancien recueil canonique slave et la primauté du Pape* et infra, p. 224.

receptus est. Ut ex supra dictis satis apparet, errant certe, dum hujus canonis auctores doctrinam catholicam de sancti Petri ejusque successorum primatu rejecisse contendunt; at fatendum est ipsa decreti verba, si sumantur ut sonant, abstractione facta a circumstantiis historicis, in quibus prolata sunt, sensum hæreticum in mentem sponte ingerere, nempe romanam Sedem non a Christo immediate, sed ab Ecclesia in synodum adunata sua privilegia suumque primatum, etiam meri honoris, accepisse; et hoc, propter rationem mere humanam, nullo modo stabilem, sed quæ in futurum evanescere possit : scilicet quod urbs Roma imperii humani caput esset. Animadvertas velim sequentes propositiones in falso principio : *Jure Patres Romæ Sedi, quoniam urbs illa caput erat imperii, privilegia tribuerunt*, vel aperte contentas, vel evidenter subauditas, vel ex eo logice fluentes :

1° Ecclesia, in determinando gradu ecclesiastico sedium episcopalium, ad gradum civilem urbium se conformat. Si gradus alicujus urbis in ordine civili a principe mutetur, gradus ecclesiasticus ejusdem urbis ab Ecclesia mutandus est. Hoc principium jam primum enuntiaverat synodus Antiochena, anno 341 habita, in suo canone nono [1]. Iteratum fuit tum in canone tricesimo quarto Apostolorum [2], tum in cano-

1. « Per singulas provincias episcopos constitutos scire oportet episcopum metropolitanum, qui praeest, curam et sollicitudinem totius provinciæ suscepisse, eo quod ad metropolitanam civitatem concurrant undique omnes qui causas habent. Quapropter bonum visum est eum et honore præire, et nihil ultra sine ipso reliquos episcopos agere, secundum antiquum patrum nostrorum canonem adhuc vigentem, nisi ea tantum quæ ad suam diœcesim pertinent possessionesque subjectas etc. Hardouin, *Acta conciliorum*, t I. col. 596.

2. Τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης· ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει καὶ ταῖς ὑπ'αὐτὴν χώραις. Ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι. Οὕτως γὰρ ὁμόνοια ἔσται καὶ δοξασθήσεται ὁ Θεὸς διὰ Κυρίου ἐν ἁγίῳ Πνεύματι. Hardouin, *ibid.*, col. 17. Huic canoni theologos græco-russos magnam vim tribuere et super ipsum Ecclesiarum autocephalarum systema fundare in tractatu de Ecclesia videbimus. Cæterum, eumdem sensum præ se fert quem canon Antiochenus. Præcipua differentia, cujus momentum extollunt autocephalistæ, in eo est quod canon apostolicus, loco verborum : *episcopi cujusque eparchiæ seu provinciæ*, ista posuit : *episcopi uniuscujusque gentis.*

nibus duodecimo et decimo septimo concilii Chalcedonensis [1], tum demum in canone trigesimo octavo synodi Trullanæ.

2° Ex hoc Ecclesiæ agendi modo, facile infertur Ecclesiam ipsam quadamtenus subordinari et subjici potestati civili, etiam in rebus ecclesiasticis, gradumque ecclesiasticum alicujus urbis a principis voluntate practice pendere [2].

3° Sedes romana hac regula non excipitur. Privilegia quæ habet, a jure ecclesiastico, non a jure divino mutuatur. Patres enim — episcopi scilicet orbis catholici, in aliquod concilium aliunde nobis ignotum congregati — illa privilegia tum honoris tum jurisdictionis romano Pontifici tribuerunt, eo quod urbs Roma erat romani imperii caput.

4° Exinde sequitur romana privilegia non esse ex se inamissibila. Si quando Roma imperii terreni caput esse desierit, amittet utique suam præeminentiam etiam in rebus ecclesiasticis, et de primo loco ad secundum vel etiam ad inferiorem declinabit. Quod enim dederunt Patres, auferre ipsi poterunt.

5° Quoniam urbs Constantinopolitana tanquam Nova Roma a Constantino imperatore condita est seu *innovata*, alterumque imperii romani caput post antiquiorem Romam evasit, imperatoris et senatus sedes facta, recte jureque tum centum quinquaginta episcopi, anno 381 Constantinopoli congregati, in suo tertio canone, tum Patres concilii Chalcedonensis in hoc suo 28, huic Novæ Romæ privilegia in

1. Εἰ δέ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκαινίσθη πόλις, ἢ αὖθις καινισθείη, τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω : Si quæ civitas per auctoritatem imperialem novata est, aut si in posterum innovetur, civilibus ac publicis normis etiam ecclesiasticarum provinciarium ordinatio sit conformis. *Ibid.*, col. 607.

2. Canonista byzantinus Balsamon, ad canonem trigesimum octavum Trullanum, expressis verbis dicit : φαμὲν ὡς ἐνεδόθη μὲν ἀπὸ τοῦ παρόντος κανόνος τῷ βασιλεῖ ἐπισκοπὰς ποιεῖν ἐκ νέου, ἑτέρας δὲ ἀνάγειν εἰς δίκαια μητροπόλεως, καὶ ὑποτυποῦν τὰ περὶ τῆς ψήφου αὐτῶν καὶ τῆς ἄλλης οἰκονομίας κατὰ τὸ δόξαν αὐτῷ : *Dicimus præsenti canone imperatori datam fuisse potestatem episcopatus novos constituendi, alios autem in jura metropoleos erigendi, et de eorum electione aliaque administratione, prout ei visum fuerit, statuendi. P. G.*, t. CXXXVII, col. 644. Potestas, creandi novas sedes episcopales vel metropolitanas, saltem inde a sæculo XI, imperatori byzantino a canonistis et theologis expresse agnoscitur.

rebus ecclesiasticis æqualia his, quibus prius decorata est Roma senior, tribuerunt, secundumque locum post illam assignaverunt.

6º Sicut antiqua Roma, ita et Nova sua privilegia amittere potest, postquam scilicet caput imperii terrestris esse desierit. Aliqua tertia Roma, decursu temporum, forsan exsurget.

7º Non solum tertia Roma, sed etiam multæ aliæ in posterum sunt possibiles. Etenim si contigerit, ut plura regna seu imperia christiana existant, tot erunt privilegiatæ sedes episcopales primatuque relativo gaudentes, quot erunt urbes regiæ ac principales.

8º Præcipua ac gravissima principii allati consequentia hæc est: *Nullus datur in Ecclesia Christi primatus juris divini. Episcopi omnes jure pari Apostolorum sunt successores et inter se jure divino prorsus æquales.* Non dantur nisi primatus juris ecclesiastici, et hi multiplicantur secundum primatus laicos in ordine civili. Primates ecclesiastici ab invicem sunt independentes, sicut inter se ipsa regna terrena. Nullus exstat primas, etiam juris ecclesiastici, qui potestate vera gaudeat in Ecclesiam universam. Alicui primatui honoris et præsidentiæ solummodo remanet locus. Ecclesia universalis constituitur diversis Ecclesiis particularibus autocephalis et ab invicem independentibus. Caput visibile permanens Ecclesiæ universæ non existit, sed tantum caput invisibile datur, quod est Christus. Ad summum, concilium œcumenicum tanquam ejus caput visibile transitorium haberi poterit.

9º Ultima tandem et omnino necessaria ejusdem principii consequentia facile conjicitur. Cum enim primas antonomus cujusque regni christiani superiorem non habeat a quo judicari vel ad quem appellare possit, et ex alia parte, potestas civilis semper et ubique sit prona ad dominatum in res et personas ecclesiasticas, exinde sane cæsaropapismo lata aperitur via. Ecclesia quasi necessario suam independentiam amittet; et quod attinet ad jurisdictionis exercitium bonorumque administrationem, Statui omnino subjecta erit. Gentica fiet, et vera catholicitate tum juris tum facti spoliabitur.

Has logicas deductiones arbitrarias atque imaginarias ne pronunties. Temporum enim decursu, in Ecclesiis separatis

de facto patefactæ sunt et in praxim deductæ. ut in tractatu de Ecclesia fusiori calamo ostendemus.

## ARTICULUS III

### De præparatione schismatis. Causæ directe impellentes.

Schismati byzantino viam straverunt illa omnia quæ sive animos ad separationem Ecclesiarum admittendam propensos gradatim effecerunt, sive prætextus ad hanc separationem adducendam fautoribus dissidii subministrarunt. Unde distinguere possumus :

1° Causas, quæ *directe* et *suapte natura* ad relaxanda ecclesiasticæ unitatis vincula tendebant;

2° Causas *indirectas* et, ut ita dicam, materiales, quæ separationi passive tantum favebant.

Causæ prioris ordinis ad tres principales reduci possunt, scilicet : *Cæsaropapismus, ambitio quorundam præsulum Novæ Romæ, superbia patria mutuaque Orientalium atque Occidentalium. aversio.*

Alterius ordinis causæ tres pariter numerari possunt : 1° *diversitas rituum;* 2° *diversitas usuum ac disciplinæ canonicæ;* 3° *discrepantia in modo concipiendi atque tractandi quæstiones ad theologiam spectantes.*

In hoc articulo de causis directis ac vere ad schisma impellentibus agemus.

#### I. — De cæsaropapismo.

Inter causas, quæ directum influxum in præparationem schismatis habuerunt, primum locum tenet illud systema politicæ religiosæ a Constantino quidem Magno jam primum auspicatum, a Justiniano autem ad suam ultimam perfectionem adductum, quod nomine cæsaropapismi designari solet. Consistit autem cæsaropapismus, ut vox ipsa satis clare indicat, in hoc quod Cæsar, seu imperator, [seu civilis potestas in genere], non quidem potestatem ordinis sed illam potestatem jurisdictionis in personas resque ecclesiasticas sibi arrogat, quam apud Catholicos Pontifex romanus exercet, vicesque Papæ reapse gerere contendit,

immo, non raro pontificiæ jurisdictionis limites pro libitu suo transgreditur.

Cæsaropapismum, jam a Constantino Magno, præsertim vero a tempore Justiniani I, in Ecclesia byzantina de facto viguisse historia compertum est.

Notum est imperatores gentiles summo pontificatu functos fuisse, summosque pontifices fuisse vocatos. Hanc dignitatem in religione christiana retinere quidem nullo modo poterant imperatores ad Christum conversi, quippe qui potestate ordinis carerent; attamen ad Ecclesiam resque ecclesiasticas sibi subjiciendas administrandasque sponte sua tendebant, paulatimque de facto supremam in res religiosas potestatem sibi arripuerunt; unde Ecclesia, quæ in Cæsare protectorem invenisse primum lætata est, mox contra dominatorem ac tyrannum armis suis spiritualibus pugnare coacta est. Non negandum quidem dominativam protectionem imperatorum quandoque in bonum Ecclesiæ cessisse; at multo sæpius hæc tutela onerosa fuit ac damnosa, ut videre est ex tota historia Ecclesiæ orientalis, a Constantino Magno (†337) ad Michaelem tertium (†867).

Quidquid sit de sensu illius effati constantiniani: « *Ego eorum qui (vel quæ ?) sunt extra Ecclesiam episcopus ero* [1] », notum est primum imperatorem christianum rebus ecclesiasticis mere internis non semel se immiscuisse; immo sub finem vitæ suæ, arianæ hæresi favisse.

Quidnam vero ejus successores non attentant, ut Ecclesiam sibi perfecte subjiciant ? Concilia convocant; illis modo ipsi, modo per suos ministros præsunt, ordinem actionum statuunt, decreta confirmant ac promulgant; quandoque etiam, ut in synodo Trullana factum est, his decretis ante omnes episcopos propria manu subscribunt. Episcopis sub pœnis gravissimis injungunt, ut ad synodos ab ipsis convocatas

1. « Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς Ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθιστάμενος ἐπίσκοπος ἄν εἴην. » Ἀκόλουθα δ' οὖν τῷ λόγῳ διανοούμενος, τοὺς ἀρχομένους ἅπαντας ἐπεσκόπει, προὔτρεπέ τε, ὅσηπερ ἂν ἡ δύναμις, τὸν εὐσεβῆ μεταδιώκειν βίον. Eusebius Cæsariensis, *De vita Constantini*, lib. IV, cap. XXIV. *P. G.*, t. XX, col. 1172. Ut ex contextu patet, Constantinus non loquitur de rebus et negotiis Ecclesiæ catholicæ extraneis, sed de hominibus (præsertim de magistratibus) qui Ecclesiæ nondum nomen dederant.

sine mora se conferant. De vita tum clericorum tum monachorum leges edunt; electionibus episcoporum, præsertim vero electioni præsulis regiæ urbis sedulo advigilant, candidatos invisos removent, acceptos designant ac confirmant; præsules ipsorum libidini resistentes e sede expellunt, variis pœnis afficiunt, in exsilium mittunt. Illorum immixtio usque ad res mere liturgicas se extendit[1]. Non loquor de legislatione matrimoniali, quæ aperte indissolubilitati matrimonii christiani contradicit multasque divortii causas sancit, quas ad nostra usque tempora Ecclesia græco-russica retinuit.

Sed hæc leviora. Gravior immixtio cæsaropapismi ea est, quæ directe ipsam fidem, ipsumque dogma respicit. Imperatores byzantini religionem christianam quidem ut religionem Status habent; verum, cum inter christianos pullulent variæ hæreses, non raro doctrinam catholicam deserunt orthodoxosque insequuntur, ut hæresi suffragentur hæreticosque sua protectione muniant. Hujus agendi rationis quandoque causa est pruritus *dogmatizandi* ac theologi nomen sibi comparandi, ut de Justiniano suspicari potest, qui prope jam moriturus de julianismo ab omnibus recipiendo decretum edidit. Sed ut plurimum, hujusmodi decreta dogmatica hæresi faventia ob motivum politicum, seu, ut dicunt, propter rationem Status promulgantur. Huc spectant v. g., *Enkyklion* Basilisci, *Henoticon* Zenonis, Justiniani edicta contra tria capitula, *Ecthesis* Heraclii, *Typus* Constantis II; quorum omnium scopus est, ut Monophysitæ demulcentur, et ad debitam erga imperatores subjectionem revocentur. Ratio politica etiam a consiliis iconoclasticis Leonis Isaurici et aliorum non abfuit. Cum enim milites imperialis exercitus magna ex parte ex Asiæ provinciis oriundi essent, et manichæismo paulicianismoque addicti, imperatores, ut eis complacerent, imaginum cultui bellum indixerunt.

1. Sic, verbi gratia, Justinianus in sua novella CXXIII, hæc habet : *His de causis convenit, ut inter cæteras preces, et ea quæ in sancta oblatione dicuntur, clara voce a religiosissimis episcopis et presbyteris Domino nostro Jesu Christo cum Patre et sancto Spiritu proferantur.* P. L., t. LXXII, col. 1026 *c*. Cf. Pargoire, *L'Église byzantine de 527 à 847*, p. 76.

Effectus cæsaropapismi, quantum ad ecclesiasticam unitatem, luctuosissimi fuerunt. Exinde :

1° *Nationalizatio* (barbarico parce verbo) *religionis in Oriente et conceptus catholicitatis obnubilatio* apud Byzantinos. Dum enim res religiosæ cum profanis et civilibus confunduntur in unumque ita coeunt, ut jam ab invicem oculis omnium indistinctæ appareant, conceptus unitatis catholicæ evanescit, sorsque Ecclesiæ Status ac civitatis fata subsequitur. Ecclesia fit nationalis, et catholica esse desinit.

2° *Omnimoda cleri subjectio imperiali potestati ejusque servus animus erga imperatores.* Hujus subjectionis servitutisque testimonia abundant. *Verbis* ac *factis* imperii byzantini præsules dominatum Cæsaris in Ecclesiam agnoverunt, et admodum pauci fuere, qui imperatorum continuam immixtionem in rebus ecclesiasticis sacrilegamque invasionem in fidei dogmata condemnaverint ac retuderint.

3° *Simultas et odium imperatorum in romanos Pontifices*, qui independentiam Ecclesiæ fideique integritatem contra ipsorum conamina semper tutati sunt. Hæc inimicitia non parum crevit, postquam romani Pontifices, omni spe amissa auxilium a Byzantinis recipiendi contra Longobardos, ad Francos confugerunt, moxque imperium romanum Occidentis instaurarunt, sibique dominium temporale in Italia constituerunt.

Hujus simultatis effectus fuerunt tum apertæ ac violentæ persecutiones contra quosdam papas, inter quos nominandi sunt Liberius, Silverius, Vigilius, Martinus I; tum injustæ avulsiones provinciarum ecclesiasticarum a patriarchatu romano, in commodum atque exaltationem sedis Novæ Romæ, ut factum est tempore Leonis Isaurici, circa annum 732; tum etiam efficax auxilium conatibus ambitiosis episcopi Constantinopolitani præstitum, ut primas totius Orientis christiani fieret æqualitatemque cum romano Pontifice in rebus ecclesiasticis prosequeretur; tum demum subdola protectio præsulib s Occidentalibus in papam rebellantibus (v.g. archiepiscopis Ravennatensibus), liberaliter concessa.

4° Hæc omnia non solum schismati Photiano viam facilem paraverunt, verum etiam septem schismata prævia quibus permanenti separationi præludebatur in Ecclesiam

byzantinam induxerunt. Horum schismatum series hæc est :

1º Schisma Arianum ab imperatoribus Constantio et Valente propugnatum, ab anno 343 ad annum 379 (36 annos).

2º Schisma in causa sancti Joannis Chrysostomi, faventibus Arcadio et Theodosio Juniore, ab anno 404 ad 415 (11 annos).

3º Schisma Acacianum, sub Zenone et Anastasio I, qui aperte monophysismo adhæserunt, ab anno 484 ad annum 519 (35 annos).

4º Schisma Monothelitarum, ab anno 640 ad an. 681, sub Heraclio, Heracleona, Constante II et Constantino VI Pogonato (41 annos).

5º Primum schisma iconoclasticum, ab anno 726 ad an. 787, imperantibus Leone III Isaurico, Constantino Copronymo, Leone IV et Constantino VI (61 annos).

6º Schisma mœchianum, ab anno 806 ad an. 811, sub Nicephoro I [1] (5 annos).

7º Alterum schisma iconoclasticum, ab anno 815 ad annum 843, sub Michaele I Rhangabeo, Leone V Armeno, Michaele II Balbo, et Theophilo (28 annos).

Ergo, inde a morte Constantini Magni (337) usque ad festum Orthodoxiæ, anno 843 celebratum, id est per quingentos sex annos, Ecclesia byzantina a Romana annos ducentos decem et septem divulsa remansit [2].

### II.— De ambitione quorundam præsulum Novæ Romæ.

Alia causa efficiens byzantini schismatis fuit ambitio quorundam præsulum Novæ Romæ, qua æqualitatem cum sede senioris Romæ adipisci indefesse conati sunt. De hac jam in præcedentibus articulis aliqua diximus, cum de occasione remota schismatis necnon de ejus principio fundamentali

1. Sanctus Nicephorus, patriarcha Constantinopolitanus, anno 806 electus, nonnisi post morten Nicephori I (811) de sua electione sanctum Leonem III papam certiorem fecit. Unde, ab anno 806 ad a. 811, separatio quædam inter Romam et Byzantium exstitit. Cf. Pargoire, *L'Église byzantine de 527 à 847*, p. 296.

2. Nostra computatio annorum separationis inter utramque Ecclesiam paulum differt ab illa, quam Duchesne tradit in suo opere : *Autonomies ecclésiastiques. — Églises séparées*, 2ª edit. Parisiis, 1905, p. 164, 165.

ageretur. Nunc vero omnia quæ ad illam spectant breviter contrahenda.

Hujus ambitionis præcipua indicia ac manifestationes fuerunt :

1° In jura canonica ac territorium aliorum præsulum invasiones et usurpationes;

2° Falsarum doctrinarum suppositorumque documentorum ventilatio, quibus romano primatui perfidum vulnus inferebatur;

3° Superbi tituli patriarchæ œcumenici assumptio;

4° Erga imperatores, qui et ipsi exaltationem sedis urbis regiæ sedulo prosequebantur, servilis subjectio, etiam quando fides et unitas Ecclesiæ periclitabantur, vel aperte impugnabantur;

5° Simultas ac invidia in romanos Pontifices his ambitiosis conaminibus illassabiliter resistentes.

1° Nostrum non est minutatim enarrare quomodo factum est, ut episcopus byzantinus, qui primum quidem metropoleos Heracleensis humilis fuit suffraganeus, jam sub finem sæculi quinti verus primas totius Orientis evaserit. Satis sit dicere hanc exaltationem non sine detrimento jurium aliorum episcoporum pacisque ecclesiasticæ completam fuisse. Ipsa romana jurisdictio in provincias Illyrici ab episcopis Constantinopolitanis, complicibus et adjutoribus imperatoribus, non semel læsa fuit, donec decreto Leonis Isaurici, circa annum 732, penitus sublata est [1].

2° Eidem ambitioni tribuenda est propagatio apud Byzantinos quorundam falsorum principiorum schismati ac hæresi plus minusve faventium, inter quæ primum locum obtinet hæc propositio, fundans vigesimum octavum canonem concilii Chalcedonensis, a clero Constantinopolitano, non inscio Anatolio, elaboratum : *Jure Patres Sedi senioris Romæ privilegia tribuerunt, quia urbs illa imperium tenebat.* In hac propositione, ut jam fuse monstravimus, to-

1. Jam anno 421, instigante Attico Constantinopolitano, Theodosius Junior legem promulgaverat, vi cujus omnes Illyrici provinciæ ecclesiasticæ jurisdictioni præsulis Novæ Romæ, *quæ Romæ veteris prærogativa lætatur*, subjiciebantur. Reclamante sancto Bonifacio I papa, hæc lex practice abrogata est; attamen Codici Justiniano, anno 534 promulgato, inserta est. Cf. Duchesne, *op. cit.*, p. 239, 251. Infra, p. 89.

tum schismatis venenum latet. Nec minus periculosa erat illa de quinivertice regimine Ecclesiæ seu de *pentarchia* doctrina, cujus prima vestigia jam a sæculo sexto in Justiniani I Novellis deprehendimus[1], quæque sæculo IX communiter in Oriente docetur.

Pentarchiam namque vocabant regimen quinque patriarcharum, Romani scilicet, Alexandrini, Antiocheni, Constantinopolitani ac Hierosolymitani, quos tum quinque Ecclesiæ capita vocabant, tum cum quinque corporis sensibus comparabant. Quidam hanc pentarchiam divinitus institutam fuisse docere visi sunt[2]. Alii ad dirimendas controversias dogmaticas necnon ad concilium generale efformandum, consensum quinque patriarcharum aut saltem complurium ex ipsis necessarium esse dixerunt[3].

Periculum hujus doctrinæ in eo erat, quod præeminentiam et primatum Romani Pontificis in obscuro ponebat, dum æqualitatem omnimodam inter quinque patriarchas inducere videbatur, illosque ab invicem independentes esse insinuabat, ut ex his verbis patricii Baanis in actione octava concilii octavi prolatis deprehendere licet :

« Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque patriarchiis, et definivit Evangeliis suis, ut nunquam aliquando penitus

1. Cf. *Nov. III, Præf. : lex ad Beatitudinem tuam et reliquos sanctissimos patriarchas scripta. — Nov. V : Hæc omnia sanctissimi patriarchæ sub se constitutis..... metropolitis manifesta faciant.*

2. Elias, syncellus patriarchæ hierosolymitani, cujus vices in concilio octavo gessit, mentem suam de pentarchia his verbis aperuit : *Patriarchalia capita in mundo posuit Spiritus Sanctus, ut in Ecclesia Dei pullulantia scandala per ea exterminentur.* Mansi, *op. cit.*, t. XVI, col. 35, 318. Metrophanes smyrnensis metropolitanus in eodem concilio dixit : *Deus qui fecit duo luminaria magna..... posuit et alia quædam luminaria magna in firmamento Ecclesiæ, videlicet quinque patriarchalia capita in illuminationem totius terræ. Ibid.*, col. 82, 344.

3. Ita Basilius imperator in eadem synodo : *Quæ statuerunt quatuor patriarchales throni, quis poterit solvere ? — Protectione veri Dei nostri, quinque patriarchia orbis terrarum recta sentiunt, et non est læsio fidei, et ideo quidquid judicant, necessario debetis accipere. Ibid.*, col. 356, 86, 89. Baanes patricius contra Photium ejusque asseclas sic argumentatus est : *Ostendite hac hora, quia sive hæresis mota est, sive schisma emersit in qualibet parte, et sensit aliquis extra quatuor patriarchia; immo vero quinque condemnant vos. Quid vobis videtur ad hæc ? Est qui adjuvet vos ?* Hardouin, *op. cit.*, t. V, col. 840.

decidant, eo quod capita Ecclesiæ sint; etenim illud quod dicitur : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, hoc denuntiat : *Quando duo ceciderunt, currunt ad tria; cum tria ceciderint, currunt ad duo; cum vero quatuor forte ceciderint, unum, quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiæ* [1]. »

« Quæ in hac argumentatione artes, ait Thomassinus, quæ fraudes delitescerent, excutere supersedeo. Hoc unum moneo Græcorum artes offuciasque in coæquandis quinque patriarchis, prohibere non potuisse quin experimento tot sæculorum — quæ luculentissima certissimaque est Scripturarum interpretatio —, constet illum unum, qui primus est inter patriarchas [scilicet romanus Pontifex] cæteris affuisse sæpissime ab errorum hæresumque barathro educendis, nec eguisse ipsum unquam beneficii vicissitudine [2]. »

Huic doctrinæ byzantini præsules libenter arridebant. Illorum enim ardenti desiderio favebat seipsos romano Pontifici coæquandi, dum nonnisi imbelles æmulos in aliis tribus patriarchiis orientalibus a Barbaris occupatis invenirent. Pentarchiam profitebantur qui bene sciebant non adesse tunc nisi *dyarchiam*, ut optime notavit Hergenröther [3].

Verum, quidquid Novæ Romæ præsules tentarent ad suam sedem exaltandam, hæc romanæ Sedi inferior in hoc semper remanebat, quod origine apostolica gloriari non poterat. Ad retundendam Anatolii cupiditatem, sanctus Leo Magnus Marciano imperatori scripserat : *Satis sit Anatolio quod vestræ pietatis auxilio et mei favoris assensu, episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem.* Hæc verba auribus episcoporum Byzantinorum dure sonabant, quippe quæ illis humilem eorum originem in mentem revocabant. Factum est autem ut, durante schismate Acaciano (484-519), falsarius quidam peropportune inventus sit, qui Ecclesiæ Constantinopolitanæ fundationem Andreæ Apostolo *protoclito* (= primo omnium a Christo vocato) tribuerit [4]. Hæc fabula a ·ud Byzan-

1. *Acta concilii Constant.* IV, apud Mansi, *op. cit.*, t. XVI, col. 140, 141.
2. *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. I, cap. XIII, 7.
3. Hergenröther, *Photius*, t. II, p. 143. Regensburg, 1867.
4. Hujus fabulæ auctor fuit quidam Procopius presbyter, qui sub fictitio nomine Dorothei Tyrii opusculum edidit *de septuaginta dis-*

tinos tanquam factum indubitatum mox recepta est; postea, etiam in Occidente fidem invenit [1]. Ab hujus fabulæ adinventione alienos non fuisse episcopos Novæ Romæ, aut saltem eorum clericos, conjicere fas est. Hac fraude Nova Roma Antiquæ evasit æqualis in ratione apostolicitatis, Petroque *coryphæo* fratrem ejus Andream *protoclitum* opponere jam licuit.

3° Hæc vero non omnia. Pelagio II enim summo Pontifice, anno 588, Joannes IV, patriarcha Constantinopolitanus, quem nomine Jejunatoris designant, Constantinopoli synodum congregravit ad causam Gregorii patriarchæ Antiocheni, falsis criminibus insimulati, examinandam; cui interfuerunt tum Hierosolymitanus, tum Alexandrinus præsul; de cujus tamen convocatione romanus Pontifex non fuit certior factus. In hac synodo, ut scribit sanctus Gregorius papa, Joannes Jejunator « *se universalem* [seu œcumenicum], *patriarcham appellare conatus est* [2] ». Re quidem vera, ante hanc synodum, titulus patriarchæ œcumenici non semel tum romano Pontifici tum Constantinopolitano præsuli in documentis ecclesiasticis, vel etiam in Justiniani Novellis, tributus fuerat; at nunquam neque papæ, neque Jejunatoris prædecessores sua sponte superbam appellationem sibimet vindicaverant, nedum ab aliis hoc nomine vocari petierint.

Quid præcise intenderit Joannes IV, hunc ambitiosum titulum assumendo, non clare constat. Certum est illum romanæ Sedis supremam in universam Ecclesiam jurisdictionem non negasse, immo positive agnovisse [3], neque un-

*cipulis Domini et duodecim Apostolis. P. G.*, t. XCII, col. 1059-1074. Juxta hanc fabulam, Andreas apostolus suum discipulum Stachym, de quo sanctus Paulus in epistola ad Romanos, cap. XVI, 9, primum Byzantii episcopum ordinavit. Vide articulum S. Vailhé, in *Échos d'Orient*, t. X, p. 287 sq. : *Origines de l'Église de Constantinople.*

1. Hoc commentum e Martyrologio romano nondum expunctum est.

2. *S. Gregorii Magni epistolæ*, lib. V, epist. XLIII *ad Eulogium et Anastasium. P. L.*, t. LXXVII, col. 771. Vide articulos S. Vailhé in *Échos d'Orient*, t. XI, 65, 161 : *Le titre de patriarche œcuménique.*

3. Præsertim in causa Joannis presbyteri chalcedonensis et monachi Athanasii, qui de sententia Jejunatoris ad papam appellarunt. Gregorius ipse scribit : *Nam de constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam, quod et piissimus domnus imperator et frater noster ejusdem civitatis episcopus assidue profitentur. P. L.*, t. LXXVII, col. 957.

quam de hoc illum accusat sanctus Gregorius, quod primatum Romanum directe attentet, sed tantum quod *despectis fratribus, episcopus appetat solus vocari*[1]. — *Si enim unus patriarcha universalis vocatur, patriarcharum nomen cæteris derogatur*[2]. — Et : *Qui solus sacerdos appellari appetit, super reliquos sacerdotes se extollit*[3]. Conjicere licet Jejunatorem illiusque successores œcumenici nomen expetivisse propterea quod scirent tali vocabulo romanos Pontifices tum in concilio Chalcedonensi tum alias decoratos fuisse, studioque gestirent primatum in totum Orientem adipiscendi, seipsosque, quoad jura patriarchalia, coæquandi papis, qui toti Occidenti præsidebant. « Quantum capio, ait Lequien, mens Constantinopolitanorum in condendo illo vigesimo octavo, de quo jam ante disputavimus, canone Chalcedonensi, et in adsumendo œcumenici titulo, quem romanis Pontificibus quandoque adtributum legerent, hæc omnino videtur fuisse ut, quemadmodum, licet duo imperatores, Orientis scilicet et Occidentis, essent, indivulsa tamen potestate, romanum omne imperium regebant illi, ac si unicus princeps esset, ita romana et Constantinopolitana Sedes instar unius forent, quæ universum orbem Christianum administraret, eaque copula Constantinopolitanus patriarcha, haud secus atque romanus papa, œcumenicus dici deberet, posthabitis proinde Alexandrino atque Antiocheno episcopis[4]. »

In hunc fere sensum œcumenici vocabulum explanarunt Græci in concilio œcumenico octavo, quando Anastasius Bibliothecarius de hoc illos interrogavit : « Adserebant nempe quod non ideo œcumenicum, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent patriarcham, quod totius orbis teneret principatum; sed quod cuidam parti orbis, quæ a Christianis habitatur, præsideat[5]. » Sed quænam est hæc orbis pars, de qua isti, nisi totus Oriens christianus, cum præ-

1. *Ibid.*, col. 738.
2. *Ibid.*, col. 771.
3. *Ibid.*, col. 892.
4. *Panoplia contra schisma Græcorum*, p. 204, 205.
5. Anastasius Bibliothecarius, *Prologus ad latinam translationem septimæ synodi* Joanni VIII nuncupatam. Hardouin, *op. cit.*, t. IV, col. 20.

sules Novæ Romæ soli œcumenici appellari velint in Oriente, et etiam hoc nomine honorari a patriarchis Alexandrino et Antiocheno postulent ?

Unde perspicuum est sub hoc ambitioso titulo, perinde ac in canone vigesimo octavo Chalcedonensi, venenum schismaticum latere. Eadem ambiguitate laborat; iisdem schismaticis hæreticisque interpretationibus ansam offert; eadem consectaria unitatis ecclesiasticæ destructiva sponte parit. Merito igitur romani Pontifices huic superbi tituli usurpationi reclamaverunt.

4° Ut diximus supra, imperatores byzantini ambitioni episcoporum Constantinopolitanorum omni pacto auxiliati sunt. Episcopi isti suis protectoribus ac benefactoribus vicem reddiderunt, et cæsaropapismi dociles humilesque servi ac ministri, si paucos excipias, plerumque visi sunt. Unde mirum non est multos ex ipsis schismaticos hæreticosque fuisse. Ex quinquaginta tribus præsulibus, qui a primo concilio Nicæno (325) ad secundum ejusdem nominis (787), sedem Novæ Romæ tenuerunt, non minus quam undeviginti hæretici notorii fuerunt; quorum plures nominatim a conciliis œcumenicis damnati sunt. His adjungendi sunt plus quam decem alii, qui quamvis hæresi formaliter non adhæserint, attamen extra communionem romanæ Ecclesiæ remanserunt, eo quod prædecessores suos schismaticos ac hæreticos e diptychis ecclesiasticis expungere renuerunt [1].

5° His præsulibus cum obsisterent romani Pontifices, eorum inimicitiam atque invidiam non raro in se concitaverunt. Sufficiat hic memoriam renovare reclamationum sancti Leonis Magni contra canonem vigesimum octavum concilii Chalcedonensis, Pelagi II, sancti Gregorii Magni ac aliorum contra titulum patriarchæ œcumenici, Bonifacii I, Gregorii II et ejus successorum contra invasiones in illyricas provincias patriarchatus romani. Quamvis clerus byzantinus una cum suo duce patriarcha in aliquibus circumstantiis solennioribus primatum successoris Petri diserte profiteatur, præsertim in conciliis œcumenicis, quæ post lon-

1. Vide Duchesne, *Églises séparées*, p. 72, 73. Vailhé, *Les patriarches de Constantinople*, in *Échos d'Orient*, t. x, p. 221. Inter episcopos hæreticos præcipui fuerunt : Eusebius Nicomediensis, Macedonius, Eudoxius, Nestorius, Acacius, Sergius, Pyrrhus.

gam communionis interruptionem ob hæreses imperiales, Ecclesiæ pacem ac unitatem redintegrant, attamen contra romanam Sedem animum infensum sæpius fovet, et nullam prætermittit occasionem illi negotia facessendi aut humiliationem aliquam irrogandi. Nonne huic infenso animo tribuenda est illa Honorii papæ inter hæreticos interpositio, quæ in concilio sexto facta est, quanquam nec mente nec verbo Honorius hæreticus fuit, et solummodo alicujus negligentiæ in profligando monothelismo reus; et illa superba synodi Trullanæ præsumptio, quæ romanæ Ecclesiæ dicere leges non dubitavit, seipsam œcumenicam appellans et illos canones approbans, in quibus primatus romanæ Sedis directe vel indirecte impugnatur ?

### III. — De nimio patriarum rerum amore necnon de mutua Græcos inter et Latinos aversione.

Inter causas schismatis præparatorias, illa sane non prætereunda, sed certo computanda, nimia scilicet proprii ingenii atque cultus admiratio qua Græci et Byzantini omne quod patrium non erat aut contemnebant, aut parvi pendebant, cæterasque gentes ut barbaras habebant. Notum est, jam ante Christi adventum, Græcos et Romanos ab invicem fuisse aversos, contemptumque mutuum nutrivisse. Non enim una erat utriusque gentis indoles. Christiana religio hanc inter Occidentales et Orientales repugnantiam mitigavit quidem, sed non penitus abstulit. Sub influxu quorundam eventuum diversarumque circumstantiarum, aversio Byzantinorum erga Occidentales inde a sæculo quinto magis magisque crevit. Divisio imperii romani in duas partes, Barbarorum invasio in regiones Occidentis, imperii Occidentis prima destructio, illiusque, sub initio sæculi IX, auctore Pontifice romano, instauratio in regum Francorum commodum, cæsaropapismi improba agendi ratio erga Ecclesiam, præsertim erga Apostolicam Sedem, quæ pro defensione fidei et ecclesiasticæ libertatis fortiter libidini imperatorum restitit; simultas præsulum Novæ Romæ erga Petri successores, de qua mox loquebamur : hæc omnia ad augendam inimicitiam Byzantinorum erga Occidentales non parum contulerunt, illosque ad acceptandam separationem Ecclesiæ

orientalis ab unitatis centro Romæ divinitus posito sensim præpararunt. Quomodo enim illi cultissimi homines, de suis poetis, rhetoribus, philosophis, historicis, Patribus gloriantes, atque Christum in Oriente, non vero in Occidente natum jactantes, romano Pontifici inter barbaros degenti ac eorum favore protectioneque munito obsequium libenter præstavissent ? Cum autem contemptus contemptum, inimicitia inimicitiam pariat, mirum non est Occidentales vicissim aversatos fuisse Byzantinos, de eorum superbia, litum cavillationumque amore, ad schismata hæresesque propensione non raro conquerentes.

Hujus mutuæ aversionis effectus luctuosissimus ignoratio fuit litterarum theologicarum Occidentis apud Græcos, Orientis apud Latinos. Verum quidem est hujusmodi ignorantiam, cujus primordialis causa linguarum exstitit diversitas, ex parte tantum fuisse, talem tamen quæ in rebus magni momenti, erroribus locum non raro dederit. Exinde terminorum ambiguitates atque sententiarum falsæ interpretationes in transferendis documentis; exinde de errore et hæresi utrimque facilis suspicio. Putasne Græcos illud *Filioque* tam vehementer impugnaturos fuisse, si Augustini opera aliorumque Patrum latinorum scripta sedula manu evolvissent? Sed infeliciter, præsertim inde a sæculo VIII, hæc penitus fere illos latuerunt. Latini quidem majorem de græcis Patribus notitiam habuerunt quam Græci de Latinis; non semper tamen Græcorum doctrinam, v. g., quando de imaginum cultu actum est, bene perspectam habuerunt, eo quod de scriptis theologicis Orientalium parum curarent, et græci sermonis sufficienti notitia vacarent[1].

## ARTICULUS IV

### De materia schismatis.

Cæsaropapismus, ambitio quorundam præsulum Novæ Romæ, superbia gentica : en tres præcipuæ causæ, quæ positivum ac directum influxum habuerunt in præparandos animos

1. Jam sæculo VI, sanctus Gregorius Magnus, qui apocrisiarii romani Pontificis officio Constantinopoli functus fuerat, de difficultate inveniendi Romæ idoneos interpretes documentorum græcorum con-

ad lugendum schisma Ecclesiarum sine reluctatione admittendum. Præter has causas vere efficientes, alia quædam aderant separationi materialiter tantum suffragantia, quæ tanquam illius causam materialem considerare possumus. Hæc autem sunt omnes illæ differentiæ ac discrepantiæ in ritibus, consuetudinibus legibusque ecclesiasticis, in modo concipiendi ac tractandi theologicas disciplinas, quæ quamvis ex se rumpendæ catholicæ unitati impares forent, attamen schismatis fautoribus materiam quasi infinitam subministrabant ad separationis murum ædificandum. Hac materia, ut postea videbimus, usi sunt quum Photius, tum Michael Cærularius omnesque unitatis adversarii, ad texendos catalogos plus minusve longos discrepantiarum inter Ecclesiam orientalem atque occidentalem existentium.

### I. — De differentia in ritibus.

Ad cultum ritusque liturgicos quod attinet, non exigua erat inter Occidentales et Orientales diversitas :

1° Calendarium festorum non unum utrimque erat, quamvis in multis conveniret.

2° Ritus ac cærimoniæ necnon precum, orationum, formularumque sacrarum verba tum in sacrosancti Missæ sacrificii celebratione, tum in sacramentorum administratione, ab invicem non parum discrepabant. Romæ, per totum quadragesimæ tempus, missa de more celebrabatur, dum Constantinopoli, liturgia consueta adhibebatur solummodo sabbato et die dominica cujusque hebdomadis necnon in festo Annuntiationis; aliis vero diebus, liturgia de præsanctificatis dicta peragebatur [1].

queritur. Auctor *Librorum carolinorum* formulam græcam de processionibus divinis ἐκ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ tanquam hæresim sapientem carpit, dum tempore sancti Maximi Confessoris († 662), formula Latinorum *a Patre Filioque* aures Byzantinorum offendit. Item celeberrimum opus sancti Joannis Damasceni : Πηγὴ γνώσεως seu *De fide orthodoxa* usque ad sæculum XII Occidentales latuit. Photii præcipuum fetum contra dogma catholicum de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio Latini pariter ignorarunt, usque ad idem tempus. Ignoratio vero Patrum et theologorum latinorum in Oriente, inde a sæculo VIII, fuit pæne absoluta.

1. Canon 52 synodi Trullanæ usum romanum prohibet : « In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato,

3° Ad conficiendum Eucharistiæ sacramentum ac sacrificium, Græci byzantini pane fermentato utebantur, dum Latini azymum adhibebant [1].

4° Romæ, in festivitatibus Paschæ et Pentecostes, lac et mel pro neophytis ad altare offerebant. Hic usus, apud Byzantinos ignotus, a synodo Trullana carpitur[2].

5° Item, in africana Ecclesia, feria v in Cœna Domini, missæ sacrificium post cibi sumptionem in dominicæ Cœnæ memoriam peragebant; quod districte prohibet eadem Trullana synodus [3];

6° Romæ, canticum Alleluia a Septuagesima usque ad Pascha omittebant, dum Byzantini, etiam jejunii tempore, ante omnem Evangelii lectionem de more illud canere pergebant.

7° In Hispaniæ regionibus, ob arianæ hæreseos exsecrationem, trinam in baptismatis collatione mersionem jam a tempore sancti Gregorii Magni omittebant, una tantum contenti, dum in Oriente usus antiquus immutatus permanebat.

8° In iisdem Hispaniæ regionibus, inde a sæculo sexto, symbolum fidei Nicæno-Constantinopolitanum dictum, cum additione vocis *Filioque* recitabant, moxque in Ecclesiis Galliæ ac Germaniæ hæc additio recepta est. In Oriente autem, symbolum sine ulla additione servabant.

9° Apud Byzantinos, simplex presbyter sacramentum chrismatis statim post baptisma conferebat, dum in Occidente administratio hujus sacramenti episcopis reservabatur;

et dominica, et sancto Annuntiationis die, fiat sacrum præsanctificatorum ministerium, γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία. Hardouin, *op. cit.*, t. III, col. 1681.

1. Certum est, ex testimonio Rabani Mauri, *Institutio clericorum*, lib. I, cap. XXX, et Alcuini, in sua ad Laidradum Lugdunensem epistola, panem azymum oblatum fuisse in Ecclesia romana, sæculis octavo et nono; ergo ante schisma photianum. Cf. ea, quæ infra dicimus, p. 314.

2. Ὅτι οὐ χρὴ ἐν τοῖς θυσιαστηρίοις μέλι καὶ γάλα προσφέρεσθαι. Can. 57. Hardouin, *loc. cit.*, col. 1684.

3. « Statuimus, apostolicas ac paternas traditiones sequentes, non oportere in quadragesimæ postrema septimana, quinta feria, jejunium solvere, et totam quadragesimam injuria afficere, καὶ ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν ἀτιμάζειν. Ex canone 29. Hardouin, *ibid.*, col. 1671.

unde nonnisi raro statim post baptisma dabatur, et ad aliud tempus differebatur.

10° Si Photio fides adhibenda, in Ecclesia latina quandoque simplices diaconi ad episcopatus ordinem immediate promovebantur quin prius presbyteratus ordinationem reciperent. Apud Byzantinos, talis consuetudo ut gravis abusus habebatur [1].

Multæ aliæ differentiæ in re liturgica et rituali exstabant, quas recensere supersedemus.

### II. — De differentia in usibus et disciplina canonica.

Si ad disciplinam canonicam ecclesiasticasque consuetudines respiciamus, majorem adhuc discrepantiam inter utramque Ecclesiam deprehendemus. Fontes juris canonici utrimque communes hi tantum erant :

1° Canones Apostolorum quinquaginta primi. Horum auctoritas in Occidente non magna erat; quidam enim de eorum authenticitate merito dubitabant, et Hormisdas papa († 523) in sua recognitione Gelasiani decreti (?) *De libris non recipiendis* illos apocryphos esse implicite declaraverat. Byzantini autem, præter hos quinquaginta, triginta quinque alios recipiebant, illos tanquam verum fetum apostolicum habentes permagnique facientes.

2° Canones conciliorum Nicæni I, Sardicensis (cum quibusdam lectionibus variantibus), Ancyrani, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodicensis (excipe hujus canonem sexagesimum, quem Dionysius Exiguus neglexit propter incompletum librorum sacrorum catalogum), Constantinopolitani I (381) (cujus tamen quatuor tantum primos canones Dionysius transtulit, qui soli genuini sunt; tertius vero

1. « Item, si quis apud nos, presbyterii consecrationem præteriens, episcopatus ordinem diacono imposuerit, ut culpæ maximæ reus condemnatur; quidam vero, omni discrimine remoto, aut presbyterum provehunt ad episcopatum, aut diacono episcopi dignitatem conferunt, medium transilientes ordinen. » *Photii Epistolarum* lib. I, epist. II, *ad Nicolaum papam. P. G.*, t. CII, col. 605. Vide notam Hergenrötheri, *Photius*, t. I, p. 680, nota 77. Æneas Parisiensis, in suo libro adversus Græcos, concedit quandoque accidisse, ut diaconi ad episcopatum sine receptione presbyteratus promoti fuerint. *P. L.*, t. CXXI, col. 759, 760.

canon a romanis Pontificibus semper rejectus fuit[1]); Chalcedonensis præter ultimum vicesimum octavum canonem ab Ecclesia romana reprobatum, a Byzantinis autem practice, et etiam *publice* post syndum Trullanam, receptum.

3° Justiniani libri legum, quorum tamen auctoritas, vis atque influxus in disciplinam ecclesiasticam multo majores in Oriente quam in Occidente exstitere.

Præter istos fontes, in Ecclesia occidentali vigebant tum decretales Summorum Pontificum, tum multorum conciliorum particularium decreta, tum etiam quædam statuta (v. g. Caroli Magni capitularia) a regibus Occidentis prolata, quorum nulla mentio apud Byzantinos occurrit.

Hi vero suam propriam disciplinam hauriebant :

1° Ex triginta quinque ultimis canonibus Apostolorum;

2° Ex tribus ultimis canonibus pseudepigraphis concilii Constantinopolitani I;

3° Ex legislatione canonica synodi Trullanæ falsa œcumenicitate ab Orientalibus donatæ. Hæc synodus, præter sua propria statuta, multos novos juris canonici fontes in Ecclesiam byzantinam invexit, scilicet statuta conciliorum Africanorum, Constantinopolitani concilii sub Nectario (anno 394), Alexandrini sub Theophilo (anno 399), sancti Dionysii et sancti Petri Alexandrinorum, Gregorii Thaumaturgi, Athanasii, Basilii, Gregorii Nysseni, Gregorii Nazianzeni, Amphilochii Iconiensis, Timothei Alexandrini, Cyrilli Alexandrini, Gennadii Constantinopolitani, et tandem canonem sancti Cypriani et synodi, quæ sub ipso fuit, « solum apud Afros servatum », ut ait synodus, quamvis jamdudum etiam in Africa obsoletum; agitur enim in isto canone de hæreticorum rebaptizatione.

4° Ex viginti duobus canonibus concilii Nicæni II, quos Summi Pontifices sua approbatione non confirmarunt [2].

5° Ex variis legibus imperatorum ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus.

Inter consuetudines quæ hinc et inde differebant, has notamus, quas mox schismatis auctores in medium proferent,

1. Collectiones græcæ habebant tres alios canones spurios sub nomine concilii centum quinquaginta Patrum.

2. Hefele-Leclercq, *op. cit.*, t. III, p. 581.

quarumque plures jam a synodo Trullana declarabantur :

1° Tempore Quadragesimæ, Romani jejunium sabbati observabant, dum Byzantini jejunium sabbato solvebant. Usum romanum Patres Trullani sub pœna excommunicationis prohibere ausi sunt [1].

2° Byzantini jejunium quadragesimale jam a feria secunda nostræ Septuagesimæ inchoabant, et a feria secunda nostræ Quinquagesimæ, *xerophagiam* observabant, ab ovis lacticiniisque abstinentes. Quadragesima latina non iisdem regulis temperabatur ; in diversis Ecclesiis diversæ erant observantiæ tum quoad jejunii durationem, tum quoad ciborum qualitatem, ut videre est apud Ratramnum : *Contra Græcorum opposita romanam Ecclesiam infamantia* (*P. L.*, t. CXXI, col. 321). In aliquibus locis, v. g., in Germania, usus ovorum, lactis e casei permittebatur, non solum prima hebdomada Quadragesimæ, verum etiam toto jejunii tempore [2].

3° In Ecclesia latina, diaconi et presbyteri lege cælibatus perpetui tenebantur. Qui ante ordinationem matrimonium contraxerant, ab ejus usu abstinere debebant. Apud Byzantinos autem, diaconi et presbyteri qui ante suam ad ordines promotionem uxorem duxerant, matrimonio uti pergebant post ordinationem, exceptis diebus quibus ad altare inser-

1. « Quoniam intelleximus in Romanorum civitate, in sanctis Quadragesimæ jejuniis, ejus sabbatis jejunare præter ecclesiasticam traditam observationem, sanctæ synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcusse vires habeat canon qui dicit : *Si quis clericus inventus fuerit in sancto die dominico vel sabbato jejunare, præter unum et solum, deponatur, sin laicus, segregetur* (canon 66 Apostolorum). Hardouin, *op. cit.*, col. 1681. Notandum est, tempore Photii, jejunium sabbati non fuisse observatum in omnibus Occidentis Ecclesiis, sed in quibusdam tantum : *Major numerus Occidentalium*, ait Ratramnus, *in sabbato non jejunat.* » *Op. cit.*, col. 312.

2. Usum ovorum et casei in sabbatis et dominicis Quadragesimæ synodus Trullana Armenis interdicit in suo canone 56 : « Similiter accepimus et in Armenorum regione, et *in aliis locis*, in sabbatis et dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam ova et caseum comedere. Visum est ergo et hoc, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe unum ordinem sequens, jejunium perficiat, et abstineat, sicut ab omni mactabili, sic ab ovis et casco, quæ quidem sunt fetus et fructus eorum a quibus abstinemus. Si autem hoc non servaverint, si sint quidem clerici, deponantur ; sin autem laici, excommunicentur. » Hardouin, *ibid.*, col. 1682.

viebant. Consuetudinem romanam synodus Trullana reprobavit, et sub gravissimis pœnis in suo 13 canone prohibuit [1].

4° In urbe Roma, numerus diaconorum ad septem limitabatur, in memoriam septem primorum diaconorum. Constantinopoli vero, diaconorum certus numerus non erat. Synodus Trullana etiam in hac re Romanos redarguit his verbis : « Quoniam Actuum liber septem diaconos ab Apostolis constitutos esse tradit, Neocæsariensis autem synodus sic in a se editis canonibus aperte disseruit : *Quod septem debent esse diaconi ex canone, etiamsi sit valde magna civitas; persuadeberis autem ex libro Actuum* —, nos cum dicto apostolico Patrum mentem componentes, invenimus eos non de viris esse locutos qui ministrant mysteriis, sed de ministerio in mensarum usibus adhibito, cum liber Apostolorum sic habeat : *In diebus illis*, etc. (Act. VI). Hæc interpretans Joannes Chrysostomus, sic prosequitur... *Quamnam autem habebant hi auctoritatem, et quam acceperunt ordinationem, scire est necessarium. Numquid diaconorum ? Atqui hoc non est in Ecclesiis ? Sed estne presbyterorum dispensatio ? Atqui nullus adhuc erat episcopus, sed soli Apostoli. Unde nec diaconorum nec presbyterorum nomen apertum ac manifestum esse existimo (Homil.* XIV, *in Act. Apost.)*. Propter hæc ergo

1. « Quoniam romanæ Ecclesiæ pro canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad diaconatum vel presbyteratum, profiteantur se non amplius suis uxoribus conjungendos ; nos, antiquum canonem apostolicæ perfectionis ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris legitima conjugia deinceps quoque firma et stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes; vel eos mutua, tempore convenienti, consuetudine privantes. Quamobrem, si quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus, diaconus vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum : ne ex eo a Deo constitutas et sua præsentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur, evangelica voce clamante : *Quæ Deus conjunxit, homo non separet.... Si quis ergo fuerit ausus, præter apostolicos canones incitatus, aliquem eorum qui sunt in sacris, presbyterorum, inquimus, diaconorum vel hypodiaconorum, conjunctione cum legitima uxore et consuetudine privare, deponatur. Similiter et si quis presbyter vel diaconus suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, excommunicetur, et si perseveret, deponatur* ». Hardouin, *ibid.*, col. 1666.

nos quoque prædicamus, ut prædicti septem diaconi non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt, ut est prius exposita doctrina, sed eos esse quibus fuit concredita ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc congregati erant : qui nobis in hoc quoque forma fuere humanitatis et studii in eos qui indigent[1].»

5° Clerici latini barbam radebant, Byzantini autem *pogonophori* erant. Gravis sane quæstio, quam mox Photius animadvertet!

### III. — De differentia in modo concipiendi ac tractandi veritates fidei.

Non solum in re liturgica et disciplinari, sed etiam in provincia theologiæ dogmaticæ aliqua diversitas notabatur. Eadem veritas dogmatica quandoque non sub una eademque ratione utrimque respiciebatur et exponebatur. Sic, verbi gratia, in mysterio sanctissimæ Trinitatis tractando et pro humano captu elucidando, non eadem via pergebant Latini atque Græci. Alii, Græci scilicet, prius in hypostases quam in divinam essentiam mentis oculos figebant; Latini vero, Augustino duce, ex consideratione essentiæ et processionum ad intra ad personas deveniebant. Unde factum est, ut utrique diversam formulam plerumque adhibuerint in processione Spiritus Sancti exprimenda. Sanctus Joannes Damascenus scribebat : *Spiritus Filii, non tanquam ex ipso Filio, sed tanquam per Filium ex Patre procedit*[2]. Theologi autem occidentales dicebant : *Spiritus Sanctus ex Patre Filioque procedit.* Sicut Græcorum loquendi modum non facile Latini admittebant, ita et Græci formula latina offendebantur[3].

Præterea, alia maximi momenti differentia deprehende-

1. Can. 16, Hardouin, *ibid.*, col. 1667. Admirare horum Patrum nugatoriam sollicitudinem de consuetudinibus aliarum Ecclesiarum eorumque intolerabilem arrogantiam. Num hoc immodico canone opus erat ad usum ex se indifferentem reprobandum ?

2. Υἱοῦ Πνεῦμα οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον· μόνος γὰρ αἴτιος ὁ Πατήρ. *De fide orthodoxa*, lib. I, cap. XIII.

3. Ut videre est ex epistola sancti Maximi confessoris ad Marinum. Cf. p. 158 sq.

batur in modo quo utrimque partes Ecclesiæ docentis erga fidei depositum concipiebantur. Post præclaram magnorum Patrum ætatem, Byzantini sterilitate quadam intellectuali laborarunt. Traditionis custodes strictissimi, nihil aut fere nihil contulerunt ad elucidanda explanandaque fidei dogmata rationis ope; immo in omnem novam veritatis revelatæ explicationem, in omnem fidei intellectum quærentis progressum tanquam in damnandam innovationem sponte erigebantur. Quidquid non dixerant antiqui, illis suspectum erat.

Eodem rigidi *conservatismi* spiritu moti, fidei dogmata quæ semper, ubique et ab omnibus integra et immutata servari debent, cum ritibus, consuetudinibus legibusque ab Ecclesia pro temporum ac locorum varietate et commoditate statutis facile confundebant, eamdem auctoritatem, eamdemque vim ac firmitatem his et illis tribuentes.

Occidentales vero, quamquam traditionis antiquæ tenaces, novitatumque in iis quæ ad fidem spectant certissimi adversarii, mutationes in ritibus diversisque usibus originem mere ecclesiasticam habentibus ultro admittebant, nec alios de mutationibus hujusmodi arguere cogitabant. Ad theologiam quod spectat, omnem novam investigationem ac disquisitionem a priori non repudiabant. Spiritu liberiori juvenilique quodam ardore acti, inde a tempore Caroli Magni, ad disciplinas theologicas augendas felices conatus jam auspicantur; quibus præclaris magnorum Scholasticorum indagationibus præluditur.

## ADNOTATIONES AD CAPUT PRIMUM

### I

#### Romani Pontifices contra canonem III Constantinopolitanum et canonem XXVIII Chalcedonensem.

Ut suum de prærogativis Novæ Romæ canonem firmarent, Patres Chalcedonenses, ut supra vidimus, auctoritatem concilii Constantinopolitani primi prætenderunt. Notandum est autem hujusmodi concilium, anno 381, sub Theodosio Magno habitum, a principio non fuisse concilium œcumenicum proprie dictum, sed tantum synodum episco-

porum orientalium, ad quam neque romanus Pontifex neque alii episcopi Occidentis vocati fuere. Photius quidem contendit Damasum papam hoc concilium approbavisse, paulo post ejus celebrationem [1]; sed verisimile est hanc approbationem fuisse tantummodo tacitam et implicitam, quatenus romanus Pontifex cum episcopis Orientalibus communicavit, et illos ut orthodoxos in fide habuit [2].

Insuper, hæc approbatio non respiciebat canones disciplinares sed solummodo professionem fidei a concilio conscriptam contra Macedonianos aliosque hæreticos. In quadam enim ad Anatolium epistola, anno 452 data, sanctus Leo Magnus aperte declarat hos canones nunquam a prædecessoribus Anatolii ad Apostolicæ Sedis notitiam fuisse transmissos [3]; sanctus vero Gregorius Magnus idem confirmat his verbis : *Romanq Ecclesia eosdem canones vel gesta synodi illius hactenus non habet, nec accepit* [4]. Cæterum, notum est concilium Constantinopolitanum primum ut œcumenicum ab Ecclesia universali non fuisse receptum ante sæculum sextum, et hanc œcumenicitatem ad decretum dogmaticum et symbolum fidei ejus nomine vulgatum limitari [5].

Quamquam autem sanctus Damasus papa ab episcopo Constantinopolitano canones hujus concilii non accepit, videtur tamen canonis tertii aliquam habuisse notitiam; quod

1. Καὶ Δάμασος, ὁ τῆς Ῥώμης, τὰ αὐτὰ κρατύνων ἐγνωρίζετο, σύμφωνος τοῖς προσλαβοῦσι καθιστάμενος. Photii epist. lib. I *epist. ad Michaelem Bulgariæ principem, P. G.*, CII, col. 628.

2. Ex quadam epistola Bonifacii papæ I ad episcopos Illyrici directa, comperimus Damasum papam ordinationem Nectarii constantinopolitani approbasse, postulante Theodosio imperatore : *Clementissimæ recordationis princeps Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum episcopis, formatam huic a Sede romana dirigi regulariter depoposcit. quæ ejus sacerdotium roboraret.* Bonifacii papæ I *epistola* XV, *Rufo et cæteris Illyrici episcopis, P. L.*, t. XX, col. 783. Hæc epistola Bonifacii scripta fuit anno 422. Cf. Jaffé, *Regesta Summorum Pontificum*, p. 365.

3. « Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorundam episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta conscriptio, nunquamque a prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitia. Epist. CV, *ad Anatolium, P. L.*, t. LIV, col. 1005.

4. *Epist.*, lib. VII, epist. XXXIV, *P. L.*, t. LXXVII, col. 893.

5. Hefele, t. II, p. 42.

conjici potest ex quodam loco *Decreti Damasi de explanatione fidei*, in magno concilio romano anni 382 promulgati, qui sic se habet;

« Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolica quas superius deprompsimus scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus quod, quamvis universæ per orbem catholicæ diffusæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, *sancta tamen romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce et Salvatoris nostri primatum obtinuit : « Tu es Petrus, inquiens, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cælorum, et quæcumque ligaveris super terram erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveris super terram erunt soluta in cælo.* Addita est etiam societas beatissimi Pauli apostoli, vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die, gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub cæsare Nerone agonizans coronatus est, et pariter supradictam romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aliisque omnibus urbibus in universo mundo sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt. *Est ergo prima Petri apostoli Sedes romanæ Ecclesiæ, non habens maculam nec rugam nec aliquid ejusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus discipulo atque evangelista consecrata est, ipseque in Egyptum directus a Petro apostolo verbum veritatis prædicavit, et gloriosum consummavit martyrium. Tertia vero sedes apud Antiociam* (sic) *beatissimi apostoli Petri habetur honorabilis, eo quod illic, prius quam Romam venisset, habitavit, et illic primum nomen christianorum novellæ gentis exortum est* [1]. »

Tribuendo primatum honoris post romanum Pontificem episcopo Constantinopoleos, præcise quia hæc urbs erat Nova Roma, centum quinquaginta Patres non explicite quidem, sicut fecerunt Patres Chalcedonenses, attamen tacite

1. H. Turner, *The roman council under Damasus, A. D. 382*, in *The Journal of theological studies*, 1900, t. I, p. 554-560. A. Thiel, *De decretali Gelasii papæ de recipiendis et non recipiendis libris, et Damasi concilio romano de explanatione fidei et canone Scripturæ sanctæ*, Braunsberg, 1866, p. 20-22.

et per modum subdolæ insinuationis, privilegiorum romanæ Sedis divinam originem attentabant. Insuper, sedium apostolicarum jura, Alexandrinæ scilicet et Antiochenæ, directe lædebant. *Decretum damasianum* ad normam veritatis et justitiæ omnia reducit.

Quando Atticus, episcopus Constantinopolitanus (406-425), eodem canone tertio fretus, jura romanæ Sedis in provincias Illyrici aggredi tentavit, imo a Theodosio Juniore, Orientis imperatore, decretum obtinuit, quo jus examinandi ac dirimendi causas ecclesiasticas in his provinciis Constantinopolitano throno aperte tribuebatur [1] — decretum quod mox idem Theodosius, interveniente Honorio occiduarum partium imperatore [2], rescripto

1. Hoc decretum datum est anno 421, die 14 Julii. His verbis scriptum erat : « Theodosius aug. Philippo Pf. P. Illyrici : Omni innovatione cessante, vetustatem et canones pristinos ecclesiasticos, qui nunc usque tenuerunt, per omnes Illyrici provincias servari præcipimus : ut si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverentissimi sacrosanctæ legis antistitis urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ Veteris prærogativa lætatur, conventui sacerdotali sanctoque judicio reservari. » *Ex cod. Theod.*, lib. XVI, tit. II, leg. 45, et *Cod. Just.*, lib. I, tit. II, leg. 6. Hoc decretum invenitur etiam inter epistolas Bonifacii papæ I, *P. L.*, t. XX, col. 769. « Sic imperator, ut observat clar. Lequien, *Panoplia contra schisma Græcorum*, p. 106, Attico dictante, innovationem tollendam et priscorum canonum custodiam prætexebat, quos ipse potius convelleret, sæculari sua potestate Byzantino præsuli adtribuens quæ legitimis Ecclesiæ moribus et statutis adversabantur. Cujus sanctionis hic fuisse color videtur, quod Illyricum orientale, sub Arcadio, Theodosii parente, in partem imperii Constantinopolitani venerat, ac si proinde ab urbis regiæ episcopo ejusque synodo quoad res ecclesiasticas regi deberet : quin etiam propter vicinitatem. »

2. Epistola Honorii ad Theodosium Augustum invenitur etiam inter epistolas Bonifacii papæ. *P. L.*, *ibid.*, in qua hæc leguntur : « Cum favore divino nostrum semper gubernetur imperium, procul dubio illius urbis Ecclesia speciali nobis cultu veneranda est, ex qua et romanum principatum accepimus, et principium sacerdotium [accepit]. Siquidem nihil aliud a pietate nostra postulaverit missa legatio [romani Pontificis], nisi quod catholicæ fidei disciplinæ et æquitati concordet. Petit enim, ut hæc privilegia, quæ dudum a patribus constituta usque ad nostra tempora servata sunt, inconcussa perdurent..... Unde Majestas tua....., universis remotis quæ diversorum episcoporum subreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem præcipiat custodiri, ne sub principibus christianis romana perdat Ecclesia quod, aliis imperatoribus, non amisit. »

abrogavit [1] — Bonifacius papa I his ambitiosis conatibus fortiter restitit, clareque significavit canonem Constantinopolitanum nullius esse roboris in Ecclesia catholica, romanam Sedem non ab aliqua synodo, ne a Nicæna quidem, sed ab ipso Salvatore per beatum Petrum suum primatum tenere, atque antiquum sedium apostolicarum ordinem, cui canon 150 Patrum derogabat, omnino servandum esse [2].

1. Theodosius, patrui sui monitis benigne annuens suum prius decretum abrogavit his verbis : « Unde omni supplicantium episcoporum per Illyricum subreptione remota [— ex quo patet Atticum non fuisse solum qui constitutionem Theodosianam postulaverit —], statuimus observari quod prisca apostolica disciplina et canones veteres eloquuntur. Super qua re, secundum formam oraculi Perennitatis tuæ, ad viros illustres præfectos prætorii Illyrici nostri scripta porreximus, ut cessantibus episcoporum subreptionibus, antiquum ordinem specialiter faciant custodiri : ne venerabilis Ecclesia sanctissima Urbis privilegia a veteribus constituta amittat, quæ perenne nobis sui nominis consecravit imperium. » *P. L.*, *ibid.*, col. 771. Animadvertas velim manifestam contradictionem inter hoc rescriptum et prius datum decretum precibus Attici et episcoporum ipsi faventium. Utrimque prætexitur antiqua consuetudo et canonum pristinorum custodia.

2. Vide tres epistolas (XIII, XIV et XV) Bonifacii ad Rufum Thessalonicensem et Thessalos episcopos, *P. L.*, ibid., col. 774-784, ubi papa diserte affirmat primatum juris divini romanæ Sedis, et ambitionem Attici retundit : « Ita quippe vice sua, ait Pontifex in epist. XIII, beatus apostolus Petrus Ecclesiæ Thessalonicensi cuncta commisit, ut intelligat se sollicitudinem manere multorum : quam minorem facere nova, quæ vires habere non possunt, tentamenta non debent. Non est enim eorum cedendum studiis, quos novitas rerum, et indebitæ desiderium dignitatis accendit, sed elaborandum est, et, Deo nostro favorem præstante, certandum, ut quisquis contra licitum nititur, sibi per omnia recognoscat occursum. » Col. 775. Et ad causam alludens Perigenis episcopi, quem Sedes Apostolica Ecclesiæ Corinthi præfecerat, cujusque promotio quibusdam episcopis displicebat, ita ut, favente et auxiliante Attico, in aliqua synodo illum deponere intenderent, hæc addit : « Ad synodum, quæ dicitur illicite congreganda de causa fratris nostri et coepiscopi Perigenis, cujus scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, primo convenire se citra tuam conscientiam (loquitur de Rufo) minime debuisse; deinde de nostro non esse judicio retractandum. *Nunquam enim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari.* » Col. 776.

Epistola XIV sic incipit : « Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus et summa consistit. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina, per omnes Ecclesias, religionis jam crescente cultura, fonte manavit. *Nicænæ synodi non*

Xystus papa III, ad Illyricianos præsules scribens, supradictum canonem apertius adhuc rejicit, monetque illos, ut sibi caverent ne, dimisso Thessalonicensi episcopo, qui apud ipsos Apostolicæ Sedis vices gerebat, ulla in re præsuli Constantinopolitano parerent : *Nec his vos, Fratres carissimi,* inquit, *constitutis, quæ præter nostra præcepta orientalis synodus decernere voluit, credatis teneri, præter id quidem quod de fide nobis consentientibus judicavit.* Xysti P. III epist. x, *P. L.*, t. L, col. 618.

Ad canonem Chalcedonensem quod attinet, notum est sanctum Leonem Magnum illum respuisse ac abrogasse tanquam falso principio fultum, Patrum Nicænorum statutis contradicentem, atque pacis concordiæque ecclesiasticæ subversivum. En ejus verba ad imperatorem Marcianum, qui et ipse per litteras a Summo Pontifice

*aliud præcepta testantur, adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri : omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.* Hanc ergo Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum. Audio episcoporum quosdam, apostolico jure contempto, novum quidpiam contra Christi proprie præcepta tentare, cum se ab Apostolicæ Sedis communione, et, ut dicam verius, potestate separare nituntur, eorum petentes auxilium, quos ecclesiasticarum sanctio regularum majoris esse non dedit potestatis. » Col. 777, 778.

In epistola xv, Bonifacius fusius loquitur de primatu romanæ Sedis et aperte damnat novitatem a canone tertio Constantinopolitano introductam : « Manet, inquit Pontifex, beatum apostolum Petrum per sententiam dominicam universalis Ecclesiæ ab hoc sollicitudo suscepta; quippe quam, Evangelio teste, in se noverit esse fundatam, nec unquam ejus honor vacuus potest esse curarum, cum certum sit summa rerum ex ejus deliberatione pendere... Quicumque cupit etiam ante Deum nostrum sacerdotii dignitate censeri — quoniam ad Deum, Petro suscipiente, pervenitur, in quo Ecclesiam, sicut supra memoravimus, universalem certum est esse fundatam —, debet esse mitis et humilis corde... Nemo umquam *Apostolico Culmini, de cujus judicio non licet retractari,* manus obvias audacter intulit; nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari. Servant Ecclesiæ magnæ prædictæ per canones dignitates, Alexandrina et Antiochena, habentes ecclesiastici juris notitiam. Servant, inquam, statuta majorum, in omnibus deferentes et ejus vicissitudinem recipientes gratiæ, quam se in Domino, qui pax nostra est, nobis debere cognoscunt. » Deinde exemplis probat, « maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, Sedem semper consuluisse romanam, et quoties usus exegit, ejus auxilium postulasse » Col. 779-782.

supra dicti canonis approbationem enixe postulaverat [1].

« Anatolius episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno Clementiæ Vestræ fruatur imperio. *Alia tamen est ratio rerum sæcularium, alia divinarum; nec præter illam petram quam Dominus posuit* (Math., XVI, 18), *stabilis erit ulla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit.* Satis sit prædicto quod Vestræ Pietatis auxilio et mei favoris assensu, episcopatum tantæ urbis obtinuit. *Non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem; nec ullo sperct modo quod per aliorum possit offensiones augeri.* »

His verbis sanctus Leo falsum principium, quo innititur decretum Chalcedonense, satis clare refellit, romanorum privilegiorum originem apostolicam ac divinam revocans, quamvis in probando et vindicando romanæ Sedis primatu non immoretur : cum optime sciret hunc primatum de facto a Patribus Chalcedonensibus non negari, sed expresse agnosci, ut jam vidimus. In tuendis autem juribus Alexandrinæ sedis et Antiochenæ, totus est sanctus Pontifex, ambitionemque Anatolii, utpote Ecclesiæ paci nocivam schismatisque fautricem, districte carpit :

« Privilegia enim Ecclesiarum, inquit, sanctorum Patrum canonibus instituta, et venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exsequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum; *quoniam dispensatio mihi credita est, et ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me* (*quod absit*) *connivente, violentur; et major sit apud me unius fratris volun-*

1. « Quoniam vero et hoc constitutum est, ut ea quæ a centum quinquaginta episcopis sub divæ memoriæ Majore Theodosio, honoris gratia, erga venerabilem Constantinopolitanam Ecclesiam statuta sunt, quæque nunc a sancta synodo de eadem re sunt sancita, firma serventur, videlicet, ut post Apostolicam Sedem Constantinopolitanus tatim episcopus secundum habeat locum, quoniam splendidissima urbs Junior Roma appellatur, dignetur Sanctitas tua etiam huic parti assensum præbere. » *Epistola Marciani ad Leonem Romæ archiepiscopum. Inter Epistolas Leonis epist.* C., *P. L.*, t. LIV, col. 973.

*tas, quam universæ domus Domini communis utilitas.* Et ideo, sciens Gloriosam Clementiam Vestram ecclesiasticæ studere concordiæ, et his quæ pacificæ congruunt unitati piissimum præstare consensum, precor et sedula suggestione vos obsecro, ut *ausus improbos unitati christianæ pacique contrarios* ab omni Pietatis Vestræ abdicetis assensu, et fratris mei Anatolii nocituram ipsi, si perstiterit, cupiditatem comprimatis. Abstineat ergo [ille] ab ecclesiasticarum injuria regularum et illicitos declinet excessus, *ne se ab universali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscidat* [1]. »

Eadem fere repetit S. Pontifex in epistola, quam ad Pulcheriam Augustam, post synodum, direxit. Expressis verbis dictum canonem irritat :

« Contra statuta paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique audere conceditur, ita ut, si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat. Quæ si, ut oportet, a cunctis Pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax et firma concordia, nullæ de mensura honorum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni usurpatione certamina, sed æquo jure charitatis, rationabilis et morum et officiorum ordo servabitur.... *Consensiones vero episcoporum, sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, et per auctoritatem beati Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus, in omnibus ecclesiasticis causis his legibus obsequentes, quas ad pacificam observantiam omnium sacerdotum, per trecentos decem et octo antistites Spiritus Sanctus instituit;* ita ut etiamsi multo plures aliud quam illi statuere decernant, in nulla reverentia sit habendum quidquid fuerit a prædictorum constitutione diversum [2]. »

Anatolium autem, qui et ipse canonis vigesimi octavi confirmationem blandiloquens petierat [3], idem Pontifex, paterna severitate redarguit :

1. Sancti Leonis Magni *epistola* CIV, *P. L.*, t. LIV, col. 993 sq.
2. *Epist.* CV, *ibid.*, col. 1000.
3. « Sedes Constantinopolis habet patrem thronum apostolicum vestrum, præcipuo atque excellenti modo seipsam vobiscum conjungens,

« Nimis hæc improba, nimis sunt prava, quæ sacratissimis canonibus inveniuntur esse contraria. *In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio*, quæ ita abuti voluit concilio synodali, ut fratres in fidei tantummodo negotio convocatos, et definitione ejus causæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret... Non convellantur provincialium jura primatuum, nec privilegiis antiquitus institutis metropolitani fraudentur antistites. Nihil Alexandrinæ sedi ejus, quam per sanctum Marcum Evangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis ; nec, Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum, prædicante beato apostolo Petro, christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, et in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior [1]. »

Tandem, quando, postulante imperatore Marciano, sanctus Leo, anno 453, in epistola ad omnes episcopos, qui concilio Chalcedonensi adfuerant, missa, solemnem decreti dogmatici confirmationem edidit, rursus canonem vigesimum octavum his verbis repulit :

« De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, quæ in synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis 318 Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem, suum aliquis quærat augmentum [2]. »

Post sanctum Leonem Magnum, romani Pontifices, canonem vigesimum octavum repudiare non destiterunt. Schismate Acaciano perdurante, sanctus Gelasius papa ambitiosos conatus episcoporum Constantinopolitanorum acriter perstrinxit, qui canoni Chalcedonensi vim legis tribuere aperte

ut ex vestra de ipsa sollicitudine omnes quidem intelligant vos jamdiu ipsius commodis sincere consulentes, etiam nunc eamdem curam habere de illa. » *Epistola Anatolii ad Leonem. Inter Epist. sancti Leonis epistola* CII. *P. L.*, t. LIV, col. 983.

1. *Epistol.* CVI, *ad Anatolium, P. L., t. cit.*, col. 1003 sq.

2. *Epistol.* CXIV, *ad episcopos qui in sancta synodo Chalcedonensi congregati fuerunt. Ibid.*, col. 1029 sq.

tentabant, ita ut etiam romanæ Sedis supremam auctoritatem, duce Acacio, spernerent :

« Ne forte quod solent, dicant, inquit sanctus Gelasius, quod si synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant quæ illi videntur esse deprompta. Aut enim ex toto admitti oportere, aut si ex parte repudiabilis est, firmam ex toto constare non posse. Cognoscant igitur illud quod secundum Scripturas sanctas traditionemque majorum, secundum canones regulasque Ecclesiæ, pro fide communi et veritate catholica et apostolica, pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegavit, factamque firmavit, decretum est, a tota Ecclesia indubitanter admitti; alia autem quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potius ventilata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenus delegavit, mox a vicariis Sedis Apostolicæ contradicta, [repudiari] manifestum est; quæ Sedes Apostolica, etiam petente Marciano principe, nullatenus approbavit; quæ præsul Ecclesiæ Constantinopolitanæ tunc Anatolius, nec se præsumpsisse professus est, et in Apostolicæ Sedis antistitis non negavit posita potestate; quæ ideo, sicut dictum est, Sedes Apostolica non recepit, quia quæ privilegiis universalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione sustinet [1]. »

In epistola autem, quam ad episcopos Dardaniæ misit, idem Pontifex jura Sedis Petri mire propugnat contra Acacii tentamina schismatica, falsumque principium quo innixi sunt Patres Chalcedonenses ad exaltandam sedem Constantinopolis mordaciter refellit :

« *Nec plane tacemus quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum Sedes Petri apostoli jus habeat resolvendi : utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Quapropter constat satis Acacium nullum habuisse pontificium sententiam Sedis Apostolicæ sine ulla ejus notione solvendi... Risimus autem quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiæ civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, apud Sirmium, apud Treviros*

1. Gelasii *tomus de anathematis vinculo*, *P. L.*, t. LIX, col. 102, 103.

*multis temporibus non constitit imperator? Numquid harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt?...* Si certe de dignitate agitur civitatum, secundæ sedis et tertiæ major est dignitas sacerdotum, quam ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter metropolitanorum jura censetur. Nam quod dicitis « *regiæ civitatis* », *alia potestas est regni sæcularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas prærogativam præsentis regni non minuit, sic imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat*[1]. »

Postquam synodus Trullana, canonem Chalcedonensem in suo canone trigesimo sexto renovavit, Summi Pontifices, ut hanc synodum approbarent, nec minis nec precibus adduci potuerunt. Quando vero Photius in Nicolaum I papam aperte rebellavit, et Sedis Apostolicæ supremam jurisdictionem impetere non dubitavit, quasi vi canonis vigesimi octavi Chalcedonensis primatus romanæ Sedis ad Constantinopolim, Novam Romam, translatus fuisset, Summus Pontifex principium quo innititur schisma byzantinum mire egregieque refutavit in epistola, quam ad Michaelem III imperatorem, anno 865, direxit :

« Ecclesiæ romanæ privilegia, Christi ore in beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, et a sanctis universalibus synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus; et quod Deus statuit, firmum validumque consistit; illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. *Privilegia, inquam, istius Sedis vel Ecclesiæ perpetua sunt; divinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt.* Quæ ante imperium vestrum fuerunt, et permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, et quousque christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata.

1. Gelasii papæ I *Epistola et decreta. Epist.*, XIII, *Ad episcopos Dardaniæ, P. L.*, t. LIX, col. 66, 71.

« *Ista igitur privilegia huic sanctæ Ecclesiæ a Christo donata, a synodis non donata, sed jam solummodo celebrata et venerata;* per quæ non tam honor quam onus nobis incumbit, licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiæ Dei per beatum Petrum et in beato Petro simus adepti, nos cogunt nosque compellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei; cui scilicet Petro addita est societas beatissimi Pauli, vasis electionis, magistri veritatis, cui jugiter imminebat omnium Ecclesiarum sollicitudo.

« Hi ergo, tanquam duo luminaria magna cæli in Ecclesia romana divinitus constituti, totum orbem splendore fulgoris sui mirabiliter illustrarunt, et Occidens, eorum præsentia, veluti rutilante sole, tam per se nitorem dante quam per discipulos suos quasi quosdam radios lucis micante, factus est Oriens; quique, non postquam mortui sunt, Romam a principibus sunt delati, ut romanæ Ecclesiæ majorem conferrent privilegiorum honorem, sicut apud vos non rationabiliter sed potentialiter actum est, videlicet ut Ecclesiæ cæteræ patronis suis privarentur, et sola Constantinopolis spoliis et opibus, quas violenter abstulit, ditaretur; sed Romam in carne venientes, vitæ verbum evangelizantes, ab ea erroris caliginem amoventes, veritatis lumine mentes hominum illustrantes, et in ea uno eodemque die martyrium consummantes, sanctam romanam Ecclesiam roseo cruore suo consecrarunt, et hanc non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi exhibentes Deo, Domino dedicaverunt. Sicque demum Alexandrinam Ecclesiam suam fecerunt, per beatum scilicet Marcum, unius horum filium ac discipulum. Hæreditas quippe filii in potestate parentis existit, et gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur. Fecerat autem beatissimus Petrus præsentia corporali et Ecclesiam Antiochenam jam suam, quæ sicut beatus papa dicit Innocentius (epist. XXI), urbis Romæ Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum quippe beatum Petrum apud se consummatumque gauderet. *Per has igitur tres præcipuas Ecclesias, omnium Ecclesiarum sollicitudo beatorum Apostolorum principum Petri ac Pauli proculdubio moderamen exspectat.* Pro quibus Patribus nos divinitus, incremento gratiæ ministrato, nati sumus filii et constituti, licet eis longe meritis impares, principes super omnem terram, id est super universam Ecclesiam...

« Proinde animadvertendum est quia *non Nicæna, non denique ulla synodus quodquam romanæ Ecclesiæ contulit privilegium, quæ in Petro noverat eam totius jura potestatis pleniter meruisse, et cunctarum Christi ovium regimen accepisse*, sicut beatus præsul Bonifacius attestatur, universis episcopis per Thessaliam constitutis scribens : *Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus et summa consistit. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias, religionis jam crescente cultura, fons emanavit.* Nicænæ synodi non aliud præcepta testantur; adeo ut non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri. *Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Si omnia, ergo defuit nihil quod non illi concesserit.* »

« Denique si instituta Nicænæ synodi diligenter inspiciuntur, invenietur profecto quia romanæ Ecclesiæ nullum eadem synodus contulit incrementum : *sed potius ex ejus forma quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret particulariter, sumpsit exemplum.* Hæc igitur et his similia nos pro cunctis Ecclesiis sollicitos reddunt; hæc etiam de Constantinopolitana Ecclesia impigram curam arripere vehementer hortantur [1]. »

Hæc S. Nicolaus papa de origine primatus romanæ Sedis, necnon de origine patriarchatuum orientalium. Ordinem vero sedium patriarchalium quod spectat, decretum Nicænæ synodi idem Pontifex tuetur in suis *Responsis ad consulta Bulgarorum*, anno 866 scriptis :

« XCII. Desideratis nosse quot sint veraciter patriarchæ. Veraciter illi habendi sunt patriarchæ, qui Sedes apostolicas per successiones pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt Ecclesiis, quas apostoli instituisse probantur : Romanam videlicet, et Alexandrinam, et Antiochenam... Constantinopolitanus et Jerosolymitanus antistites, licet dicantur patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis quantæ superiores existunt. Nam Constantinopolitanam Ecclesiam nec Apostolorum quisquam instituit, nec Nicæna synodus, quæ cunctis synodis celebrior et venerabilior est, ejus mentionem aliquam

1. Nicolai papæ I *Epistolæ et decreta*. Epistola LXXXVI, *ad Michaelem imperatorem*, P. L., t. CXIX, col. 948-950.

fecit; sed solum quia Constantinopolis Nova Roma dicta est, *favore principum potius quam ratione, patriarcha ejus pontifex appellatus est...*

« XCIII. Porro quis patriarcharum secundus sit a Romano consulitis; sed juxta quod sancta Romana tenet Ecclesia et Nicæni canones innuunt, et sancti præsules Romanorum defendunt, et ipsa ratio docet, Alexandrinus patriarcharum a Romano papa secundus est [1]. »

Post Nicolaum I, Hadrianus papa II visus est quidem præsuli Novæ Romæ secundum post romanum Pontificem locum concessisse, dum canonem vicesimum primum (= 13um textus græci) concilii quarti Constantinopolitani, anno 869-870 habiti, approbavit, in quo hæc leguntur :

« Definimus neminem prorsus mundi potentem quemquam eorum, qui patriarchalibus sedibus præsunt, inhonorare aut movere a proprio throno tentare, sed omni reverentia et honore dignos judicare; præcipue quidem sanctissimum papam senioris Romæ, *deinceps autem Constantinopolis, patriarcham, deinde vero Alexandriæ ac Antiochiæ atque Hierosolymorum* [2]. »

Animadvertendum vero : 1° hunc canonem non Romæ, sed Constantinopoli verisimiliter fuisse conscriptum; 2° hoc decreto Patres concilii ordinem sedium patriarchalium indicare non directe intendisse; 3° illum approbando, Hadrianum II ad summum tacite et implicite tantum Constantinopolitanæ sedi secundum locum tribuisse. Unde contra Michaelem Cærularium sanctus Leo papa IX legem Nicænam non immerito adhuc propugnare potuit [3].

Postquam autem imperium latinum Constantinopoli, ineunte sæculo XIII, fundatum est, latinusque patriarcha sedi Novæ Romæ prælatus est, huic patriarchæ latino secundum post se locum in concilio Lateranensi IV Innocentius papa III benigne annuit; exinde enim nullum pro ecclesiastica unitate periculum tunc imminebat, quamvis fortasse melius fuisset veterem ordinem servare immutatum.

1. Nicolai papæ I *Responsa ad consulta Bulgarorum, ibid.*, col. 1011-1012.
2. Mansi, *op. cit.*, t. XVI, col. 174.
3. *Epistola ad Michaelem patriarcham, P. L.*, t. CXLIII, col. 763.

**II. — Cæsaropapismus verbis ac factis a clero byzantino approbatus.**

Diximus, p. 69, præsules byzantinos quum verbis tum factis Cæsaris dominatum in Ecclesiam agnovisse. Ad hujus affirmationis veritatem comprobandam, paucos hic textus referre sufficiat.

1° In concilio Constantinopolitano, anno 536 habito, patriarcha Menas quibusdam concilii membris hoc responsum dedit :

Νομίζομεν μηδὲ τὴν ὑμετέραν ἀγάπην ἀγνοεῖν τὴν προαίρεσιν καὶ τὸν ζῆλον τοῦ εὐσεβοῦς καὶ θεοφυλάκτου ἡμῶν βασιλέως, ὃν ἐπὶ τῇ ὀρθοδόξῳ ἡμῶν ἔχει πίστει· καὶ προσήκει μηδὲν τῶν ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ κινουμένων παρὰ γνώμην αὐτοῦ καὶ κέλευσιν γενέσθαι : *Putamus caritatem vestram non ignorare voluntatem et zelum pii et a Deo servati nostri imperatoris, quem habet ad orthodoxam fidem nostram; et convenit nihil eorum, quæ in sanctissima Ecclesia moventur fieri præter sententiam et jussum ipsius.* Harduin, *op. cit.*, t. II, col. 1261. Mansi, t. VIII, col. 970.

2° In suis *Capitibus admonitoriis* Justiniano I dicatis, Agapetus, Magnæ Ecclesiæ diaconus, potestatem imperialem ita extollit, ut omnia, etiam ea quæ ad religionem et Ecclesiam pertinent, ei subjicere videatur :

*Imperator, dignitatis potestate, Deo, qui tenet omnia, similis est; non habet in terris quemquam se altiorem :* ὁ βασιλεὺς τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἀξιώματος ὅμοιός ἐστι τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ· οὐκ ἔχει γὰρ ἐπὶ γῆς τὸν αὐτοῦ ὑψηλότερον, cap. XXI, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 1172.

Ὁ μὲν Θεὸς οὐδενὸς δεῖται· ὁ βασιλεὺς δὲ μόνου Θεοῦ. *Deus nulla re indiget; imperator solo Deo.* Cap. LXIII, *ibid.*, col. 1184.

3° Patres synodi Trullanæ ad Justinianum II sequentia scribunt :

*Sanctam hanc et divinitus electam universalem synodum congregari decrevisti, ut multorum simul congressione unanimique consensione, id quod magno studio contenditur, a te recte et ordine efficiatur... Tuæ ergo pietatis jussu, in hac a Deo servata ac regia urbe congressi, sacros canones scripsimus. Quamobrem tuam pietatem rogamus... ut quemadmodum convocationis scriptis Ecclesiam honorasti, sic et eorum, quæ per viros pios et sinceros decreta sunt, finem obsignes* : Ἐπὶ τούτῳ τοίνυν κατὰ κέλευσιν τῆς σῆς εὐσεβείας συνελθόντες..... κανόνας ἱεροὺς ἀνεγράψαμεν. Διὸ τῆς σῆς εὐσεβείας δεόμεθα..... ἵνα, ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν Ἐκκλησίαν τετίμηκας, οὕτω καὶ τῶν δυξάντων δι' εὐσεβῶν καὶ

ἀκεραίων ἐπισφραγίσης τὸ τέλος. Pitra, *Juris eccles. Græcorum historia et monumenta*, t. II, p. 16, 17. Vide etiam collectiones conciliorum.

Synodi votis obsecundans, papæque partes in omnibus sibi sumens, imperator, ante omnes præsules, decretis propria manu subscripsit.

Verum quidem est quosdam sanctos viros ac doctores in Oriente cæsaropapismi invasionibus fortiter restitisse et pro tuenda Ecclesiæ libertate atque independentia viriliter dimicasse; inter quos eminent tres monachi, scilicet sanctus Maximus Confessor, sanctus Joannes Damascenus et sanctus Theodorus Studita; sed infeliciter præsulum et clericorum maxima pars, etiam quando pro fide ipsa certamen erat, imperatorum libidini morem gessit, ut ex historia schismatum præviorum abundantius patet.

## CAPUT SECUNDUM

### DE INCHOATIONE BYZANTINI SCHISMATIS SUB PHOTIO

#### Prænotamina.

Causæ proximæ byzantini schismatis jam ad suam maturitatem vergentis fuerunt duo patriarchæ Constantinopolitani, Photius scilicet (1º, 858-867; 2º 877-886) et Michael Cærularius (1043-1059). Hi duo viri tanquam genuini auctores separationis Ecclesiarum habendi sunt. Quamvis aliqua differentia in utriusque indole deprehendatur — prior enim superbior quam ambitiosior fuit; alter, e contra, ambitioni potissimum indulsit; — quamvis etiam intervallo temporis satis longo ab invicem sejungantur, et unio inter utramque Ecclesiam post Photium renovata sit, attamen in hoc ambo convenerunt, quod maximo odio Occidentales prosecuti sunt, et ad adducendam firmandamque separationem religiosam inter Orientem et Occidentem eamdem viam inierunt, similiaque media adhibuerunt.

Ante illos quidem, ut jam supra notavimus, plura schismata prævia exstiterant inter byzantinam Ecclesiam et romanam; verum fere semper has scissiones aliqua hæreticalis novitas ab imperatoribus, ob motiva, ut plerumque,

politica excogitata et a patriarchis Novæ Romæ obsequenter admissa adduxerat; unde, quoties de restauranda unione sermo erat, Byzantini ad resipiscentiam venire suosque errores abjurare cogebantur; quod in eorum humiliationem et confusionem, in gloriam vero exaltationemque romanæ Sedis, fidei puritatis intergerrimæ custodis, cedebat. Hoc bene perspiciens Photius, orthodoxiæ aureolam, quæ Ecclesiæ romanæ caput cingebat, obtenebrare et maculare primus omnium aggressus est, ira motus in romanos Pontifices, qui ejus illegitimam elevationem ad sedem Constantinopolitanam non probaverant, Ignatiique, legitimi patriarchæ injuste depositi, partes tuebantur. Ut suum propositum perficeret, non solum usus liturgicos ac disciplinares Romanorum aliorumque christianorum occidentalium acerrime carpsit, verum etiam errorum in fide eos insimulavit. Hæc fuit vere *nova ratio militandi* contra romanam Ecclesiam, quam adinvenit iste schismatis dux vaferrimus. *Defensivam* — parce neologismo — quam Byzantini, ob hæreses imperiales illatenus tenere coacti fuerant, tandem dereliquit, et audacter *offensivam* contra Occidentem initiavit.

Eamdem viam, post illum, Michael Cærularius secutus est in bello quod contra Latinos movit, ad luctuosam Ecclesiarum scissionem perficiendam. In hoc autem ab invicem differunt, quod Photius discrepantias dogmaticas præsertim ursit, Cærularius vero contra Latinorum usus liturgicos ac disciplinares vehementissime insurrexit potissimumque dimicavit. Ad opus detestabile separationis absolvendum, alter quod alteri defuit, supplevit. Photius doctis ac litteratis interminabilium litum pabula in suis scriptis reserata porrexit, dum Michael Cærularius rudium mentes ad contemptum, odium abominationemque Latinorum concitavit.

Si vero quæramus ex duobus uter in schismate complendo potiorem partem habuerit, hæc sine dubio Photio adscribenda. Hic enim vere fuit polemicæ schismaticæ adinventor, hic genuinus theologiæ dissidentis pater. Michael Cærularius nihil novi in medium protulit; solummodo discrepantiarum catalogum auxit. Unde non immerito byzantinum schisma etiam *photianum* appellare consueverunt historiæ ecclesiasticæ scriptores.

Si vero nefarii conatus horum duorum schismatis coryphæ-

orum tam facile prosperati sunt, hoc utique maxima pro parte tribuendum est illis causis præparatoriis, de quibus supra fuse egimus, quarumque influxus in unum conjunctus tum tempore Photii tum sub Michaele Cærulario visibilis apparet. Etenim schismatis Photii causa initialis fuit cæsaropapismus, injustæ depositionis Ignatii patriarchæ reus, Photiique anticanonicæ promotionis auctor. Si rebellionis suæ contra romanum Pontificem probatores imitatoresque apud Byzantium invenit sedis patriarchalis invasor, hoc ex patria superbia necnon ex valde imminuto ecclesiasticæ unitatis sensu profectum est. Præterea, in causa ejusdem Photii, suas etiam partes habuit inveterata præsulum Novæ Romæ ambitio jura aliena attentans : ad jurisdictionem in Bulgaros alludimus, quam merito sibi vindicabat romana Sedes, quam tamen pertinaciter sibi retinere visus est ipse Ignatius patriarcha contra excommunicationis minas tum Hadriani papæ II, tum Joannis VIII, consentiente utique ac instigante ob motiva politica ipso imperatore. Ad schisma vero Cærularii quod attinet, aversio tum cleri et monachorum, tum ipsius vulgi contra Latinos, ambitiosi patriarchæ consilio Ecclesiam byzantinam ab auctoritate Sedis Apostolicæ penitus amovendi mirum in modum favisse perspicuum est.

Attamen aliquid de suo attulerunt isti duo separationis auctores, quod totum fermentum schismaticum excitavit ac fervescere fecit : hos scilicet rabidos impetus, quos contra occidentalem Ecclesiam ejusque fidem, ritus, usus inierunt. Equidem verum est illas omnes discrepantias, quas inter utramque Ecclesiam detegerunt tamque clamose extulerunt, meros illis prætextus fuisse se suamque Ecclesiam a jurisdictione romani Pontificis omnino eximendi justasque ab hoc latas condemnationes ulciscendi; at verum est etiam controversias ab illis concitatas non parum contulisse tum ad separationem adducendam, tum præsertim ad illam firmam ac stabilem in posterum reddendam, viamque ad instaurandam unitatem fecisse difficillimam ac intricatissimam. Quod enim illis prætextus colorem habuit, hoc idem posteris gravis obstaculi rationem induit.

Hæc cum ita sint, magni refert horum duorum schismaticorum agendi rationem attente considerare et in medium proferre, ut luce clarius appareat illos nulla probabili ratione

fuisse ductos, ut tantum malum in Ecclesiam Christi inducerent. Unde illorum utrique integrum satque longum dabimus caput, nec tamen utriusque gesta minutatim referemus — quod ad historiam ecclesiasticam proprie spectat — sed ea tantum ex factis historicis memorabimus, quæ eorum doctrinæ polemicæ explanandæ schismatisque exordiis illustrandis aliquid conferunt. Et primum quidem totam Photii doctrinam polemicam quatuor complectemur articulis, quorum primus erit de criminationum ratione, numero et origine, quas schismatis pater contra Occidentales protulit; secundus, de Photii doctrina circa primatum romani Pontificis; tertius, de ejusdem cavillationibus contra doctrinam processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio; quartus demum, de aliis criminationibus minoris momenti ab ipso aliquamdiu jactatis. Articulis secundo et tertio articulos adnectemus prævios, quibus verum Byzantinorum animum ac sensum circa propositas quæstiones, primatum videlicet romanæ Sedis et processionem Spiritus Sancti, ante Photii impugnationes, breviter delineabimus; ita ut in totum octo articulos hoc nostrum secundum caput sit complecturum. Secundo namque articulo *De Photii doctrina circa primatum romanæ Sedis*, præibunt duæ dissertationes, quarum prima erit *de beati Petri primatu apud Byzantinos sæculi IX*, altera vero, *de romanæ Sedis primatu apud eosdem*. Item, tertium articulum *de theologia photiana circa processionem Spiritus Sancti* præcedent duo articuli, unus *de controversiis inter Græcos et Latinos circa processionem Spiritus Sancti ante sæculum IX;* alter *de controversia quæ sub Leone papa III, initio ejusdem sæculi*, orta est.

## ARTICULUS I

### De ratione, numero atque origine criminationum photianarum contra Occidentales.

Quidquid in contrarium dicant polemistæ dissidentes, criminationes a Photio contra Occidentales prolatæ schismatis veræ causæ non fuerunt. Non enim prius illas Photius concepit quam romanus Pontifex solemni sententia injustam illius in thronum patriarchalem Constantinopolis invasionem damnaret. Fuerunt igitur meri prætextus, quibus schismati-

cus suam contumaciam obtegere suamque iram explere tentavit. Hoc tamen non impedit quominus, progressu temporis, prætextus hujusmodi tanquam separationis initiales causæ dissidentibus visæ fuerint, et etiam nunc videantur, unionique instaurandæ grave semper obstaculum exstiterint.

Fuerunt autem criminationes illæ numero decem, spectantque tum ad theologiam dogmaticam, tum ad liturgiam tum etiam ad disciplinam. Illarum seriem primum invenimus in quadam epistola Nicolai papæ I ad Hincmarum archiepiscopum Rhemensem cæterosque episcopos in regno Caroli Calvi constitutos [1] et etiam in responsionibus Ratramni Corbeiensis monachi [2], et Aeneæ, episcopi Parisiensis [3], ad opposita Græcorum. Hunc catalogum eruit sanctus Nicolaus ex quadam epistola imperatorum Michaelis et Basilii ad Bogorim, regem Bulgarorum, circa initium anni 867 missa, necnon ex aliis scriptis græco sermone conscriptis, quæ legati Romani, Donatus scilicet episcopus Ostiensis, Leo presbyter et Marinus diaconus, ex aula bulgarica Romæ circa mensem junium anni 867 attulerunt. Summus Pontifex illas non directe Photio, sed imperatoribus græcis tribuit [4], quia in horum epistola jam memorata inveniebantur expressæ; sed dubium non est quin genuinus hujus epistolæ aliorumque scriptorum a legatis allatorum auctor vel proba or fuerit ipse Photius. Incusationes photianæ, prout a Nicolao papa proponuntur, sic se habent :

« Imperatores Græcorum, ait S. Pontifex, conantur tam nostram specialiter, quam omnem generaliter, quæ lingua latina utitur, Ecclesiam reprehendere :

1° quod jejunamus in sabbatis;

1. Nicolai papæ I *Epistolæ ac decreta.* Epist. CLII, *ad Hincmarum et cæteros episcopos in regno Caroli constitutos* (anno 867). *P. L.*, t. CXIX, col. 1155-1157.

2. Ratramni, Corbeiensis monachi : *Contra Græcorum opposita romanam Ecclesiam infamantium. P. L.*, t. CXXI, col. 226-228.

3. *Liber adversus Græcos. P. L., ibid.*, col. 689, 690. Habemus etiam aliam responsionem synodi episcoporum Germaniæ, Wormatiæ, anno 868, congregatæ, in qua enumerantur etiam incusationes Photii, illa excepta quæ ad primatum romanæ Sedis spectat : *Responsio episcoporum Germaniæ Wormatiæ coadunatorum de fide sanctæ Trinitatis contra Græcorum hæresim, P. L.*, t. CIX, col. 1201 sq.

4. Sic etiam theologi occidentales in suis responsionibus supra laudatis.

2° quod Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus, cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur;

3° Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia presbytero sortiri conjuges prohibemus;

4° Insimulare tentant, quoniam eosdem presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus;

5° Chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur;

6° Reprehendere moliuntur, eo quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, et septem hebdomadibus a casei et ovorum esu more suo non cessamus;

7° Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicatur, agnum in Pascha, more Judæorum, super altare pariter cum Dominico corpore benedicere et offerre;

8° Quin et reprehendere satagunt, quia penes nos clerici barbas radere suas non abnuunt, et

9° quia diaconus, non suscepto presbyteratus officio, apud nos episcopus ordinatur; cum ipsi etiam illum, quem patriarcham suum nominant, ex laico subito tonsuratum ac monachum factum, saltu ad episcopatus apicem imperiali favore ac brachio provehere, ut ipsi putant, minime formidaverint.

10° Et adhuc, quod est gravius et insanius, a missis nostris, contra omnem regulam et prœter omnem consuetudinem, libellum fidei, si se ab illis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam ista capitula quam ea tenentes anathematizarent, necnon et epistolas canonicas ab his ei, quem suum œcumenicum patriarcham appellant, dandas improbe requirebant... Gloriantur enim atque perhibent, quando de Romana urbe imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc et primatum romanæ Sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse, et cum dignitatibus regiis etiam Ecclesiæ romanæ privilegia translata fuisse; ita ut ejusdem invasor Ecclesiæ Photius etiam ipse se in suis scriptis archiepiscopum atque universalem patriarcham appellet [1]. »

In scriptis quæ sub Photii nomine ad nos usque pervenerunt, nonnisi sex objectationes exprimuntur, illas scilicet quæ spectant ad primatum romanæ Sedis, jejunium sabbati, lacticiniorum esum in prima Quadragesimæ septimana, itera-

1. *Loc. cit.*

tionem chrismationis a presbyteris collatæ, cælibatum clericorum, et processionem Spiritus Sancti additionemque vocis *Filioque* ad symbolum. Primatus romanæ Sedis impugnatur in quodam libello, cui titulus hic est : *Contra eos qui dicunt Romam esse primam sedem* [1]. Aliæ quinque criminationes leguntur in illa famosa encyclica epistola ad archiepiscopales thronos Orientis, quam Photius, anno 867, circa festum Paschæ conscripsit [2]. Insuper de processione Spiritus Sancti fuse egit tum in epistola ad archiepiscopum Aquileiensem [3], tum præsertim in libro qui inscribitur : *De Spiritus Sancti Mystagogia* [4].

Ut jam diximus, pro certo habendum est alias quatuor insimulationes in scriptis ex Bulgaria allatis consignatas, scilicet de promotione per saltum diaconi ad episcopatum, de chrismate ex aqua fluminis confecto, de clericorum barba, et de oblatione esuque agni in Paschæ festo, a photiano fonte etiam dimanasse. Tales enim frivolas vel calumniosas criminationes nonnisi Bulgaris, hominibus rudibus et in fide neophytis, propalare ausi sunt Photiani, ad illos a romana Ecclesia avertendos, ut animadvertit sanctus Nicolaus [5]. Scribens autem ad patriarchas et archiepiscopos Orientis, de talibus altum silentium servat schismaticus; imo primatum romanæ Sedis apud ipsos directe impugnare non audet, propter manifestam et omnibus acceptam ecclesiasticam traditionem circa privilegia cathedræ Petri.

Nunc vero si quæramus ob quasnam rationes ad impe-

1. Πρὸς τοὺς λέγοντας, ὡς ἡ Ρώμη πρῶτος θρόνος. Hæc opella edita est a Rhalli et Potli, Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων, t. IV, p. 409-414. Athenis, 1854. De hujus authenticitate cf. Hergenröther, *op. cit.*, t. III, p. 170.

2. *P. G.*, t. CII, col. 721-742.

3. *P. G.*, *ibid.*, col. 794 sq.

4. *Ibid.*, col. 279 sq.

5. « Volentes quippe, nimiumque anhelantes eosdem Bulgaros a beati Petri subjectione subducere, suoque imperio sub prætextu christianæ religionis callide subjugare, talia de sancta romana Ecclesia non habente maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, prædicant, quatenus illi, utpote adhuc in fide rudes, hæc audientes, nos quasi noxios et diversarum hæreseon squaloribus respersos vitent, declinent, atque penitus deserant. » *Epistola ad Hincmarum, loc. cit.*, col. 1153.

tendam romanam Ecclesiam Latinosque omnes prosilierit, luce clarius ex historiæ monumentis necnon ex ipsius Photii scriptis patet has rationes non fuisse nisi viri contumaciam, superbiam læsam, furorem, ultionis cupiditatem in sanctum Nicolaum papam, qui ejus adulteram invasionem in sedem patriarchalem approbare renuerat, illumque in concilio Romano anni 863 solemniter deposuerat et excommunicaverat; insuper, qui missionarios latinos miserat ad Bulgaros, quos jam clerici photiani baptismate et chrismatione initiaverant. Quamdiu enim sanctus Nicolaus illum aperte non condemnavit, nihil ipse quod reprehensione dignum esset in Ecclesia romana animadvertit. Neque dici potest illum primum ignoravisse romanas consuetudines ab usu byzantino discrepantes, quas postea detexerit. Etenim in sua secunda epistola ad Nicolaum post conciliabulum anni 861 conscripta, aperte declarat diversitatem in ritibus, usibus, et etiam in regulis canonicis nullo modo officere unitati ecclesiasticæ, quæ sufficienter servatur, dum fides non læditur, et ea quæ a conciliis œcumenicis sancita fuere, ab omnibus observantur [1]. Et non paucas notat consuetudines, quas ut indifferentes habet, inter quas expressis verbis numerat barbæ rasuram, jejunium sabbati, clericorum cælibatum more romano servatum, promotionem diaconi ad episcopatum, prætermisso ordine presbyteratus [2]; quæ omnia mox ut intolerabiles abusus indicabit, postquam scilicet Summus Pontifex illum deposuerit.

Primus schismatici impetus contra privilegia romanæ

1. Ἅ γάρ ἐστιν ὄντως κοινὰ πᾶσιν, ἅπαντα φυλάττειν ἐπάναγκες, καὶ πρό γε τῶν ἄλλων τὰ περὶ πίστεως.... Ἐν οἷς οὐκ ἔστι πίστις τὸ ἀθετούμενον, οὐδὲ κοινοῦ τε καὶ καθολικοῦ ψηφίσματος ἔκπτωσις. *P. G.*, t. CII, col. 604, 605.

2. « Sic barbam radere aliis quidem mos patrius, aliis vero synodicis etiam decretis interdicitur..... Sic apud nos, sabbata alia, præter unum, observare reprehensione non caret; alii vero jejunant quolibet sabbato; consuetudo pervicit canonem..... Presbyterum qui legitimis nuptiis uxori conjunctus sit Romæ non invenies; nos vero eos qui unico conjugio vitæ suæ moderati sunt, edocti sumus in presbyteri gradum efferre. Item si quis apud nos, prætermissa presbyteratus ordinatione episcopatus ordinem diacono contulerit, utpote qui maxime deliquerit, condemnatur; quibusdam vero pari ducitur loco et episcopum e presbytero promovere, et e diacono, medio ordine neglecto, ad episcopatus evehere dignitatem. *Ibid.*

Sedis directus fuit, ut colligere est ex responsione Nicolai papæ ad epistolam Michaelis imperatoris, anno 865 conscriptam non quidem ab ipso Michaele, sed, ut conjicere est, a Photio ipso. In hac epistola injuriis plena, divina origo primatus romanæ Sedis impugnabatur argumentis tum ex historicorum scriptis, tum ex canonibus conciliorum, tum etiam ex legibus imperatorum desumptis [1], et doctrina de translatione primatus de Seniore Roma ad Juniorem aperte proponebatur. Photius logicam consequentiam deducebat a falso principio in canone 28 Chalcedonensi contento dimanantem.

Expulsio presbyterorum Græcorum e Bulgaria, ab ipso rege Michaele Bogori, post missionariorum romanorum adventum facta, occasionem præbuit Photio reliquas criminationes proferendi. In furorem enim concitatus est, præsertim ob iterationem chrismationis a Romanis factam supra Bulgaros neophytos, quos jam presbyteri byzantini confirmaverant. Coacta synodo Constantinopoli circa initium anni 867, primum quidem usus latinos reprobavit et anathematizavit [2]; deinde eosdem sedibus patriarcalibus in sua encyclica epistola denuntiavit — agebatur tantum de quinque capitibus supra relatis —; postea autem suum fictitium concilium œcumenicum congregavit, in qua iterum usus latini damnati, et Nicolaus papa depositus est et excommunicatus. Interim legatis romanæ Sedis Donato, Leone et Marino, de Bulgaria ad byzantini imperii fines iter facientibus libellum fidei proponendum curavit, in quo, ut jam nobis dixit sanctus Nicolaus, consuetudines Occidentalium necnon doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio anathemate plectebantur.

Erraret vero qui putaret Photium unam agendi rationem doctrinamque eamdem usque ad finem vitæ suæ, ad crimi-

1. « Verumtamen si vestra fuerunt verba quæ in despectum beati Petri Apostolorum principis, imo Dei, cujus ordinationi resistitis, scripta, et quasi detrahentia privilegiis hujus sacratissimæ Ecclesiæ missa sunt, fateor non vos studiose sacras regulas, non venerandarum synodorum actiones, non piorum imperatorum leges, non veraces probabilium virorum historias lectitasse, quas tamen conati estis in derogationem Ecclesiæ tantæ inutiliter ac incompetenter atque incongrue memorare. » *P. L.*, t. CXIX, col. 948.

2. τούτους τοὺς ἀπατεῶνας καὶ θεομάχους συνοδικῇ καὶ θείᾳ κατεκρίναμεν ψήφῳ. *Ep. encycl.*, *P. G.*, t. CII, col. 732.

nationes hujusmodi quod spectat, tenuisse. Variavit enim, et non semel; quod ut plene pateat, de ejus circa singula capita objectata alternis sententiis paulo fusius nunc acturi sumus, secundum ordinem supra notatum.

## ARTICULUS II

### De Primatu beati Petri apostoli apud Byzantinos sæculi IX, præter Photium.

Theologi græco-russi non pauci, præsertim ex recentioribus qui theologiæ polemicæ indulserunt, sæpe sæpius affirmarunt principem schismatis causam fuisse ambitionem dominandique cupidinem romanorum Pontificum, qui Patrum regulas prætergredientes, jurisdictionem in universam Ecclesiam, inde a tempore Nicolai I, arroganter sibi vindicarint [1]. Hanc sententiam falsissimam esse ex tota ecclesiastica historia ac traditione octo priorum sæculorum luculente constat; neque necessarium ducimus hic de novo transcribere tot tantaque testimonia ex Patribus, conciliis vel etiam ex imperatorum decretis desumpta atque a scriptoribus catholicis jamdudum in unum collecta sæpiusque repetita, quibus luce clarius evincitur Ecclesiam orientalem ac byzantinam verum jurisdictionis primatum romano Pontifici, utpote beati Petri Apostolorum principis successori, olim diserte quum verbis adscripsisse, tum factis agnovisse.

Antiquam autem traditionem sæculo Photii, hoc est, sæculo IX, non adhuc fuisse in Ecclesia byzantina deletam, verum semper, ut prius, viguisse, paucis documentis in duobus articulis præviis ostendemus, priusquam ipsius Photii sententiam fusiori calamo evolvamus. Agamus ergo primum de sententia Byzantinorum sæculi IX circa primatum beati Petri apostoli.

Per totum hujus sæculi decursum, Ecclesia byzantina, doctrinæ majorum inhærens, primatum beati Petri apostoli supra cæteros Apostolos et supra omnem Ecclesiam diserte prædicare non destitit.

1. De horum theologorum opinione sermo erit in capite quarto hujus tractatus. Cf. p. 373 sq.

Initio hujus sæculi prælara testimonia de primatu Petri invenimus in operibus sancti Theodori Studitæ († 826). Non solum Petrum vocat *coryphæum Apostolorum* (ὁ κορυφαῖος τῶν Ἀποστόλων)[1], sed etiam illorum *primum principem* (ὁ πρώταρχος τῶν λοιπῶν Ἀποστόλων)[2]. Textus autem evangelicos ad primatum spectantes in eumdem interpretatur sensum ac theologi catholici, atque expresse significat solum Petrum a Domino accepisse claves regni cælorum et summi pastoris dignitatem[3].

Antecessor sancti Ignatii in sede Constantinopolitana, sanctus Methodius (843-847), in *Officio reconciliationis apostatarum* a se composito atque *Euchologio* Græcorum inserto, hæc habet :

*Dominator, Domine Deus noster, qui regni tui claves Petro Apostolorum tuorum coryphæo credidisti, sanctamque tuam Ecclesiam super eum ædificasti, et ei per gratiam tuam potestatem ligandi atque solvendi super terram contulisti, indignos nos te nunc invocantes exaudi*[4].

Alter Methodius, Slavorum apostolus (885), de primatu beati Petri ejusque successoris, romani Pontificis, insigne protulit documentum contra eos qui theoriam de translatione primatus de Vetere Roma ad Novam propugnabant :

*Verum non est*, inquit, *sanctos Patres Seniori Romæ primatum ideo tribuisse, quod caput esset imperii; sed desuper, a gratia divina hic primatus ortum habuit. Nam propter fidei suæ gradum, Apostolorum princeps Petrus hæc verba ex ipso ore Domini nostri Jesu-Christi audire meruit : Petre, amas*

1. *P. G.*, t. XCIX, col. 468, 1460, etc.

2. *Epist.* lib. II epist. CXXXIX. *Ibid.*, col. 1444.

3. τοῦ κορυφιακοῦ θρόνου, ἐν ᾧ ὁ Χριστὸς ἔθετο τὰς κλεῖς τῆς πίστεως. *Ibid.*, col. 1281. Ἐπειδήπερ Πέτρῳ τῷ μεγάλῳ δέδωκε Χριστὸς ὁ Θεὸς μετὰ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν καὶ τὸ τῆς ποιμνιαρχίας ἀξίωμα. *Ibid.*, col. 1017. Cf. S. Salaville, *La primauté de saint Pierre et du pape d'après saint Théodore Studite*, in *Échos d'Orient*, janvier 1914, t. XVII, p. 23-42.

4. Δέσποτα, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας σου Πέτρῳ τῷ κορυφαίῳ τῶν ἀποστόλων κατεμπιστεύσας, καὶ ἐπ'αὐτῷ τὴν ἁγίαν σου Ἐκκλησίαν οἰκοδομήσας, καὶ δοὺς αὐτῷ ἐξουσίαν διὰ τῆς σῆς χάριτος τοῦ δεσμεῖν καὶ λύειν τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. *De iis qui abnegarunt*, *P. G.*, t. C, col. 1309.

*me ? Pasce oves meas. Ideo inter præsules præcipuum locum primamque sedem obtinuit* [1].

Sanctus Ignatius, patriarcha Constantinopolitanus, sancto Nicolao papæ I scribens, primatum jurisdictionis sancti Petri ejusque successorum romanorum Pontificum luculentissime profitetur :

« Ad artus humani corporis plagis et vulneribus saucios curandos, medendi ars magnam medicorum copiam suppeditavit; in membris autem Christi Dei ac Salvatoris, omnium capitis ac sponsi catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, unum tantum ac solum selectum ac universalissimum medicum, Tuam nempe fraternam paternamque Sanctitatem, supremum ac fortissimum Dei Verbum constituit, *cum Petro supremo sanctissimoque Apostolorum vertici dixit : Tu es Petrus*, etc. *Hujuscemodi enim beatas voces non soli Apostolorum principi privata quadam sorte transcripsit et assignavit, sed per ipsum ad omnes romanæ Sedis pontifices illi successuros transmisit* [2]. »

Episcopi orientales qui concilio œcumenico octavo interfuerunt libello fidei subscripserunt, in quo hæc verba legebantur :

*Quia non potest Domini nostri prætermitti sententia dicentis : Tu es Petrus*, etc., *hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio* [3].

Nicetas David Paphlago, qui sub finem sæculi IX et initio sæculi X floruit vitamque sancti Ignatii conscripsit, in quodam sermone de laudibus sanctorum apostolorum Petri et

1. Hæc scripsit sanctus Methodius in *Nomocanone* quinquaginta titulorum a se vel a suis in usum Slavorum translato. Cf. M. Jugie, *Le premier nomocanon slave et la primauté du pape*, in *Bessarione*, t. XXXIV, (1918), p. 46-55, et F. Grivec, *Doctrina byzantina de primatu et unitate Ecclesiæ*, Liubliance, 1921, p. 81-98, qui de vetere textu slavico Nomocanonis fuse agit. Vide etiam adnotationem primam ad hoc caput, infra, p. 224.

2. Δι' ὧν φησι Πέτρῳ τῷ τιμιωτάτῳ καὶ κορυφαιοτάτῳ τῶν ἀποστόλων· σὺ εἶ Πέτρος κτλ. Τὰς δὲ τοιαύτας μακαρίας φωνὰς οὐ κατά τινα πάντως ἀποκλήρωσιν τῷ κορυφαίῳ μόνῳ περιέγραψεν, ἀλλὰ δι' αὐτοῦ καὶ πρὸς πάντας τοὺς κατ' ἐκεῖνον ἱεράρχας πρεσβυτέρας Ῥώμης παρέπεμψε. Hardouin, *Concilia*, t. V, col. 1038-1040. Cf. col. 791-793.

3. Mansi, *Concil. ampl. coll.*, t. XVI, col. 27.

Pauli, quos vocat *principem ac augustissimam Apostolorum verticem*, ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν ἀποστόλων ἀκρότης[1]. Petrum his alloquitur verbis :

*Salve Petre, cui claves regni cælorum creditæ sunt; super quem Christus firmavit Ecclesiam suam; quem ad Patrem migraturus suis ovibus pastorem præfecit* [2].

## ARTICULUS III

### De romanae Sedis primatu apud eosdem Byzantinos.

In primo dimidio sæculi IX, Byzantini romanæ Sedis primatum non semel confessi sunt; ex quorum testimoniis liquet hanc doctrinam tunc temporis omnibus fuisse notissimam ac receptam. Pauca virorum præstantissimorum dicta referre satis erit.

Sæculo ineunte, primus nobis occurrit sanctus Tarasius patriarcha Constantinopolitanus (784-806), qui in quadam epistola ad Hadrianum papam I, asserit hunc Pontificem Petri cathedram obtinuisse, riteque atque ex Dei voluntate ordinem regere sacerdotalem; cujus verbis obtemperare Tarasius ipse profitetur [3].

1. Hæc verba de ipso sancto Petro profert Pseudo-Dionysius, *De divinis nominibus*, cap. III.

2. Χαίροις, Πέτρε, ὁ τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας τὰς κλεῖς πεπιστευμένος, ἐφ' ᾧ τὴν ἰδίαν ὁ Χριστὸς Ἐκκλησίαν ἐστηρίξατο· ὃν καὶ ποιμένα πρὸς τὸν ἑαυτοῦ Πατέρα μεταβαίνων ἐπὶ τῶν αὐτοῦ προβάτων κατεστήσατο. *In laudem SS. Petri et Pauli, P. G.*, t. CV, col. 40 C. *Ibid.*, col. 37 C, Petrum appellat *immobilem Ecclesiæ petram, fidei Christ-principium*, ἡ τοῦ Χριστοῦ πίστεως ἀρχή, ἡ ἀμετακίνητος τῆς Ἐκκλησίας πέτρα. De Petro et Paulo simul dicit : *Velut duo lucidissimi ac blandissimi dominici corporis prostatis oculi, per quos Dominus exstantes in toto orbe Ecclesias inspectans, ædificat perficitque*, δι' ὧν ὁ Κύριος τὰς καθ' ὅλην τὴν γῆν Ἐκκλησίας ἐφορῶν, οἰκοδομεῖ καὶ καταρτίζει. Col. 48 C. *In Encomio sancti Andreæ*, omnes Apostolos inter se fuisse æquales innuere videtur, *ibid.*, col. 64 B; attamen expresse affirmat sanctum Andream esse ordine secundum post Petrum : ὁ μετὰ τὸν σύγγονον μὲν τὴν τάξιν εὐθὺς, τὴν κλῆσιν δὲ πρὸ αὐτοῦ.

3. οὗ τὴν καθέδραν ἐκληρώσατο ἡ ἀδελφικὴ ὑμῶν ἁγιότης... Ἡ ἀδελφικὴ ὑμῶν ἱεροπρεπὴς ἀρχιερωσύνη, ἡ ἐνθέσμως καὶ κατὰ Θεοῦ βούλησιν πρυτανεύουσα τὴν ἱεραρχικὴν ἁγιστείαν... ...πειθόμεθα γὰρ τοῖς ῥήμασι τοῦ στόματος ὑμῶν. *Epistola ad Hadrianum papam de simonia.*

Tarasii successor, sanctus Nicephorus (806-815), de primatu romani Pontificis hoc præclarum profert testimonium in suo *Apologetico pro sacris imaginibus :*

« Et quidem hæc synodus (Nicæna II) summæ auctoritatis est, atque ad plenam fidem faciendam sufficiens, quia et œcumenica fuit, et omnino libera, et extra omnem calumniæ reprehensionisque aleam posita, et cujusvis alieni dogmatis insons culpaque carens : Etenim celebrata fuit æquissime et in primis legitime; *nam secundum edita antiquitus divina decreta, præeminebat in ea præsidebatque ex occidentali fastigio, id est, ex Vetere Roma, pars non modica : sine quibus* [*Romanis*] *ullum dogma, quod in Ecclesia ventilatum, decretis canonicis et sacerdotali consuetudine jam olim ratum fuerit, nunquam tamen probatum habebitur, neque in praxim deducetur : quia illi sacerdotii principatum sortiti sunt, eamque dignitatem a duobus coryphæis Apostolis traditam habent* [1]. »

Tarasii ac Nicephori coævus, sanctus Theodorus Studita, omnia romani Pontificis, Petri successoris privilegia, prout nunc a theologis catholicis edocentur et a concilio Vaticano fuerunt definita, etiam atque etiam in suis scriptis prædicat. Docet siquidem :

1° Romanum Pontificem esse Petri in primatu successorem eumque Petri personam in Ecclesia gerere [2];

2° Eum ab ipso Christo per Petrum, Apostolorum principem, claves accepisse regni cælorum [3];

Pitra, *Juris eccles. Græcorum monumenta*, t. II, p. 305, 309. Hanc epistolam Nomocanoni Photius inseruit.

1. ὧν ἄνευ, δόγμα κατὰ τήν Ἐκκλησίαν κινούμενον, θεσμοῖς κανονικοῖς καὶ ἱερατικοῖς ἔθεσι νενομισμένον ἄνωθεν, τὴν δοκιμασίαν οὐ σχοίη, ἢ δέξαιτ' ἄν ποτε τὴν περαίωσιν, ὡς δὴ λαχόντων κατὰ τὴν ἱερωσύνην ἐξάρχειν, καὶ τῶν κορυφαίων ἐν ἀποστόλοις ἐγκεχειρισμένων τὸ ἀξίωμα. *Apologeticus pro sacris imaginibus, P. G.*, t. c, col. 597.

2. πρὸς Πέτρον, ἤτοι τὸν αὐτοῦ διάδοχον ὁτιοῦν καινοτομούμενον ἐν τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ παρὰ τῶν ἀποσφαλλομένων τῆς ἀληθείας ἀναγκαῖον ἀναφέρεσθαι. *Epist. ad Leonem papam III* (anno 810). *P. G.*, t. XCIX, col. 1017. Anno 818, Theodorus sancto Pascali papæ I scribens, illum salutat ut manifestum Apostolorum principis successorem ὡς ἐναργὴς διάδοχος τοῦ τῶν ἀποστόλων κορυφαίου. *P. G., ibid.*, col. 1155.

3. Ἄκουε, ἀποστολικὴ κάρα, θεοπρόβλητε ποιμὴν τῶν Χριστοῦ προβάτων, κλειδοῦχε τῆς οὐρανῶν βασιλείας, πέτρα τῆς πίστεως, ἐφ' ᾧ ᾠκοδόμηται ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία. Πέτρος γὰρ σύ, τὸν Πέτρου θρόνον κοσμῶν καὶ διέπων. *Epist. ad Pasc.*, anno 817. *P. G., ibid.*, col. 1152.

3° Eum esse Ecclesiæ, quæ sub cælo est, summum pastorem [1], necnon *omnium capitum divinum caput, seu omnium patriarcharum coryphæum*[2];

4° Concilium orthodoxum legitime haberi non posse secundum consuetudinem antiquitus vigentem, inscio romano Pontifice [3];

5° Romanum Pontificem esse orthodoxiæ infallibilem fontem ac custodem [4].

Jam supra ad doctrinam sancti Methodii, Slavorum apostoli, allusimus. Hic theoriam schismaticam hæreticamque de translatione primatus e Vetere Roma ad Novam invictis rationibus profligavit in quadam adnotatione Nomocanoni 50 titulorum slavice a se translato inserta :

« Verum non est, inquit ille, quod canon iste [28us Chalcedonensis] asserit, nempe sanctos Patres Seniori Romæ primatum ideo tribuisse, quod caput esset imperii; *sed desuper, a gratia divina, hic primatus ortum habuit.* Etenim, propter fidei suæ gradum, Apostolorum princeps Petrus hæc verba ex ipso ore Domini nostri Jesu-Christi audire meruit : *Petre, amas me? Pasce oves meas... Privilegia enim Senioris Romæ sunt usque ad finem inconcussa, neque transferri ullo modo possunt. Quia omnibus præsidet Ecclesiis ejus episcopus, ideo non cogitur, ut conveniat ad sancta universi mundi concilia; ast sine ejus consensu, nullum concilium œcumenicum haberi potest* [5]. »

Photii amicum ac consecratorem, Gregorium Asbestam Syracusanum episcopum, de sententia Ignatii ad romanum Pontificem Leonem IV (847-855) appellasse, tum ex epistolis sancti Nicolai papæ I, tum ex epistola Styliani Neocæsariensis ad Stephanum papam V compertum habemus [6].

1. ἀρχιποίμην τῆς ὑπ'οὐρανὸν Ἐκκλησίας. *Ibid.*, col. 1020.

2. θειοτάτη τῶν ὅλων κεφαλῶν κεφαλή. *Ibid.*, col. 1292.

3. καίπερ εἰ καὶ ὀρθόδοξον οὐκ ἄνευ τῆς ὑμῶν εἰδήσεως ἐξουσιάζοντες, ὡς τὸ ἄνωθεν κεκρατηκὸς ἔθος. *Epist.* lib. I epist. XXIII, *P. G.*, *ibid.*, col. 1020.

4. ὑμεῖς οὖν ὡς ἀληθῶς ἡ ἀθώλοτος καὶ ἀκαπήλευτος πηγὴ ἐξ ἀρχῆς τῆς ὀρθοδοξίας. *Ibid.*, col. 1156.

5. *Bessarione art. cit.;* Grivec, *op. cit.*, p. 96, 97. Cf. *adnot.* I *ad hoc caput* II, p. 224.

6. « Quando Zacharias, qui se prætendebat episcopum, ex parte Gregorii Syracusani et collegarum ejus, Apostolicam Sedem adiit, eorum

Asbestas, in hac causa, canones Sardicenses prætendebat.

Sanctus Ignatius, patriarcha Constantinopolitanus, bis ad romanum Pontificem appellavit ejusque primatum jurisdictionis disertis verbis confessus est. Prima quidem vice, coram conciliabulo a Photio, anno 861, congregato, judicium papæ postulavit, canonem quartum Sardicensem proferens. Cum autem Photii asseclæ ejus petitionem recipere noluissent, illius nomine, Theognostus monachus libellum appellationis scripsit, et ad Nicolaum papam detulit, cujus inscriptio hæc erat :

« Ignatius tyrannide oppressus multisque ærumnis conflictatus, et qui mecum infelicia tempora experti sunt metropolitani decem, et quindecim episcopi, cœnobiarcharum insuper ac presbyterorum monachorumque infinita multitudo, *sanctissimo domino nostro et beatissimo præsidi, cunctarum sedium patriarchæ, sancti Petri principis Apostolorum successori, œcumenico papæ Nicolao, episcopisque illius sanctissimis, et sapientissimæ Ecclesiæ romanæ universæ in Domino salutem* [1]. »

Epistola vero his verbis concludebatur :

« Tu, sanctissime domine, ostende in me viscera miserationum, et cum magno Apostolo et ipse dicas : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Intuere majores tuos patriarchas, Fabianum, inquam, Julium, Innocentium, Leonem et omnes denique qui pro fide et veritate viriliter decertarunt* [2]. »

Ignatius papæ Nicolao iterum scripsit, postquam, Photio expulso, suæ sedi restitutus est. In hac altera epistola [3], cujus initium jam supra retulimus, Ignatius totus est in affirmanda suprema jurisdictione juris divini romani Pontificis, Petri successoris ; siquidem illum appellat *unicum et universalissimum corporis Ecclesiæ medicum, novum Petrum, qui novum Ananiam, Photium, sententia potentiorum verborum suorum*

deposcens renovari judicium, hos se in appellatione canones et eos a quibus missus exstiterat, fuisse secutos aiebat. » *Epist. Nicolai I ad Photium* (a.866), *P. L.*, t. CXIX, col. 1050 D. Vide etiam epistolam Styliami, Hardouin, t. V, col. 1121.

1. τῷ μακαριωτάτῳ πρυέδρῳ καὶ πατριάρχῃ πάντων τῶν θρόνων, καὶ τοῦ Κορυφαίου διαδόχῳ καὶ οἰκουμενικῷ Νικολάῳ πάπᾳ. *P. G.*, t. CV, 856; Hardouin, t. V, col. 1013.

2. Hardouin, col. 1017.

3. Hardouin, *ibid.*, col. 791-793, 1038.

*occidit, summæ potestatis apostolicæ a Christo datæ susceptorem;* illumque rogat tum ut veniam concedat quibusdam clericis, qui cum Photio communicaverant, tum ut mittat legatos ad concilium pro instauranda pace congregandum. Hæc epistola lecta est in actione tertia concilii œcumenici octavi.

In Actis hujus concilii, testimonia explicita de primatu romano passim occurrunt. In prima actione, lectus est libellus professionis fidei ab Hadriano II ad Orientales, ut ei subscriberent, missus; in quo expresse affirmantur tum infallibilitas in docendo tum in regendo primatus romanæ Sedis :

*Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus : *quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina... Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et observantes ejus omnia constituta, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianæ religionis soliditas* [1].

In sequentibus actionibus, item lectæ sunt et approbatæ Nicolai I et Hadriani II epistolæ, quæ romanæ Sedis privilegia palam declarant. In canone secundo concilii hæc occurrunt :

*Obedite præpositis vestris et subjacete illis...* Paulus magnus Apostolus præcipit. *Itaque beatissimum papam Nicolaum tanquam organum Sancti Spiritus habentes, necnon et sanctissimum Hadrianum papam successorem, definimus atque sancimus etiam omnia, quæ ab eis synodice per diversa tempora exposita sunt et promulgata... servari semper et custodiri* [2].

In canone vero vicesimo primo (græco decimo tertio), aperte declaratur romanam Ecclesiam etiam a concilio œcumenico judicari non posse, et ipsum concilium œcumenicum recipere debere solutionem a romano Pontifice datam :

*Si synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta romana Ecclesia quævis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita*

1. Hardouin, *op. cit.*, t. v, col. 773.
2. *Ibid.*, col. 899.

*quæstione sciscitari et solutionem accipere, et aut proficere, aut prodesse, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris romæ Pontifices*[1].

Post peractam synodum, Patres *summo sacerdoti et universali papæ* Hadriano scripserunt epistolam, in qua tum Nicolaus I, tum ejus successor Hadrianus *summi pastores et omnium Ecclesiarum principes* prædicantur[2].

Postquam autem Photius secunda vice a sede patriarchali pulsus est, Byzantini rursum ad romanam Sedem se verterunt, ut cum ea concordiam instaurarent scandalaque ex photiano schismate orta removerent. Stylianus Neocæsariensis, Ignatianorum dux, Stephano papæ V scribens, aiebat : « *Cum autem sciamus nos ab Apostolica vestra Sede regi et gubernari debere*, propterea nostris exiguis litteris vestram venerandam dignitatem rogamus, uti populo, qui non sine gravi causa Photii ordinationem admisit, veniam misericordiamque indulgere velit[3]. »

Unio tamen inter utramque Ecclesiam non statim restituta est, sed longo epistolarum commercio multisque colloquiis opus fuit. Tandem, anno 900, sub Joanne IX, romano Pontifice, et Antonio II Caulea, patriarcha Constantinopolitano, (893-901), cum papa legatos Constantinopolim misisset, schisma cessavit[4].

Equidem non negamus apud Byzantinos sæculi IX facta verbis non semper respondisse, multosque Photii vestigia fuisse secutos; item, falsam de *pentarchia* theoriam in animos jam tunc temporis obrepsisse verumque Ecclesiæ conceptum

1. εἰ δὲ, συγκροτηθείσης συνόδου οἰκουμενικῆς, γένηταί τις καὶ περὶ τῆς Ἐκκλησίας τῶν Ῥωμαίων ἀμφιβολία, ἔξεστιν εὐλαβῶς καὶ μετὰ τῆς προσηκούσης αἰδοῦς διαπυνθάνεσθαι περὶ τοῦ προκειμένου ζητήματος, καὶ δέχεσθαι τὴν λύσιν, καὶ ἢ ὠφελεῖσθαι, ἢ ὠφελεῖν, μὴ μέντοι θρασέως ἀποφέρεσθαι κατὰ τῶν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἱεραρχῶν. Hardouin, *ibid.*, col. 909.

2. *Ibid.*, col. 934.

3. Ἐπεὶ δὲ ἴσμεν, ὅτι ἐκ τοῦ ἀποστλικοῦ ὑμῶν θρόνου τὸ ἰθύνεσθαι καὶ κανονίζεσθαι ἔχομεν, κτλ. *Epistola Styliani ad Stephanum papam. Ibid.*, col. 1128.

4. Cf. *De cærimoniis aulæ byzantinæ*, lib. II, cap. III, *P. G.*, t. CXII, col. 1353: ἐτιμήθησαν δὲ οἱ ἀπὸ Ῥώμης ἐλθόντες διὰ τὴν ἕνωσιν τῆς Ἐκκλησίας ἐπὶ Λέοντος τοῦ φιλοχρίστου δεσπότου, οἵων ὁ ἐπίσκοπος Νικόλαος καὶ ὁ καρδινάλιος Ἰωάννης, ἐπάνω πάσης τῆς τάξεως τῶν μαγίστρων. Cf. etiam *Vitam Euthymii*, ed. de Boor, cap. X, p. 34.

obnubilasse, ut videre est ex Actis concilii octavi; verumtamen ex textibus allatis liquido constat antiquam in primatum romanæ Sedis fidem in Oriente integram permansisse; quod etiam ex modo dicendis de ipsius Photii doctrina adhuc evidentius apparebit.

## ARTICULUS IV

### De beati Petri necnon de romanæ Sedis primatu juxta Photii dicta et facta.

Duplici modo primatum Petri ejusque successoris romani Pontificis agnoscere vel respuere quis potest, verbis scilicet et factis. Ad Photium quod attinet, compertum est illum, diversis temporibus, diverse de romana Sede sensisse, diversamque erga illam agendi viam tenuisse. Primum enim illum catholice loquentem et agentem invenimus; postea vero in romanum Pontificem aperte rebellantem et stomachantem videmus; demum aliquam mediam viam inter debitam subjectionem et manifestam contumaciam ineuntem deprehendimus. Unde hujus articuli plus æquo forsan protracti sectiones quatuor erunt :

I. De B. Petri primatu secundum Photii doctrinam;

II. De Photio catholice sentiente circa primatum romanæ Sedis;

III. De Photio schismatico;

IV. De Photii ultima agendi ratione erga romanum Pontificem.

#### I. — De B. Petri primatu secundum Photii doctrinam.

In omnibus fere scriptis suis, si unum excipias, Photius præeminentiam et primatum beati Petri supra cæteros Apostolos diserte profitetur. Illum persæpe vocat *principem* seu *coryphæum* Apostolorum vel discipulorum [1], *Coryphæum*,

1. ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων : *Epist.* I *Ad Nicol. pap.*, *P. G.*, t. CII, col. 686 C. *Synod. phot.*, Hardouin, t. VI, col. 321 D. — Ὁ κορυφαῖος τῶν μαθητῶν. *Ibid.*, 217 E; ὁ κορυφαῖος : Quæst. XLIII, *ad Amphil. P. G.*, t. CI, col. 308, 309, 324. Quæst. I, 19; *ibid.*, col. 73. Quæst. CXXXII, col. 729.

ὁ κορυφαῖος, antonomastice, *discipulorum verticem* [1], *discipulorum primum* [2], cui Dominus commisit claves cælestium portarum et per eas introitum [3]. Claviger cæli remansit post suam pœnitentiam [4]. Non enim illa triplici Christi negatione sua dignitate principali aliisque privilegiis, quibus Dominus illum donavit, privatus est. Hoc aperte docet Photius in quadam homilia, feria sexta Majoris Hebdomadæ, ex ambone ecclesiæ sanctæ Irenes, anno 861, dicta. Quando diabolus, inquit ille, tentationes contra virtutem spei nobis ingerit, et conatur nos in desperationis abyssum præcipitare, resistere illi debemus, in memoriam reducendo exempla divinæ misericordiæ, præsertim vero veniam Petro, post trinam negationem, concessam :

« Habes Petrum, qui, ancilla interrogante, Magistrum renuit, cum juramento denegans, se illum noscere, seque perjurio capi permittens ; *tanta autem lacrymarum copia negationis maculam abstersit, ut de dignitate coryphæi apostolici chori non exciderit, et petra fundamentalis Ecclesiæ constitutus fuerit : quem etiam Veritas clavigerum cælorum renuntiavit* [5]. »

1. τῶν μαθητῶν ἡ ἀκρότης. *Epist.* lib. I epist. XIV, *P. G.*, t. CII col. 764 C.

2. ὁ τῶν μαθητῶν πρῶτος. *Homil.* LIII. Aristarchi, Φωτίου λόγοι καὶ ὁμιλίαι, Constantinopoli, 1901, t. II, p. 151.

3. τῶν οὐρανίων πυλῶν τὰς κλεῖς ἐμπεπιστευμένος καὶ τὴν εἴσοδον. *Epist. ad Michaelem Bulgariæ principem* (scripta an. 866). *P. G.*, t. CII, col. 661.

4. Τῶν οὐρανίων πυλῶν ὁ κλειδοῦχος μετὰ τὸ δάκρυον. Aristarchi, *loc. cit.*

5. Ἔχεις τὸν Πέτρον, ὃς, παιδίσκης μὲν διερωτώσης, τὸν διδάσκαλον ἀπηρνήσατο, ἀπώμοτον αὐτὸν τὸ γινώσκειν ποιησάμενος, καὶ ψευδορκίᾳ ἁλισκόμενος· ἐπὶ τοσοῦτον δὲ τοῖς δάκρυσι τὸ μόλυσμα τῆς ἀρνήσεως ἐξεκάθηρεν, ὥστε καὶ τοῦ κορυφαῖος εἶναι τῆς ἀποστολικῆς χοροστασίας οὐκ ἐξέπεσε, καὶ πέτρα τῆς Ἐκκλησίας τεθεμελίωται, καὶ τῆς οὐρανῶν κλειδοῦχος ὑπὸ τῆς Ἀληθείας ἀνηγόρευται. S. Aristarchi, Φωτίου λόγοι καὶ ὁμιλίαι, t. I, p. 481, 482. Constantinopoli, 1901. Titulus homiliæ in qua hæc leguntur sic se habet : Ὁμιλία πρώτη λεχθεῖσα τῇ ἁγίᾳ παρασκευῇ ἐν τῷ ἄμβωνι τῆς ἁγίας Εἰρήνης, μετὰ τὴν συμπλήρωσιν τῶν κατηχήσεων. In quadam nota satis producta, Aristarchi frustra conatur verba Photii a sensu obvio detorquere. Probabilius argumentum ab eo adinventum hoc est : « De Petro pericope dicta est certe ad complacendum legatis romanis a Nicolao missis, qui inter auditores aderant. » Si Aristarchi vera dicit, hoc utique in Photii laudem non cedit. Sed, etsi legati romani Photium loquentem audierint —

Alio in loco, quæstioni : *Cur Apostolorum princeps in negationem Magistri inciderit*, sic respondet :

*Quandoquidem Petrus orbis præfecturam suscepturus erat, ideo permisit Deus, ut lapsu perturbaretur; quo suo commonefactus ipsius exemplo, humanus ac facilis erga peccatores pœnitentiam agentes fieret* [1].

Verba Christi ad Petrum apud S. Matthaeum, cap. XVI, 17, 18, relata, respiciunt solam Petri personam, non vero omnes Apostolos, ut volunt hodierni theologi dissidentes :

« Cum enim, ait Photius, Petrus, Apostolorum coryphæus, communem nostrum et Dominum confessus esset, *is hujus confessionis præmium ipsi retribuens, beatum quidem eum prædicat digne Deo;* revelationem vero hanc Patrem, qui in cælis est, ipsi exhibuisse docet, dicens : *Beatus es Simon, Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc. [2].

« Filium hominis se appellans Christus, et a Petro Apostolorum coryphæo Filius Dei viventis salutatus, utrumque confirmavit : primum his quæ dixit ipse, alterum his quæ de se dicta rata habuit. *Ideo et præmium rectæ confessionis Petro dedit, regnique claves ei tradidit; et supra ejus confessionem Ecclesia stabilita est* [3]. »

Dum Ecclesiam affirmat supra confessionem Petri esse fundatam, Photius non intendit sane separare confessionem Petri ab ejus persona, quasi Petrus nihil amplius in Ecclesia agat, quam quilibet alius, qui Petri fidem profiteatur; sed hæc duo : Petri persona et ejus recta confessio ita in unum coalescunt, ut ab invicem disjungi non possint. Unde Chris-

quod non est certum — probandum remaneret eos intellexisse quæ dicebantur; siquidem, tunc temporis, legati romanæ Sedis in Orientem missi linguæ grecæ notitia raro pollebant.

1. ἔμελλε τῆς οἰκουμένης προστασίαν καταπιστεύεσθαι. Quæst. XCVII *ad Amphilochium*, *P. G.*, t. CI, col. 608 C.

2. θεολογήσαντι δὲ πάλιν τῷ κορυφαίῳ τῶν ἀποστόλων Πέτρῳ τὸν κοινὸν ἡμῶν διδάσκαλον καὶ Θεὸν, ὥσπερ τῆς θεολογίας αὐτὸς ἀνταποδιδοὺς μισθὸν, μακαρίζει μὲν τὸν θεολόγον θεοπρεπῶς. κτλ. *Contra Manichæos*, lib. I, sermo II, 6, *P. G.*, t. CII, col. 92 B.

3. διὸ καὶ μισθὸν τῷ Πέτρῳ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας τάς τε κλεῖς τῆς βασιλείας ἐνεχείρησε, καὶ ἐπὶ τῇ αὐτοῦ ὁμολογίᾳ ἐστηρίχθαι τὴν Ἐκκλησίαν.... ἐκραταίωσεν. Quaest. CXCIV *ad Amphil.*, *P. G.*, t. CI, col. 933 A.

tus pro Petro rogavit, ut fides ejus nunquam deficeret. Hanc fuisse Photii sententiam manifestum est tum ex textibus jam allatis, tum ex his duobus : *In Petro fidei fundamenta consistunt*[1]. — *Apostolorum principem Petrum Dominus caput omnium Ecclesiarum constituit, dicendo : Pasce oves meas*[2].

Hæc ultima verba non fuerunt ab ipso Photio directe conscripta et prolata, sed tacite saltem approbata. Leguntur enim in epistola Joannis papæ VIII ad Imperatores, prout a Photio adulterata est, et postea in conciliabulo sanctæ Sophiæ lecta. Si hæc Photio et ejus asseclis displicuissent, illa utique falsarius erasisset.

Silentio tamen premenda non est quædam attenuatio verborum Christi ad Petrum : *Tibi dabo claves regni cælorum; et quodcumque legaveris super terram, erit ligatum et in cælis*, etc., quæ in *Bibliotheca*, ad cod. CCLXXX occurrit. Postquam enim Photius sequentia Eulogii Alexandrini verba retulit :

« Ideo nec Joanni nec alteri cuiquam ex discipulis dixit Salvator : *Tibi dabo claves regni cælorum*, etc., sed soli Petro, qui Deum negaturus erat, et peccatum lacrymis ac pœnitentia expiaturus, ut suo ipsius exemplo erga peccatores humanior evaderet; cæteri enim non tentati severius forsan cum peccatoribus egissent[3] » ;

Hæc, inquit, verisimilius potiusquam verius Eulogius dicit Quamquam enim hæc verba ad Petrum dicta sunt, verum in persona Coryphæi et cæteris discipulis talis potestas concessa est, quandoquidem et eis, qui post ipsos pontificali dignitate circumdati sunt, eamdem ligandi atque solvendi potestatem inesse credimus[4].

1. Πέτρος, ἐφ' ᾧ τὰ τῆς Ἐκκλησίας κεῖται θεμέλια. *Epist.* lib. II epist. XCIX *Ad Nicephorum, P. G.*, t. CI, col. 1909 A.

2. ὃν κεφαλὴν πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν τέθεικεν ὁ Κύριος, εἰπών· ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. *Synodi photianæ Acta.* Hardouin, *op. cit.*, t. VI, col. 232 E.

3. Hæc dicebat Eulogius in libro secundo sui tractatus contra Novatianos.

4. Πιθανότερον μᾶλλον ἢ ἀληθέστερον τοῦτο λέγει. Εἰ γὰρ καὶ πρὸς Πέτρον εἴρητο, ἀλλ' οὖν ἐν προσώπῳ τοῦ κορυφαίου καὶ τοῖς λοιποῖς τῶν μαθητῶν ἡ τοιαύτη ἐξουσία ἐδέδοτο, ὅπου γε καὶ τοῖς ἀπ' ἐκείνων τὸ ἀρχιερατικὸν κατὰ διαδοχὴν περιβεβλημένοις ἀξίωμα τὴν αὐτὴν προσεῖναι τοῦ δεσμεῖν καὶ λύειν ἐξουσίαν πιστεύομεν. *Bibliotheca*, cod. 280, *P. G.*, t. CIV, col. 328.

Ut ex contextu conjicere licet, Photius, qui, dum hæc scribebat, adhuc inter laicos consistebat, putavit Eulogium cæteris Apostolis ligandi atque solvendi potestatem denegasse; quod certe longe a mente patriarchæ Alexandrini aberat; intendebat enim tantum principalem Petri jurisdictionem eminentiorem facere ac extollere, atque catholicam verborum Christi interpretationem tradere. Cæterum, Photius hunc Petri principatum non negat, sed tantummodo affirmat cæteros Apostolos eorumque successores potestatem ligandi atque solvendi participare; quod et melius firmavisset altero Evangelii loco, ubi Dominus omnibus simul Apostolis hanc ligandi atque solvendi potestatem contulit, quamvis non independenter a Petro.

Hactenus Photium orthodoxe loquentem audivimus. Sed a recta fidei regula circa Petri primatum aliquamdiu declinavit, postquam scilicet a romanis Pontificibus excommunicatus atque depositus fuit. In suo enim opusculo cui titulus est : *Ad eos qui dicunt Romam esse primam sedem* — scriptum autem fuit hoc verisimiliter post annum 864, vel forsan cum schismaticus primum in exsilio degeret [1] — hæc duo argumenta movet contra primatum romanæ Sedis.

*Adhuc, si propter Coryphæum Roma quærit primum locum tenere, propter Andream protoclitum et natu majorem fratrem, Byzantium primas habet. Non paucis enim annis prius Byzantii episcopatum præoccupavit quam ejus frater Romanorum episcopus esset* [2].

*Si vero mihi affers illud : Tu es Petrus, et super hanc petram*

1. De hujus libelli authenticitate disserit Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 170-172, concluditque hunc esse genuinum Photii fetum, codicum auctoritate argumentisque internis fretus. Probabile est illum esse productioris operis compendium, quod Photius nunquam suo nomine vulgaverit. Facile credam opusculum istud inter scripta numerandum esse, de quibus *Acta concilii Romani anni 869*, sub Hadriano II, hæc habent : « Similiter de cæteris scripturis, quæ viris nominatis (Photius scilicet et Michael III imperator) auctoribus, contra eamdem sedem tempore diverso sunt editæ, gerendum modis omnibus definimus. Hardouin, *op. cit.*, t. v, col. 868.

2. Ἔτι, εἰ διὰ τὸν Κορυφαῖον ἡ Ῥώμη ζητεῖ τὸ πρωτεύειν, δι' Ἀνδρέαν τὸν πρωτόκλητον καὶ γενέσει πρότερον ἀδελφὸν, τὸ Βυζάντιον πρῶτον. Οὐκ ὀλίγοις γὰρ ἔτεσι τοῦ Βυζαντίου τὴν ἐπισκοπὴν ἔφθασε προλαβὼν, πρὶν ἢ τὸν ἀδελφὸν Ῥωμαίων ἐπισκοπῆσαι. Rhallis et Potlis, *loc. cit.*

*ædificabo Ecclesiam meam et alia, quæ sequuntur, scito hæc non fuisse dicta propter Ecclesiam, quæ Romæ est; absit; judaicum enim hoc est, et sordidum divinam gratiam circumscribere regionibus quibusdam et locis, atque contendere eam non per universam terram similiter suam sortiri efficaciam. Sed et illud : Super hanc petram, quis unquam, quamvis procacissimus et impudentiæ nomen adeptus, in romanæ Ecclesiæ commodum detorquere audeat? Manifestum est enim hæc fuisse dicta de confessionis petra divinitatem Christi professa, et per eam de universa Ecclesia usque ad ultimos terræ fines Apostolorum prædicatione dilatata ac fundata; propter quam et Spiritum Sanctum per propheticas tubas, ad normam sanctissimæ et venerabilis definitionis, locutum fuisse confitemur, sicut inter sacra dicimus : Qui locutus est per prophetas — in unam, catholicam et apostolicam Ecclesiam non petrinam vel romanam, ut vult romanæ inscientiæ vanitas* [1].

Horum sophismatum postea oblitus est Photius, ut conciliabuli in templo Sanctæ Sophiæ, anno 879-880 habiti Acta testantur; de quibus mox locuturi sumus.

### II. — De Photio catholice sentiente circa primatum romanæ Sedis.

Primum quidem Photius, cum tota antiquitate christiana, romanum Pontificem Petri cathedram tenere ejusque successorem esse diserte profitetur. In ipso enim opusculo, in quo primatum romanæ Sedis impugnat, manifesto supponit Coryphæum fuisse Romæ episcopum :

« *Si*, inquit, *ideo Roma est prima sedes, quia Coryphæum episcopum suscepit, Antiochia potius habebit primatum;* etenim Petrus apostolus fuit Antiochiæ episcopus, antequam Romæ esset [2]. »

1. Εἰ δὲ προσφέρεις μοι τὸ· Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ τὰ ἑξῆς, ἴσθι ὡς οὐ διὰ τὴν ἐν Ῥώμῃ Ἐκκλησίαν εἴρηται, ἄπαγε· ἰουδαϊκὸν γὰρ τοῦτο καὶ ταπεινὸν τὴν χάριν καὶ τὴν θειότητα αὐτῆς μέρεσί τισι καὶ τόποις περιγράφειν, ἀλλὰ μὴ ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ὁμοίως ἐνεργεῖν. *Ibid.*

2. καὶ γὰρ καὶ πρὸ τῆς Ῥώμης ὁ ἀπόστολος Πέτρος ἐπεσκόπησεν ἐν Ἀντιοχείᾳ. *Ibid.* Cf. *Syntagma canonum*, tit. XIII, cap. XX. *P. G.*, t. CIV, col. 944.

Non una vice Sedem romanam vocat Apostolicam Sedem [1], Thronum Apostolicum [2]. In conciliabulo Sanctæ Sophiæ, Petro legato romano dicenti : *Visitat vos sanctus Petrus*, respondit : *Christus Deus noster per coryphæum discipulorum, cujus mentionem fecit vestra pietas, misereatur omnium nostrum* [3]. Et in epistola Joannis papæ VIII ad imperatores, prout a Photio recognita et emendata est, hæc legimus :

« *Hæc Apostolica Sedes, accipiens claves regni cælorum a primo et magno Pontifice Jesu Christo per principem Apostolorum Petrum, dicente eo :* « *Tibi dabo claves regni cælorum; et* « *quemcumque ligaveris super terram, erit ligatus in cælis; et* « *quemcumque solveris super terram, erit solutus et in cælis* », potestatem habet universe ligandi atque solvendi [4]. »

Ad privilegia autem romanæ Sedis quod attinet, Photius catholice se gerit et catholice loquitur, antequam a romano Pontifice condemnetur. Ut supra diximus, Gregorius Asbestas, a sancto Ignatio depositus, de hujus sententia ad Leonem papam IV appellavit. Scimus autem Photium Gregorii partibus adhæsisse. Unde, in hac circumstantia, amici modum agendi tacite saltem approbavit, eoque ipso romani Pontificis supremam jurisdictionem agnovit.

In locum Ignatii a Barda et Michaele Ecclesiæ Constantinopolitanæ præpositus, primum quidem omnimode obtinere conatur, ut Ignatius a sede ultro se abdicet; cum vero nihil proficiat, videatque multos episcopos suæ promotioni obsistere, ad Nicolaum papam ultimo se vertit, ut hic sua auctoritate dissensioni Ecclesiæ Constantinopolitanæ occurrat [5].

1. Loquens de legatis Hadriani papæ I ad synodum septimam, dicit illos tenuisse locum Apostolicæ Cathedræ, οἱ τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας διεπληροῦντο τὸν τόπον. *Epist. ad Michaelem Bulgariæ principem, P. G.*, t. CII, col. 649 C.

2. Ἀδριανὸς ἐκεῖνος τὸν αὐτὸν ἀποστολικὸν διιθύνας θρόνον. *Epist. ad archiep. Aquil. Ibid.*, col. 817.

3. Hardouin, t. VI, col. 217 E.

4. ὁ ἀποστολικὸς θρόνος οὗτος, λαβὼν, τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν παρὰ τοῦ πρώτου καὶ μεγάλου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου. *Ibid.*, col. 236 C.

5. Photius jam Ignatium deposuerat; sed suam sententiam robore destitutam esse bene sciens, obtinere vult, ut Nicolaus papa per suos legatos ad depositionem Ignatii consentiat. Hoc notat ipse Nicolaus, *Epist. ad Mich. imperatorem* (anno 865), *P. L., t. cit.*, col. 933 C. Cf.

Suam epistolam *enthronisticam* ipsi mittit, in qua obsequenter eum alloquitur, ejusque communionem requirit. Interea, imperialem epistolam ad eumdem Nicolaum conscribendam curat [1], in qua inter alias criminationes, quæ ibi contra Ignatium moventur, hæc invenitur : *Ignatius sententiam Benedicti papæ in causa Gregorii Syracusani non recepit, sed more Dioscori sprevit* [2]. Insuper legatio ad Nicolaum dirigitur cum pretiosis muneribus, ad ejus benevolentiam captandam [3]; cujus approbatio tanti penditur, ut etiam post solemnem Photii condemnationem, imperator Michael — seu potius ipse Photius, sub illius nomine — Papam exhortetur, ut voluntatem mutet sententiamque retractet [4].

Post conciliabulum, anno 861, in ecclesia SS. Apostolorum habitum, Photius longam illam Nicolao scribit epistolam, in qua suam texit apologiam. Jam rebellionem in pectore gerit; prævidet enim Papam suis placitis non obsecuturum; attamen, quia non omnem adhuc amisit spem illum sibi conciliandi, cum ficta reverentia filiali eum alloquitur, *patrem-*

etiam Anastasium Bibl., *Præfatio ad concil. IV Const.*, Hardouin, *ibid.*, 751, et Theophanem contin., *Chronographia*, IV, 32 : καὶ ἵνα δὴ καὶ τὰ αὐτῶν κραταιότερα ἀποφήνωσι. *P. G.*, t. CIX, col. 209 C.

1. Hæc epistola deperdita est, sed ejus summam novimus ex epistolis S. Nicolai papæ. Hanc ab ipso Photio fuisse conscriptam omnino verisimile est. Cf. Hergenröther, *op. cit.*, t. I, p. 407.

2. « Nam et adversus reverentiam tuam inter cætera hanc unam calumniarum in te allatarum quasi accusationem texuerunt æmuli tui, opinantes videlicet : tanquam in contemptum reverendæ mentionis papæ Benedicti erectus, in contumeliam illius, nec epistolam ejus suscipere, dicti Dioscori more, consenseris ». Hadriani II *epist. ad Ignatium.* Hardouin, t. V, col. 796. Cf. Nicol. I *Epist. ad Michael. imper.*, *P. G.*, t. CXIX, col. 776 D : « quatenus perquiratur quamobrem Ignatius..... instituta antecessorum nostrorum sanctorumque Pontificum, Leonis videlicet papæ atque Benedicti, parvipendendo contempserit. » Cf. etiam Hardouin, t. V, col. 119 D et 129 D.

3. *Vita Nicolai I. P. L.*, t. CXIX, col. 757 C, ubi descriptio habetur munerum a missis imperialibus oblatorum.

4. *Jam vero si sententia nostra se ac fautores suos judicat obligatos, et idem cum eis posse absolvi* (agitur de Photio) : *hoc enim significare videmini, cum epistola nobis directa nos mutare voluntatem, consilium ac sententiam sæpius exhortamini. Epist. Nicolai ad Michael. imp.* (anno 866). *P. L., ibid.*, col. 1039 B.

*que suum spiritualem* illum appellat [1], cui obedire justum est atque pium :

« *Demonstrantes nos in omnibus obtemperare paternæ vestræ charitati, aperteque ostendentes non contentionis causa* hæc dicta esse, sed ad beatos Patres nostros justificandos, assensi sumus (συνευδοκήσαμεν), ut synodice promulgaretur ne posthac ad episcopatus sublimitatem confestim extollerentur qui e laicis vel monachis eligerentur, sed per sacros ex ordine gradus isti procederent... Id pro iis qui futuri sunt concedere et multorum judicio remittere nec Patribus contumeliam affert, nec cuiquam pœnam injustam ac ne quidem damnum irrogat. Quæ enim constituta sunt oportet custodire, *et patribus filios obtemperare justum ac pium est* [2]. »

Paucis interjectis, Photius ulterius progreditur, atque non solum dicit se ita erga papam affectum esse, ut quantum ad se spectet, tanto Patri (τηλικούτῳ πατρί) Illyrici fines restituere paratus sit [3], sed etiam romanorum Pontificum primatum non obscure profitetur his verbis :

« Verorum canonum custodiam probatus quilibet amplecti debet, multo magis autem quicumque divinæ Providentiæ dignatione res aliorum regunt; *ex quorum numero ii sane maxime ad hoc obligantur qui inter istos primas tenere sortiti sunt... Unde Vestra amabilis Beatitudo, de ecclesiastica disciplina in omnibus sollicita canonicæque rectitudinis tenax, non debet eos, qui sine commendatitiis litteris ad romanam Ecclesiam hinc proficiscuntur, temere ac fortuito recipere, nec hospitalitatis specie odii fraterni semina jaci sinere* [4]. »

1. ἐπιτιμήσεις τῆς ὑμῶν πατρικῆς ὁσιότητος. *P. G.*, t. CII, col. 596. — ἐπεὶ οὐδὲν κωλύει καὶ ἀδελφοῖς ἀδελφοὺς καὶ πατράσι τέκνα ἐν τῷ ἀληθεύειν παρρησιάζεσθαι. *Ibid.*

2. ἐν πᾶσι δὲ τὸ πειθήνιον τῇ πατρικῇ ὑμῶν ἐπιδεικνύντες ἀγάπῃ.... Δεῖ γὰρ τὰ τεθέντα φυλάσσειν, καὶ πατράσι τέκνα δίκαιόν τε καὶ ὅσιον πειθαρχεῖν. *Ibid.*, col. 609.

3. Col. 616 A.

4. Ἡ τῶν ἀληθῶν κανόνων φυλάκη σπουδαίῳ μὲν ἐποφείλεται παντί, πολὺ δὲ πλέον τοῖς ἀπευθύνειν τὰ τῶν ἄλλων ὑπὸ τῆς προνοίας ἠξιωμένοις, καὶ τούτων ἔτι μάλιστα, τοῖς ἐν αὐτοῖς τούτοις πρωτεύειν λαχοῦσιν. Finem hujus epistolæ Photii primus edidit Mai in sua *Bibliotheca nova*, t. IV, p. 50. Hic finis non legebatur in textu ab Anthimo Remnicii episcopo dissidenti in Valachia, anno 1706, evulgato. Forsan, hæc omissio non fuerit casualis! *P. G.*, *ibid.*, col. 616 C.

Ex contextu satis patet eos, qui primatum sortiti sunt, esse romanos Pontifices. Photius enim ostendere vult sanctum Nicolaum canones ecclesiasticos observare debere. Ut hoc probet, tres distinguit classes eorum, qui ad canonum observantiam tenentur : 1° simplices fideles; 2° pastores; 3° eos qui inter pastores primatum habent. Quamvis absolute loquendo, per eos qui inter pastores primatum tenent patriarchas intelligere possemus, attamen ex contextu necnon ex scribentis manifesto scopo hæc verba ad solos romanos episcopos restringi satis patet.

Circa idem tempus quo Photius hanc epistolam Nicolao papæ scribebat, duas alias ad Armenos misit ad Zachariam scilicet *catholikon* seu patriarcham et ad quemdam principem illius gentis, nomine Asutium [1]. In epistola ad Zachariam, quamvis miris laudibus efferat Constantinopolim, quam novam Jerusalem appellat [2], attamen dum concilia œcumenica recenset, *semper romanos Pontifices ante alios episcopos nominat*, dicitque Flavianum Constantinopolitanum, *jussu Leonis Romani*, Eutychen sacerdotio privasse [3]. In epistola autem ad Asutium, Sedes romana vocatur *sedes principalis* [4].

### III. — De Photio schismatico.

Postquam a sancto Nicolao papa solemni judicio condemnatus ac depositus fuit in concilio romano anni 863, Photius aperte rebellare cœpit contra romanam Ecclesiam, cujus primatum et verbo et opere impugnavit. Prima hujus aggressionis vestigia deprehendimus in illa epistola injuriis plena, sub nomine Michaelis imperatoris vulgata, sed ab ipso Photio reapse conscripta quæ, mense augusto, anno 865, a

1. Has epistolas a Photio conscriptas fuisse circa annum 861, 862 validis argumentis probat Hergenröther, *op. cit.*, t. I, p. 482 sq. In his vero quædam interpolata fuisse certum est, *ibid.*, p. 493, 494, præsertim *in epist. ad Zachariam*. Unde caute testimonia ex illis excerpta adhibere debemus.

2. *P. G.*, t. CII, col. 705, 706.

3. *Ibid.*, col. 711.

4. *Nam et principalis Roma, æque ac nos, quarto concilio, ut prioribus, honorem defert. Ibid.*, col. 715. Notandum est in his duabus epistolis vestigia doctrinæ de *pentarchia* dictæ deprehendi : *Quis credat quinque patriarchas ad eamdem falsam sententiam atque consilium potuisse divertere ?* Col. 711.

protospathario Michaele, Photii amico, Romam delata est. In hac, ut jam supra notavimus [1], doctrina de translatione primatus de Roma antiqua ad Novam exprimebatur, et argumentis positivis fulciebatur. Cæterum, multa ibi legebantur quæ contradictionem involvebant. Primatus romanus impetebatur quidem atque negabatur; verumtamen indirecte agnoscebatur, dum papa sententiam suam retractare jubebatur, minis terribilibus incassum adjectis [2].

Eodem anno, usurpator principi Bulgarorum Michaeli Bogori neoconverso longam scripsit pastoralem epistolam, in qua tacite primatum romanæ Sedis rejicere videtur. Dum enim breviter narrat historiam septem conciliorum œcumenicorum, episcopos Constantinopolitanos ante romanos Pontifices cum affectatione nominat [3]. Ut supra diximus, anno 861, ad patriarcham Armenorum Zachariam scribens, aliter omnino egerat, papasque ante omnes alios episcopos recitaverat. Item, circa idem tempus — hoc Russus B. N. Benechevitch nuper notum fecit [4] — Byzantini ad Bulgaros neophytos editionem specialem *Nomocanonis* XIV *titulorum* XCIII *que capitum* miserunt a Photio paratam, in qua verba quædam CXXX[ae] *novellæ* Justiniani mutabantur in detrimentum primatus romani. Loco enim verborum textus originalis, qui sic se habet :

« Καὶ διὰ τοῦτο θεσπίζομεν, κατὰ τοὺς αὐτῶν (id est, conciliorum œcumenicorum) ὅρους, τὸν ἁγιώτατον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πάπαν πρῶτον εἶναι πάντων τῶν ἱερέων, τὸν δὲ μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης δευτέραν τάξιν ἔχειν μετὰ τὸν ἅγιον

1. Vide supra, p. 109.

2. « Postremo, nisi correxerimus consilium nostrum, videlicet ut illud juxta consilium vestrum dirigamus, vel si non effecti similes vobis, sicut ipsi caput, ita nos quoque membra tradamus, interminationibus crebis deterrere nos et minitari, tanquam sitis patriæ et urbi nostræ ultimum exterminium illaturi. » *Epist. Nic. ad Mich. imper.* (anno 865), *loc. cit.*, col. 953.

3. *P. G.*, t. CII, col. 632, 641, 644, 647, 649.

4. B. N. Benechevitch, *Collectio canonica XIV titulorum a secundo dimidio sæculi VII usque ad annum 883* (russice). Petropoli, 1905. Cf. M. V. Zlatarski, *Lêtopis na bèlgarskata Akademiia na naoukitê*, I, *za godina 1911*, Sophiæ, 1914. Versio vetero-bulgarica Nomocanonis ad Bulgaros missi (circa an. 864-865), in cod. *227* bibliothecæ synodalis Mosquensis sub nomine *Kormtchaïa Ephremovskaïa* asservatur. Hic codex circa XI-XII sæc. transcriptus est.

ἀποστολικὸν θρόνον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης : *Et ideo decernimus, secundum eorum definitiones, sanctissimum senioris Romæ papam primum esse* omnium sacerdotum; beatissimum vero archiepiscopum Constantinopolis, Novæ Romæ, secundum locum habere post sanctam Apostolicam Sedem Senioris Romæ ;

In redactione photiana hæc tantum legebantur :

Καὶ διὰ τοῦτο θεσπίζομεν, κατὰ τοὺς αὐτῶν ὅρους, τὸν ἁγιώτατον καὶ μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης δευτέραν τάξιν ἔχειν μετὰ τὸν ἅγιον ἀποστολικὸν θρόνον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης : *Et ideo decernimus, secundum eorum definitiones, sanctissimum et beatissimum archiepiscopum Constantinopolis, Novæ Romæ, secundum locum habere post sanctam Apostolicam Sedem Senioris Romæ.*

Ergo schismaticus expunxerat verba : « Decernimus *sanctissimum Senioris Romæ papam esse primum omnium sacerdotum.* » Non tamen ita decretum imperiale mutare ausus fuerat, ut primus locus sedi Novæ Romæ assignaretur.

Post e Bulgaria expulsionem missionariorum byzantinorum, Photius palam se gessit, perinde ac si romano Pontifice superior fuisset, primatumque totius Ecclesiæ tenuisset. A legatis romanis ad fines imperii se conferentibus libellum fidei exegit. Initio anni 867, in quodam concilio provinciali, Romanos et Occidentales omnes condemnavit, erroris in fide circa processionem Spiritus Sancti eos insimulans iterationemque confirmationis neoconversis Bulgaris necnon quosdam alios usus illis exprobrans. Deinde, illam famosam encyclicam epistolam ad patriarchales thronos Orientis misit, in cujus initio hæc in laudem sedis Constantinopolitanæ ponebantur :

« Veluti ab excelso quodam et eminentiori loco, fontes fidei orthodoxæ regia urbs emittit, et purissimos pietatis latices in cunctos mundi terminos dividit, hominum ibi degentium animas, fluminum instar, dogmatibus irrigans [1]. »

In hac epistola, missionarios romanos, quos vocat ho-

1. ὥσπερ ἀπό τινος ὑψηλοῦ καὶ μετεώρου χώρου, τὰς τῆς ὀρθοδοξίας πηγὰς τῆς βασιλίδος ἀναδιδούσης, καὶ καθαρὰ τῆς εὐσεβείας τὰ νάματα εἰς τὰ τῆς. οἰκουμένης διαρρεούσης πέρατα, καὶ ποταμῶν δίκην ἀρδευούσης τοῖς δόγμασι τὰς ἐκεῖσε ψυχάς. *Ibid.*, col. 721 D.

mines exsecrandos *e tenebroso Occidente profectos* [1], conviciis insectabatur, invitabatque patriarchas Orientis aliosque episcopos, ut venirent ipsi vel legatos mitterent ad concilium œcumenicum futurum, quod non solum doctrinas ac usus Latinorum reprobaturum esset, verum etiam in ipsum papam Nicolaum sententiam laturum [2]. Revera quædam synodus, æstate anni 867, Constantinopoli congregata fuit, cujus tamen, ut supra diximus, œcumenicitas omnino fictitia fuit. In ea Photius Nicolaum deposuit atque excommunicavit, illosque qui cum eo communicarent, vel doctrinas ususque Latinorum retinerent, anathemate feriit.

* * *

Interim, multa conscripsit contra romanum primatum, ut ex Actis concilii Romani, anno 869, sub Hadriano II congregati, colligimus [3]. Photianorum argumentorum summam quamdam invenimus in libello jam memorato : *Ad eos qui dicunt Romam esse primam Sedem.* In hac opella, primo quidem probationes a Romanis allatas pro sedis Petri primatu sophistica argumentatione enervare conatur; deinde originem primatus Sedis romanæ suo modo explicat; tertio quædam positiva argumenta ex conciliis et historia ecclesiastica petita profert, quibus tum primatus Senioris Romæ impugnatur, tum Novæ præeminentia statuitur; quarto demum, facta quædam memorat, quæ propriæ apologiæ conducere videntur, dum plus minusve directe auctoritatem Apostolicæ Sedis deprimunt. Præcipua breviter referamus.

1. *Romanorum confutatio.* — Romani primatum suæ urbis supra Petrum Apostolorum principem imprimis fundant. Photius quidem non negat Coryphæum primum Ro-

1. ἐκ σκότους ἀναδύντες· τῆς γὰρ ἑσπερίου μοίρας ὑπῆρχον γεννήματα. *Ibid.*, col. 724 C. Altum contemptum erga Occidentales Photius in suis scriptis profitetur. Vide præsertim *epistolam ad Marcum monachum Siculum*, *P. G.*, t. CII, col. 888, et *Mystag. Spiritus Sancti*, § 78 et 81.

2. *Ibid.*, col. 736 sq. Photius invitat, exhortatur, non tamen jubere audet.

3. « Similiter de cæteris scripturis quæ, viris jam nomina is auctoribus (Photio scilicet et Michaele), contra eamdem Sedem tempore diverso sunt editæ, gerendum modis omnibus definimus. » Hardouin, *op. cit.*, t. V, col. 868.

mæ episcopum fuisse; at exinde, inquit, non sequitur romanam Sedem esse omnium primam :

« Si Roma, quod Coryphæum episcopum accepit, est prima, Antiochia potius habebit primatum. Etenim apostolus Petrus priusquam Romæ, Antiochæ fuit episcopus [1].

« Adhuc : Si propter Apostolorum principem, Roma prima est, æquitati multo magis consentaneum est Jerusalem præ Roma primas tenere propter eum qui, primus omnium, martyrii cursum consummavit [2].

« Adhuc : Si ex personarum qualitate primatus sedibus inest, quomodo non splendide supra omnes Jerusalem imperium obtinebit? Ipse enim et Petri et omnium nostrum conditor ac Dominus, primus et magnus Pontifex, omnis vitæ fons pontificalisque dignitatis, ibi et natus et commoratus est, et seipsum pro mundi salute sacrificavit [3].

« Adhuc : Si propter Coryphæum Roma quærit principatum, propter Andream, protoclitum et natu majorem fratrem, Byzantium prima sedes. Etenim non paucis annis prius Byzantii episcopatum præoccupavit sanctus [Andreas], quam ejus frater Romanorum episcopus esset [4]. »

Deinde sophista noster verba Christi : *Tu es Petrus*, etc., dicta esse negat de sola Petri persona vel de romana Ecclesia, sed illa refert ad universam Ecclesiam et ad petram confessionis rectæ fidei. Ecclesia fundatur non supra Petrum, sed supra doctrinam Apostolorum [5].

Ad probandum argumento historico Romam esse primam sedem, Romani ad canones concilii Sardicensis provocant, quibus jus recipiendi appellationes ex omnibus Ecclesiæ universæ partibus Apostolicæ Sedi adscribitur. Photius hujus

1. Εἰ ἡ Ῥώμη, ὅτι ἐδέξατο τὸν Κορυφαῖον ἐπίσκοπον, πρώτη, ἡ Ἀντιόχεια μᾶλλον ἕξει τὸ πρωτεῖον· καὶ γὰρ καὶ πρὸ τῆς Ῥώμης ὁ ἀπόστολος Πέτρος ἐπεσκόπησεν ἐν Ἀντιοχείᾳ.

2. Ἔτι, εἰ διὰ τὸν Κορυφαῖον, κτλ...., καὶ διὰ τὸν μαρτυρικὸν πρώτως τελειώσαντα δρόμον, πολλῷ δικαιότερον τὰ Ἱεροσόλυμα τῆς Ῥώμης πρωτεύειν.

3. Ἔτι, εἰ ἀπὸ τῆς τῶν προσώπων ποιότητος τὸ πρωτεύειν τοῖς θρόνοις περίεστι, πῶς οὐ λαμπρῶς κατὰ πάντων τὰ Ἱεροσόλυμα τὸ κράτος ἕξει; Αὐτὸς γὰρ ὁ καὶ Πέτρου καὶ ἡμῶν ἁπάντων κοινὸς πλάστης καὶ δεσπότης.... ἐν αὐτοῖς καὶ τὴν γέννησιν (sic) καὶ τὴν διατριβὴν ἔσχε.

4. Hunc locum, jam supra, p. 123, n. 2, transcripsimus.

5. Vide supra, p. 123, 124.

concilii auctoritatem vehementer impugnat, sequentesque rationes contra illud urget :

1° Hæc synodus non fuit œcumenica, sed particularis et localis. Ejus decreta abrogata fuere a concilio secundo œcumenico, quod præsuli Constantinopolitano, potius quam Romano, aliorum judicia examinanda commisit [1].

2° Cæterum, Hosius, legatus Ecclesiæ romanæ, huic plus æquo favit. Præsul Constantinopolitanus, qui hæresi addictus erat, non ibi aderat ad tutanda urbis imperialis jura. Insuper, hæc synodus nullius facienda est, cum synodorum præcedentium, præsertim vero synodi Nicænæ primæ, statutis deroget.

3° Idem Hosius, qui synodo præfuit, postea in Arianismum lapsus est, dum ad depositionem Athanasii consensit, propriæque subscriptioni ac sententiæ, quam Sardicæ profiteri visus est, contraria fecit [2].

4° Hoc concilium ignominiam sibi paravit, Marcellum Ancyranum aliosque hæreticos absolvendo, quamvis ex ignorantia causæ id egerit [3].

5° Præterea inter episcopos ibi congregatos schisma ortum est, ita ut se invicem anathematizaverint;

6° Concilium Carthaginense [vicesimum, anno 424 habitum] synodum Sardicensem ignorat, canonibusque Nicænis innixum Cælestino papæ scribit, postulans ne deinceps romanus Pontifex aliorum sententias recognoscat, nullo canone existente qui hoc jubeat [4].

1. αὕτη γὰρ τῷ Κωνσταντινουπόλεως ἀρχιερεῖ μᾶλλον τὰς ἑτέρων κρίσεις ἐξετάζειν ἀπένειμε. Ad canonem 3 concilii secundi alludit.

2. ἐναντία τῇ τε οἰκείᾳ χειρογραφίᾳ, καὶ τῇ γνώμῃ, ἣν ἔχειν ἐν Σαρδικῇ ἐγνωρίζετο, διαπραξάμενος. Perpendis argumentum : Hosius, post concilium Sardicense, peccavit. Ergo concilium cui præfuit nihil valet!

3. εἰ καὶ τῆς ἀκριβείας ἀγνοίᾳ.

4. μηκέτι τολμᾶν τὸν ἀρχιερέα Ῥώμης τὰς ἑτέρων ἀναψηλαφᾶν ψήφους, ὡς μηδενὸς κανόνος τοῦτο κελεύοντος. Photius errat, dum scribit concilium Carthaginense, quod Cælestino papæ talia scripsit, congregatum fuisse duodecimo anno post synodum sardicensem. Agebatur de causa Apiarii presbyteri, qui a suo episcopo depositus, ad Apostolicam Sedem appellaverat. Verum est Africanos episcopos aliquamdiu papæ restitisse, et noluisse suos subditos de eorum sententia ad papam appellare. Cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des conciles*, t. II, p. 196, 214. Batiffol, *Le catholicisme de saint Augustin*, t. II.

7° Demum, synodus Benethalis (ἐν Βενεθάλοις) [1] congregata, concilii primi [Nicæni] canones sequens, decrevit episcopos romano Pontifici subjectos illius sententiis synodalibus teneri; episcopos vero ditionis Alexandrinæ proprii archiepiscopi statutis obsequi debere; et similiter alios quoad proprium superiorem.

2. *Primatus romani origo.* — Argumentis Romanorum pro suæ Ecclesiæ primatu hoc pacto confutatis, Photius huic primatui originem omnino profanam assignat : Aurelianus imperator, inquit, romanæ Sedi præeminentiam tribuit, dum episcopos Italiæ et episcopum romanum arbitros constituit in causa Pauli Samosateni, qui a concilio Antiocheno, anno 268, depositus ut hæreticus, domum quamdam Ecclesiæ Antiochenæ propriam pertinaciter retinebat. Ab orthodoxis rogatus, Aurelianus, — idem ille qui postea christianos persecutus est — decrevit domum esse eorum, quibus episcopus romanus et ceteri Italiæ episcopi faverint [2]. En, si Photio credas, privilegiorum romanorum putridum fundamentum, « *ex quo novissimus locus Romæ vix obveniet, si quidem Gentilium suffragium in Ecclesia Dei omnino inconveniens est ac turpe* [3]. Cæterum, subjicit ille, *quomodo Christi discipuli et veri nominis christiani, maximeque sacerdotes, de primatu contendere possint?* Tum illud : *Qui voluerit inter vos primus esse, sit vester minister*, ubinam collocabimus [4] ? »

3. *Argumenta positiva contra romanum primatum.* — His

1. *Benethalæ* (hodie *Deîr Beantâl*) est urbs ad meridiem Emesæ sita, in ditione patriarchatus Antiochiæ. Synodus de qua loquitur Photius in collectionibus conciliorum non occurrit.

2. Hoc factum narrat Eusebius in sua *Historia ecclesiastica*, lib. VII, cap. xxx, 18.

3. τὸν ἔσχατον βαθμὸν μόλις αὐτῇ συγχωρήσει, εἴπερ Ἑλλήνων ψῆφος ἐν Ἐκκλησίᾳ Θεοῦ παντελῶς ἄτοπος. Recordare Summos Pontifices non una vice præsulibus Constantinopolitanis exprobrasse eorum privilegia ecclesiastica favore principum extorta. Photius eodem telo romanam Ecclesiam conficere miserabiliter tentat. Cf. Nicolai I *Responsa ad consulta Bulgarorum : Sed solum, quia Constantinopolis Nova Roma dicta est, favore principum potiusquam ratione, patriarcha ejus Pontifex appellatus est. P. L.*, cxix, col. 1012 B. Cf. *Epistola ad Michaelem imperatorem. Ibid.*, col. 949 A.

4. τὸ δέ· Ὅστις θέλει ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος, ἔστω ὑμῶν διάκονος, ποῦ θήσομεν; Hic Photium humilitatis magistrum audimus!

non contentus, Photius quorumdam conciliorum œcumenicorum decreta profert, quædamque facta historica, quæ romanæ Sedis primatui detrahere, Constantinopolitanæ vero Ecclesiæ præeminentiam adscribere videntur. Sic primum concilium definivit uniuscujusque provinciæ propria jura servari, neminem ultra suos fines se extendere, neque invadere aliena [1].

Secundum concilium ideo Romam præeminere pronuntiavit, quia imperio insignita est, non vero propter coryphæos Petrum et Paulum; similiter et Constantinopolim, ut imperio honoratam, æqualia privilegia post illam habere decrevit [2].

Quartum concilium hæc confirmavit [3], et quintum Constantinopolim omnibus sedibus anteponit, quippe quod Vigilium præsidere non permiserit; unde et tumultuationes contra Menam concitatæ sunt, et puerilem luit pœnam Vigilius [4].

« Adhuc et ante Vigilium, Joannes, Romæ episcopus, Constantinopolim adveniens, nullo modo de primatu liti-

1. μηδὲ τὰς ἀλλοτρίας ὑποσπᾶν τε καὶ ἑαυτῶν ποιεῖσθαι διοικήσεις.

2. Ἡ δὲ δευτέρα σύνοδος, διὰ τὸ βασιλείᾳ τὴν Ῥώμην λαμπρυνθῆναι, προὔχειν ἀποφηναμένη, οὐ διὰ τοὺς κορυφαίους Πέτρον καὶ Παῦλον· ὁμοίως καὶ τὴν Κωνσταντινούπολιν, ὡς βασιλείᾳ τιμηθεῖσαν, τὰ ἴσα μετ' ἐκείνην ἔχειν προνόμια ἐψηφίσατο.

3. In editione Atheniensi desunt verba hæc : ἐπεκύρωσε ταῦτα. Hergenröther, *op. cit.*, t. I, p. 662; III, p. 172, nota 14, bene animadvertit hæc verba supplenda esse, ut ex contextu patet.

4. καὶ ποινὴν παιδικὴν ὁ Βιγίλιος ἔτισεν. Photius suo modo facta narrat. Vigilius concilio quinto interesse recusavit. Huic concilio utique præfuisset, ut patet ex historicis documentis et præsertim ex epistola Eutychii, Constantinopolitani patriarchæ, ad ipsum Vigilium, Hardouin, t. III, col. 62, si adesse consensisset. Dicebat enim Eutychius : « Necessarium est conferri de tribus capitulis, unde quibusdam quæstio nata est. Et ideo petimus, *præsidente nobis Vestra Beatitudine*, sub tranquillitate et sacerdotali mansuetudine, sanctis propositis Evangeliis, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri et conferri. » Cæterum in hac tota quæstione intricatissima de tribus capitulis, quamvis non una vice Vigilius sententiam mutaverit, attamen invicto animo Apostolicæ Sedis jura tuitus est, et in omnibus documentis, quæ de hac re ad nos pervenerunt, præclara adsunt testimonia de primatu romani Pontificis. Unde ea quæ dicit Photius omnino falsa apparent. Nota insuper Menam fuisse mortuum, quando concilium quintum congregatum est.

gavit — imperabat tunc Justinianus —, sed sacerdotalem vestem, ut mos est Constantinopolitanis, circumducens, ad sinistram illius, qui tunc temporis patriarcha erat, Epiphanii scilicet, sedere nullo pacto hæsitavit [1].

« Item et ante Joannem, eodem imperante, perillustris Agapitus Constantinopolim petivit, et ibi vitam finivit [2]. »

4. *Facta historica romanæ Sedis auctoritatem in obscuro ponentia Photioque usurpatori specie faventia.* — 1° Sæpe Romani antistites, addit Photius, dum Dei pontifices irrationabiliter molestia afficere tentarunt, his aut parum aut nihil nocuerunt, seipsos vero magna confusione circumfuderunt. Sic Flavianus Antiochenus Romanorum irrationabilem inimicitiam in amicitiam convertit [3].

1. Tota hæc narratio mera fabula est. Joannes papa, vere anni 526, Constantinopolim se contulit, a Theodorico rege ariano missus pro quibusdam negotiis cum imperatore Justino tractandis. Agebatur præcipue de quibusdam ecclesiis, quas imperator byzantinus Arianis Constantinopolitanis violenter abstulerat. Ad majora mala vitanda, papa pro restitutione harum ecclesiarum hæreticis facienda legatione fungi coactus est apud imperatorem. Justinus miro honore, ait chronographus Marcellinus, romanum Pontificem suscepit : Illi enim, ut alius historicus refert (Anonymus Valesianus) ita occurrit ac si beato Petro. Patriarcha Epiphanius ipse papæ cessit. Scribit enim Marcellinus : *Joannes dexter dextrum ecclesiæ insedit solium, diemque Domini nostri Resurrectionis plena voce romanis precibus celebravit.* Postea pseudo-Dorotheus quidam narravit Joannem et Epiphanium de præcedentia inter se litigasse, et papam primum locum obtinuisse, quia successor erat principis Apostolorum. Hæc, quamquam falsa, dictis photianis aperte contradicunt. Cf. de hac quæstione L. Duchesne, *La réaction chalcédonienne sous l'empereur Justin*, in *Mélanges d'archéologie et d'histoire*, t. XXXII, p. 360-363.

2. Errat etiam Photius hoc loco. Agapitus enim Constantinopolim venit post Joannem, anno scilicet 536. Theodatus, Gothorum rex, illum ad Justinianum legaverat pro rebus politicis tractandis. Dum autem Constantinopoli degeret, papa occasionem habuit primatum romanæ Sedis manifestandi. Cum enim Anthimus patriarcha Constantinopolitanus monophysismo faveret, Agapitus cum eo communicare renuit, moxque illum deposuit et in ejus locum Menam suffectum ipse consecravit. Unde nescio cur Photius noster hanc Agapiti in urbe regia commorationem memoret in detrimentum Romani primatus. Forsan aliquod subjectionis signum erga sedem Novæ Romæ detegit in eo solo quod papa Constantinopolim perigrinatus fuerit.

3. Agitur de Flaviano, qui Antiochenam Ecclesiam regebat tempore S. Joannis Chrysostomi. Post mortem Evagrii, interveniente S. Joanne

Romani Euphemium et Macedonium secundum nomine non agnoverunt, et tamen horum memoria per omnem Ecclesiam celebratur, propter gloriosa certamina [1].

Protectio Innocentii papæ I sancto Joanni Chrysostomo nihil profuit, dum Atticus illius nomen, reluctante Alexandrino præsule, in sacra diptycha restituit; unusquisque enim, ad propriam sedem quod spectat, aliis prævalet [2].

2° Multi episcopi byzantini suos prædecessores deposuerunt : ut Nectarius Maximum, Menas Anthimum Trapezuntium [3]; patriarchæ etiam patriarchas alterius sedis depo-

Chrysostomo ad Constantinopolitanam Ecclesiam nuper electo, Flavianus a romano Pontifice tanquam legitimus præsul Antiochiæ agnitus est (anno 398).

1. Hi duo patriarchæ byzantini ideo extra romanæ Ecclesiæ communionem remanserunt, quia nomen Acacii schismatici e diptychis expungere noluerunt, quamvis definitioni concilii Chalcedonensis de duabus in Christo naturis addicti essent. Circumstantiæ quædam difficiles quadamtenus minuunt eorum culpam, quamquam non omnino excusant. Cæterum notandum est illos expresse agnovisse primatum romanæ Sedis, et in exsilio propter fidem Chalcedonensem mortuos esse. Verum est quod dicit Photius, eos nempe ut sanctos coli in Ecclesia orientali. Vide Hergenröther, *Photius*, t. I, p. 126-139. Cum imperator Anastasius cogere vellet Macedonium ad anathematizandam synodum Chalcedonensem, ille respondit se id exsequi non posse citra universalem synodum, cui primus assideret romanus episcopus : ὁ δὲ Μακεδόνιος χωρὶς οἰκουμενικῆς συνόδου ἐχούσης πρόεδρον τὸν Ῥώμης ἐπίσκοπον ἀδύνατον ἔλεγεν τοῦτο ποιῆσαι. Theophanes, *Chronographia*, anno 502. *P. G.*, t. CVIII, col. 360 A. Photius bene cavet ne dicat nomina Acacii, Fravitæ, Euphemii ac Macedonii e diptychis Constantinopolitanis erasa fuisse jussu legatorum Hormisdæ papæ, anno 519, quando schismati acaciano finis impositus est, et primatus infallibilitasque romanæ Sedis ab episcopis orientalibus, qui libello Hormisdæ subscripserunt, solenniter agnita fuere. Nota hæc exempla afferri a Photio ad contradicendun dictis Nicolai papæ in epistola quam scripsit ad Michaelem imperatorem : *aut nunquam omnino, aut certe vix Constantinopolitanorum præsulum aliquis sine consensu romani Pontificis reperitur ejectus qui tamen hactenus inter depositos annumeretur, et non ab hæreticis, vel tyrannis pulsus aut interemptus commemoretur. P. L.*, t. XCIX, col. 943.

2. Ut patet, Photius intendit auctoritatem romani Pontificis deprimere et obscurare in causa S. Joannis Chrysostomi; quam causam Ignatius in conciliabulo anni 861 memoraverat, ut scimus ex libello Theognosti monachi. *P. G.*, t. CV, p. 860 B.

3. Non Menas, sed Agapitus papa Anthimum deposuit, ut jam notavimus.

suerunt; v. g., Anatolius suum promotorem et consecratorem Dioscorum deposuit [1].

3° Non desunt in historia ecclesiastica exempla unius ejusdemque sedis a duobus episcopis eodem tempore occupatæ, quorum unus, etiam injuste depositus, alterum habuit successorem; et tamen ab Ecclesia ambo suscipiuntur et honorantur. Sic Maximus Hierosolymitanus depositus fuit ab Arianis, qui in ejus locum elegerunt Cyrillum, tunc de hæresi suspectum. Postea vero Cyrillus, ab Acacio Cæsariensi ut orthodoxus agnitus, ab hæreticis depositus fuit. Ecclesia autem Maximum simul et Cyrillum pari honore prosequitur. Item Meletius et Eustathius Antiocheni ut hujus civitatis episcopi honorantur et celebrantur. Ita etiam Elias Hierosolymitanus (494-513) et ejus successor ab hæreticis promotus, videlicet Joannes III (513-521), post depositionem Eliæ electus. Ita Euthymius(?) [Euphemius] et ejus successor Macedonius II Constantinopolitani; Eutychius (552-565 et 577-582) et Joannes III (565-577) Constanttinopolitani. Item Anastasius et Gregorius Antiocheni sub Justino II imperatore (565-578), quorum prior, a Justiniano depositus, alterum habuerat successorem; post cujus mortem, Anastasius iterum sedem recepit; utrumque autem Ecclesia suscipit [2].

Hæc exempla sollerter congessit. Photius ad texendam propriam apologiam in causa Ignatii, et ad carpendam indirecte Nicolai papæ severitatem contra suam promotionem. Verum sophista obliviscitur facta contra legen patrata ipsam legem non delere. Non enim de facto ad jus valet consecutio. Ceterum exempla in medium prolata nonnisi remotam similitudinem cum casu photiano præ se ferunt. Sed de isto libello satis.

*
* *

In concilio œcumenico octavo, Photius et sui asseclæ

1. Dioscorus non ab Anatolio, sed a concilio Chalcedonensi depositus et excommunicatus est, quia, ut ipse Anatolius fassus est, in romanum Pontificem sententiam ferre ausus fuerat.

2. καὶ ἑκάτερον αὐτῶν ἡ Ἐκκλησία ἀποδέχεται. Hic desinit libellus photianus contra primatum romanum. Quæ sequuntur in collectione Atheniensi circa jejunium sabbati, rasuram barbæ, etc., ad Photium, non pertinent.

in apertam rebellionem devenerunt non solum contra romanum Pontificem, verum etiam contra omnes patriarchas simul, doctrinamque hanc protulerunt sane miram, canones scilicet esse supra omnes patriarchas [1]. Insuper quædam exempla historica causæ photianæ plus minusve similia pro sua defensione prætenderunt [2], quemadmodum Photius in suis apologiis jam antea fecerat.

1. In sessione sexta. Basilio imperatori dicenti : *protectione Dei quinque patriarchia orbis terrarum recte sentire, et ideo necessario accipienda esse ab omnibus eorum decreta.* Zacharias Chalcedonensis, unus ex Photianis, respondit : *Et papæ Nicolai et ceterorum patriarcharum canon princeps est.* [In græco : οἱ κανόνες ἄρχουσι καὶ τῶν πατριαρχῶν. Εἰ γοῦν ἔξω τῶν κανόνων ποιοῦσιν, οὐ στοιχοῦμεν αὐτοῖς] : et secundum illum agentes, nil faciunt extra id quod docent. Cum vero extra hunc faciunt, sive papa Nicolaus, sive alius quis, non acquiescemus. Etenim Marcellum Ancyranum Julius Romanus suscepit, et Sardicensis synodus trecentos episcopos habens justificavit eum : sed usque in præsens ut hæreticus anathemati submittitur. Et lugendum Apiarium justificatum a romanis præsulibus Africana synodus non justificavit, sed repulit, mittens [scilicet ad romanum Pontificem], ut propria curaret, et extra fines suos non excederet ; et alia dena millia paradigmata habemus hujusmodi : Et nunc, si quidem facta sunt hæc a Nicolao cum canone, sequimur et convenimus, et roboramus, et contraria illis non sapimus : si vero facta sunt extra canonem, non nos illa vituperamus, aut projicimus, sed canon. Hardouin, t. v, col. 829, 1057. In sessione septima, Photius legatos romanos et orientales recusavit, dicens : *Imperatori nostro sancto, non autem vicariis, rationem præbemus,* et addidit legatos, pœnitentiam agere debere, non vero judicum locum usurpare *Ibid.*, col. 839. In eadem sessione, patricio Bahani declaranti : « Hodie quatuor patriarchia, immo vero quinque, condemnatione condemnant vos : Quis vobis videtur ad hæc? » Photiani episcopi responderunt : *Canones sanctorum Apostolorum et sanctorum conciliorum. Ibid*, col. 841. Ergo juxta Photianos, suprema auctoritas in Ecclesia est canon, sicut juxta Protestantes est sacra Scriptura. Bahanes bene illos redarguit his verbis : « Dicite qui canon vos adjuvet, et ubi posuerit Dominus canones : in Ecclesiis suis an in aliquo alio loco? Et ubi Ecclesiæ sint hodie, et ubi prædicetur Evangelium, estne alius locus præter quem tenent sanctissimi isti vicarii? Dicite. » *Ibid.*

2. Lege totam disputationem, quæ in sessione sexta inter photianum Zachariam Chalcedonensem et ignatianum Metrophanem Smyrnensem habita est. Zacharias Photii partes tuitus est, magistri argumentis utendo : « Duobus conatibus quibus utitur Nicolaus contra patriarcham qui consecravit nos, reor neminem dumtaxat promotum posse damnari. Nam in eo quod dicit non debuisse hunc ex laicis provehi, consecrantes quidem cautos reddit, consecratum autem non damnat ; *et consuetudo canonem illum exsuperavit.* Etenim Tarasius ita consecratus

### IV. — Photii ultima agendi ratio erga romanam Sedem.

Per totum sui primi exsilii tempus, Photius in sua contumacia perseveravit. Statim vero ac sedem patriarchalem, favore imperatoris, denuo recepit, spesque ei illuxit approbationem Joannis papæ VIII obtinendi, suos pristinos libellos contra romanum primatum oblivioni dare visus est, et sine mora per hominem sibi addictissimum, Theodorum scilicet Santabarenum, ad papam misit epistolam versutia plenam adulationibusque refertam, in qua dicebat se ad acceptandam sedem patriarchalem coactum fuisse quum a principibus tum a clero omnique populo, omnes fere episcopos suis partibus adhærere, illumque ut patriarcham legitimum suscipere. De hoc uno tantum ficta ingenuitate querebatur, quod legati Apostolicæ Sedis, Paulus scilicet Anconiensis et Eugenius Ostiensis, cum eo consecrare et communicare renuissent[1]. Insuper curavit, ut tum imperator

est, et Nicephorus, et Nectarius, et Ambrosius Mediolanensis, atque alii mille. Si ergo sunt illi obnoxii, est et hic; quod si illi innoxii, et iste utique. Quod autem dicitur, quia a depositis est promotus, primum non opinamur hoc verum esse; neque enim pro criminibus isti depositi sunt, sed pro eo quod restiterunt Ecclesiæ: uniti autem rursus et apostasiam illam reprobantes, suscipiendi consistunt. At vero, etsi Gregorius depositus est, qui eum consecravit, non est Photius obnoxius, sed ii qui eum promoverunt obnoxii comprobantur. Verumtamen licet sit Gregorius depositus, possunt et promoventes eum nullas pœnas hic perpeti. Etenim Flavianus deposuit Eutychen, et Anatolius suscepit eum. Et episcopi qui quartam synodum fecerunt, comministrum eum habuerunt; sed nequaquam damnati sunt. Sed et Petrus Mongus depositus est a Proterio, quod esset hæreticus... et post Timotheum factus est patriarcha, sed nullus eorum qui ab eo consecrati sunt damnatus est, etc. » Quibus Metrophanes respondet casum Photii esse omnino dissimilem casibus allatis; ea, quæ raro fiunt et præter legem, positas leges non subvertere; leges sancire tam ecclesiasticas quam civiles omnem qui elegerit aliquem judicem, modis omnibus sequi ac obedire præceptis ejus, et nequaquam refutare penitus ac repellere prolatas ab eo et depromptas definitiones et leges. « Cum itaque pars vestra petierit et proposuerit judicem beatissimum papam Nicolaum, quomodo vos extra positas Ecclesiæ ac Reipublicæ leges ac regulas eum redarguere ac judicare præsumpsistis, asserentes non secundum canonem egisse. » Hardouin, t. v, col. 829-834.

1. Hæc Photii epistola ad Joannem papam deperiit; at ejus summam tum ex responsione Joannis, tum ex Niceta colligere possumus. Vide responsionem Joannis apud Hardouin, t. vi, col. 73, 74. Nicetas hæc

tum clerici Constantinopolitani aliique Orientales præsules romano Pontifici in ipsius gratiam scriberent, ad obtinendam Apostolicæ Sedis approbationem et communionem [1]. Poteratne ille apertius palinodiam canere, et hac sua nova agendi ratione actis atque scriptis contra romanum primatum prius intentis clarius contradicere?

In sua ad papam epistola, imperator Basilius rogabat, ut legati Apostolicæ Sedis mitterentur ad synodum, quam pro pace Ecclesiarum restauranda Constantinopoli se congregaturum affirmabat. Ejus votis annuens, Summus Pontifex Petrum cardinalem presbyterum legavit; cui adjunxit Paulum Anconiensem et Eugenium Ostiensem, qui jam

habet : « per quem [Theodorum Santabarenum] scripsit se per vim a tota Ecclesia totaque republica coactum sedem denuo perinvitum consedisse. Atque, ut mendacium in epistola scriptum stabiliret, per Petrum a secretis, qui postea ut præmium suorum fictorum sedem obtinuit Sardicensem, omnium metropolitarum sigilla furatur(?); qui, decepti et rei inscii, libello subscripserunt, arcana emptione ab ipso Petro prætexta. » Hardouin, t. v, col. 1008.

1. Epistolas tum imperatoris tum clericorum et præsulum orientalium nonnisi per responsa papæ novimus. Hæc scribit Joannes ad imperatores Basilium, Constantinum et Alexandrum. « Igitur petistis a nobis, quatenus, Sede Apostolica suæ pandente viscera pietatis, Photium reverentissimum in patriarchatus honore, in summi sacerdotii dignitate et in ecclesiastici collegii societate reciperemus, nostræque communionis participem faceremus; ne Ecclesiam Dei tanto jam tempore perturbatam pateremur amplius manere divisam scandaloque commotam. Nos itaque Serenitatis Vestræ preces congrua ratione admittentes, quia Ignatium piæ memoriæ patriarcham de præsenti vita jam migrasse cognoscimus, temporis ratione perspecta, hoc modo decernimus ad veniam pertinere, quod nuper de ipso Photio, licet ipse absque consultu Sedis nostræ officium sibi interdictum usurpaverit, gestum constat fuisse. » Hardouin, t. vi, col. 64. In epistola autem ad clericos Constantinopolitanos aliosque Orientales, papa hæc addit : Quorundam sane vestrum, fratres carissimi, scripta suscipientes, unanimitatem atque consensum in parte Photii in eis plene reperimus : indeque obnixe optantes, ut quod particulariter hactenus, hoc canonice semper et generaliter, atque secundum ea, quæ sunt Christi Jesu... idipsum, ut non sit in vobis schisma, sapiatis quærere, pulsare et invenire... Quod vero sollicita intentione vestra petit dilectio, ut auctoritate beati apostoli principis Apostolorum Petri, vobis Photium patriarcham in regia urbe Constantinopolitana fore consentiamus, illud animo luce clarius retinetis, quod in Evangelio primo Pastori Dominus ait : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Ibid.*, col. 72.

urbem regiam petierant. Quemadmodum in conciliabulo anni 861 fecerat, eodem prorsus pacto Photius legatos romanos a recti via abduxit, suaque industria circumvenit ac decepit. In Actis conciliabuli, quod in templo Sanctæ Sophiæ, anno 879-880, congregatum est, primatus romanæ Sedis ex una quidem parte diserte affirmatur; ex alia vero in derisum vertitur atque aspernatur. Ibi audis tum vocem catholicam, tum vocem schismaticam. Hanc synodum pseudo-œcumenicam convocando, Photius unum tantam intendebat : nempe suum proprium triumphum contra omnes suos adversarios producere ac propalare. Quia autem romana Sedes, quæ inter omnes alias excellebat, et ut talis ab omnibus habebatur, illum prius condemnaverat, in conciliabulo ita omnia ab eo fuerunt disposita, ut clare appareret romanum Pontificem plenitudinem suæ potestatis pro Photii exaltatione et glorificatione exseruisse. Unde in Actis non pauca leguntur, quæ primatui romano directe suffragantur, imo mirum in modum illum extollunt. Sed cum superbus schismaticus ad ulciscendum pristinas condemnationes a romanis Pontificibus prolatas vehementer arderet, multa etiam Actis inseruit, quæ dignitati ac præeminentiæ Sedis Apostolicæ derogant, et in ejus irrisionem cedunt.

Utraque, quum ea quæ catholice sonant, tum quæ schisma redolent, in secunda adnotatione ad præsens caput referimus [1].

Schismatici agendi ratio post hanc synodum, quæ immerito apud Græcos hodiernos œcumenica audit, sic breviter describi potest :

1° Primo quidem, omnem movit lapidem, ut a Joanne VIII obtineret approbationem et confirmationem eorum, quæ acta in synodo fuerant; quo ut pertingeret, scripsit ipse ad Summum Pontificem epistolam, in qua se excusabat de non postulata venia coram concilio, prætexens nonnisi ab iniqua facientibus misericordiam esse quærendam [2].

1. Vide infra, p. 229-244.

2. Hæc Photii epistola ad Joannem papam deperdita est. Ejus tenorem ex parte scimus ex responsione Summi Pontificis ad ipsum Photium, cujus initium : *Hoc nostri semper certaminis*, apud Hardouin, VI, 87 : « Cum nos scriptis et verbis misericorditer tecum agendum esse decreverimus, *mirandum valde est cur multa, quæ nos statueramus, aut*

Insuper scripsit ad tres episcopos romanos, qui inter præcipuos papæ consiliarios eminebant : Zachariam scilicet

*aliter habita, aut mutata esse noscantur; et nescimus cujus studio vel neglectu variata monstrentur.* Ceterum, scribens subintulisti quod, te innuens, nonnisi ab iniqua gerentibus misericordia sit quærenda; quod et nos de his, qui Deum se scire non fantur, licet dispensatorie fatemur; *tamen nos quod lectum est exaggerare nolumus, ne quod dignum est judicare cogamur; ideoque talis excusatio sileat...* Igitur laudabilis tua prudentia, quæ dicitur humilitatem scire, non moleste ferat, quod ab Ecclesia Dei miserationem jussa est postulare; quin potius se, ut exaltetur, humiliet. » Papa autem his verbis concludit : « Ea, quæ pro causa tuæ restitutionis synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus. *Et si fortasse nostri legati in eadem synodo contra Apostolicam præceptionem egerunt, nos nec recepimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis.* » Ad omnia quæ in hac Joannis VIII epistola ad Photium inveniuntur animum certe non attendit E. Amann, dum in articulo *Jean VIII* (*Dictionnaire de théologie catholique*, t. VIII, col. 608) hæc scripsit : « La lettre de Jean VIII à Photius, Jaffé, n. 3322, loin d'exprimer un blâme quelconque est fort cordiale à l'endroit de Photius; elle accepte d'une manière catégorique ce qui a été fait à Constantinople : *ea quæ pro causa tuæ restitutionis synodali decreto misericorditer acta sunt recipimus.* La lettre de Photius se plaignait sans doute (elle n'est pas conservée) de certaines exigences des apocrisiaires, qui avaient déplu au susceptible patriarche... De ce que nos légats ont fait contrairement à nos instructions, reprend le pape, il n'y a pas à tenir compte. » Joannes VIII aperte queritur quod Photius veniam coram synodo non postulaverit, ut ipse suis litteris jusserat; verba autem : *quod lectum est exaggerare nolumus, ne quod dignum est judicare cogamur, ideoque talis excusatio sileat,* non sunt *fort cordiales,* sed, e contra, minarum plena. Item, quæ de suis legatis profert papa, non alludunt sane ad nimiam severitatem erga Photium, sed potius ad nimiam erga illum obsequentiam, ut patet tum ex fine epistolæ Joannis ad Basilium : « Nam et ea quæ pro causa restitutionis reverendissimi Photii patriarchæ *misericorditer* (huic *misericorditer* attendas velim) *acta sunt, recipimus. Et si fortasse nostri legati in eadem synodo contra Apostolicam præceptionem egerunt nos nec recipimus nec judicamus alicujus existere firmitatis* (Hardouin, VI, 89) », tum præsertim ex verbis supradictæ epistolæ ad Photium, quæ et legatos et Photium simul carpunt : « Cum nos scriptis et verbis misericorditer tecum agendum esse decreverimus, *mirandum valde est cur multa, quæ nos statueramus aut aliter habita, aut mutata esse noscantur, et nescimus cujus studio vel neglectu variata monstrentur.* » Hæc verba indubitanter alludunt ad falsationes litterarum apostolicarum intra synodum factas. Valde enim probabile est statim post synodum, Photium ad papam misisse aliquam translationem Actorum synodi ab ipsis legatis romanis paratam, in qua non omnia quidem interpolata occurrebant, sed ex ipsis quædam tantum, ea scilicet quæ tolerabiliora videbantur. Ex hoc fonte

Ananiensem[1], Gaudericum Velletrensem[2] et Marinum Cerensem[3], eo fine, ut eorum benevolentiam sibi conciliaret, illosque

Yvo Carnotensis et alii Latini pauca hæc excerpta synodi photianæ hauserint quæ suis scriptis inseruerunt. Si enim excerptum epistolæ Joannis ad imperatores ab Yvone Carnotensi relatum, Mansi, *op. cit.*, t. XVII, 527-530, cum textu a Photio interpolato, prout in Actis græcis legitur, conferas, differentiam magni momenti in hoc invenies, quod loco aperti mendacii in textu græco occurrentis : « Nemo, ut plerisque videtur imperitis ac rudibus, decessorum nostrorum beatorum pontificum, Nicolai, inquam, et Hadriani, decreta culpet; *neque enim ab ipsis suscepta sunt quæcumque fuerunt adversus sanctissimum Photium congesta* (συρευθέντα) », habetur simpliciter apud Yvonem : « *De ipso enim* (id est, Photio) *surreptum est illis.* » Quidquid sit de hac nostra hypothesi, certe rejiciendum est illud quod supponit Amann, *ibid.*, col. 606, 607, scilicet textus interpolatos, prout in Actis græcis nunc leguntur, repræsentare alteram et ultimam epistolarum Joannis VIII redactionem, Romæ, ante discessum legatorum byzantinorum et Petri legati romani ad synodum proficiscentium, jam paratam et ab ipso papa approbatam : « Avant de partir de Rome, les lettres pontificales, dont la minute avait déjà été transcrite au registre, auraient été communiquées à la légation byzantine. Celle-ci ne les trouvant pas assez favorables à la cause de l'union, y aurait suggéré des changements. C'est le texte ainsi modifié à Rome que représente la tradition des actes grecs du conciles, » col. 607. Hoc enim manifesto contradicit iis, quæ Joannes papa scripsit post synodum photianam. Cæterum, quæ in Actis græcis hujus synodi occurrunt aperta mendacia aliaque monstruosa indoli Summi Pontificis omnino repugnantia extra omnem controversiam arguunt manum falsarii byzantini. Nec quæ de istis scripsit Hergenröther, « *un pur roman* » audire merentur; Ipsa secunda legatio Marini apud Byzantinos post photianam synodum clare innuitur in epistola Stephani papæ V ad Basilium, Mansi, t. XVI, col. 423. Non enim usquam legitur Marinum incarceratum fuisse Constantinopoli per triginta dies, dum prima sua legatione fungeretur, tempore concilii œcumenici VIII.

1. Ille Zacharias conciliabulo anni 861 ut legatus Nicolai papæ interfuerat, et propter suam cum Photio collusionem, a papa depositus et excommunicatus fuerat. Ab Hadriano II absolutus et restitutus, Joannis VIII favorem sibi conciliaverat, et ab eo romanæ Ecclesiæ bibliothecarius creatus fuerat. Cf. *Acta synodi photianæ*, apud Hardouin, col. 258. Concilio romano anni 879, in quo de Photii restitutione actum est, subscripsit; et verisimile est illum, statim post hoc concilium, Photio scripsisse faustum nuntium. De Photii epistola ad ipsum vide Hergenröther, t. II, col. 556-558 :

2. Gaudericus infensus Photio fuerat sub Nicolao papa. Illi pro præterito veniam Photius offert, et pro præsenti suam cum muneribus amicitiam. Hergenröther, t. II, p. 555, 556.

3. Marinus, qui ut legatus Hadriani II concilio œcumenico interfuit,

ad propugnandam suam causam apud Joannem adduceret.

Ipso etiam instigante, et forsan dictante, Basilius imperator ad papam epistolam misit fallacibus promissis plenam, ut illum amice disponeret erga Photium ejusque synodum [1]. Ex his utique patet Photium approbationem romani Pontificis permagni fecisse illamque ardenter desiderasse, quin tamen conditiones ad illam certo obtinendam adimplere voluerit, eo quod ejus superbiam læderent.

2° A Joanne VIII[2], et ejus successore Marino (882-884) con-

et Photii condemnationi subscripsit, anno 870 simplex diaconus erat. Postea, episcopus Castellæ (juxta alios, Ceræ) creatus est. Illi etiam magno animo Photius suam amicitiam profitetur, injuriæ immemor; et in signum reconciliationis, ei offert particulam ligni sanctæ Crucis auro inclusam. Harum trium Photii epistolarum nonnisi excerpta possidemus in scripto Joannis Vecci sic inscripto : λόγος περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης τὸ τοῦ σκανδάλου ἀλόγιστον καὶ ἐκ μόνης ἱστορίας ἐπιδεικνύς. Hoc Joannis Vecci opus magna ex parte adhuc ineditum est. Hergenröther, t. II, 553-554. Incip. Ἦν ἂν μακάριον ἀληθῶς.

1. Epistola Basilii non amplius exstat, sed contentas in ea sententias notas habemus ex responsione papæ, data die 13 augusti, anno 880 : *Epistola : Post innumeras sollicitudines*, apud Hardouin t. VI, col. 88, 89 : « Nunc itaque pro tanta devotione, animique vestri sinceritate, quam non solum verbis, sed lucifluis etiam operibus circa Ecclesiam sancti Petri et nostram paternitatem ostendistis, immensas, post Deum, serenitati vestræ gratias agimus. Primo quidem, quod dromones vestros, qui pro defensione terræ sancti Petri in nostro manerent servitio, nobis misistis. Secundo autem, quod monasterium sancti Sergii intra vestram regiam urbem constitutum, quod sancta romana Ecclesia jure proprio quondam retinuit, divina inspiratione repleti, pro honore Principis Apostolorum nostro præsulatui reddidistis. Tertio vero, vobis grates multas referimus, quia Bulgarorum diœcesim pro amore nostro gratanti animo sancto Petro, ut justum erat, permiseritis habere. » Huic ultimo promisso, quod Joannem VIII maxime alliciebat, sincere stetisse Basilium dictu difficile est. Ex litteris Joannis papæ VIII ad Michaelem Bogorim, Bulgarorum, principem, post synodum photianam missis, patet Michaelem decretum Basilii de restitutione diœcesis Bulgarorum aut ignorasse aut neglexisse, byzantinosque prælatos apud se retinuisse, ita ut Papa illi tandem scripserit : « Si ab his quos excommunicatos habebamus sacramenta quæcumque suscipitis, constat quia idololatriam, non ut catholici essetis, sed ut schismatici efficeremini, dereliquisse videmini. » Hardouin, t. VI, col. 104. Cæterum amicitia Basilii cum romano Pontifice mox evanuit, ut constat ex epistola ipsius Basilii contra Marinum papam.

2. Postquam Joannes VIII omnem circa synodum comperit veritatem, Marinum Constantinopolim misit, ut ille contra jussa papæ in

demnatus, secretam inimicitiam in romanam Ecclesiam fovet, quin tamen audeat contra illam pristinum bellum renovare aperteque ejus præeminentiam impugnare vel negare. Contra ejus privilegia nonnisi indirecte et per modum subdolæ insinuationis in suis scriptis procedit; in praxi autem ita se gerit ac si ab auctoritate romani Pontificis omnino independens esset. Hanc auctoritatem palam spernit; huic se subjicere renuit, hac ratione, ut videtur, ductus, scilicet quod plures papæ in varios defectus et culpas inciderint.

Inter scripta, quæ post synodum Sanctæ Sophiæ concinnavit, hæc quatuor notanda sunt :

*a*) *Nomocanon*, seu legum civilium cum canonibus ecclesiasticis eis respondentibus collectio, in quatuordecim titulos distributa, quæ anno 883 edita est. Huic nomocanoni illa scholia seu commentaria eum annexuisse probabile est in quibus jus appellationis romanæ Sedi a canonibus Sardicensis synodi tributum ad occidentales Ecclesias arbitrario restringitur [1].

synodo actis reclamaret, et a Photio satisfactionem exigeret. Nihil autem Marinus profecit, sed postquam per triginta dies in carcere detentus fuit, Romam rediit. Tunc Joannes papa Photium anathematizavit, Hergenröther, p. 577, 578. Ad Petri cathedram, post Joannis mortem Marinus evectus, anathema contra Photium ipse renovavit. Quidam historici negant Joannem VIII, post synodum Sanctæ Sophiæ, Photio unquam anathema dixisse. Nos Hergenrötheri sententiam ut probabiliorem amplectimur.

1. Nomocanon quatuordecim titulorum jam ante Photium existebat. Photius autem illum de novo publicavit et auxit, anno 883. Vide ejus præfationem ad Nomocanonem apud Pitra, *Juris ecclesiastici Græcorum monumenta*, t. II, p. 448, 449. Concilio Sardicensi Photius semper infensus fuit. Cf. Hergenröther, t. I, p. 445, 663; II, 484, 561, 562; III, 117. Scholia ad Nomocanonem de quibus agitur, continentur in cod. Monacensi *122*, sæculo XII exarato. In fol. 78, canon quintus (alias, quartus) Sardicensis sic explicatur : « Ἐκ τούτου τοῦ κανόνος τὸ ῥωμαϊκὸν ἤρται εἰς ἀλαζόνειαν, καὶ τοῦτον, ὡς τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου, πάλαι προβαλλόμενοι, ὑπὸ τῆς ἐν Καρθαγένῃ συνόδου ἐάλωσαν κακοῦργοι οἱ τότε τῶν Ῥωμαίων προεδρεύοντες, ὡς αὐτὸ δηλοῖ τὸ συνοδικὸν προοίμιον τῆς ἐν Καρθάγένῃ (ad casum Apiarii hic alluditur). Πλὴν οὐδὲ οὗτος αὐτοῖς ὁ κανὼν πλέον τι χαρίζεται τῶν ἄλλων κανόνων, κἂν ἀλόγως τοῦτο δοκῶσιν... Πρόδηλον, ὅτι οὗτος περὶ μόνων τῶν ἐν τῇ δύσει ἐκπεφώνηται, διότι καὶ ὁ Ὅσιος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἐκθέμενοι τοὺς κανόνας ἐκ τῶν μερῶν ἐκείνων ἦσαν· ἐν γὰρ τῇ Ανατολῇ, οὐδαμῶς μέχρι τοῦ νῦν

*b*) Circa idem fere tempus, ut conjicit Hergenröther[1], opusculum composuit cui est titulus : *Photii patriarchæ conclusiones accuratæque demonstrationes de episcopis et metropolitis et de reliquis aliis necessariis quæstionibus ex synodicis et historicis monumentis excerptæ*[2]. Opella ista est apologia quædam historica photianæ contumaciæ in decem interrogationes totidemque responsiones disposita. Duæ primæ quæstiones ad hoc tendunt, ut romanæ Sedis dignitatem et auctoritatem enervent ac labefactent, quin tamen ejus primatum expressis verbis negent.

Prima interrogatio sic se habet :

*Quanam in re secus quam rationi consentaneum est, Romani egisse videantur?*

Cui sic respondetur :

« Sub Constantio, Liberius Romæ episcopus, ab exsilio reversus, fidei Antiochiæ expositæ subscripsit. Hic quidem, in confessione quadam fidei Basilio Ancyranensi, Eustathio Sebastensi ac Eleusio tradita, eos condemnavit qui Patri Filium per omnia similem esse negabant; attamen ab eorum communione non recessit[3]. Sed et Felix, in ejus locum suffectus sedemque una cum eo administrans, postquam hic ab exsilio rediit, ordinationem ab hæreticis accepit, et cum eis libere communionem servavit[4].

« Insuper, ea quæ Carthagine ab episcopis illic congregatis adversus eos (papas) gesta fuere, eorum animi imbecillitatem malosque simul mores et dominandi libidinem apte redarguunt[5]. Finxerunt enim ipsi canones, quemadmodum

συνήθεια τοιαύτη κεκράτηκε. » Hoc scholion ad Photium pertinere omnino verisimile est, sicut etiam aliud scholion ad canonem decimum ejusdem synodi de significatione vocis *neophyti*. » Cf. Hergenröther, t. III, p. 117-119. Cf. etiam scholion ad can. 3 Const. et 28 Chalced., p. 115, ubi præpositio μετὰ [τὴν Ῥώμην] de temporis successione, non de dignitatis inferioritate explicatur. Scholion circa primatus translationem, quod incipit : Δεῖ εἰδέναι ὡς.... est Photio antiquius. Cf. p. 62.

1. Hergenröther, t. II, p. 558 sq.

2. In *P. G.*, t. CIV, col. 1219-1232.

3. Verum non est Liberium cum Anomæis unquam communicasse. De prætenso lapsu Liberii disputandi hic locus non est.

4. Probari non potest Felicem communionem cum hæreticis retinuisse.

5. Difficile est definire ad quodnam factum alludat Photius. Forsitan causam Apiarii respicit.

et fecit postea alter Felix Romæ episcopus, qui Zenone imperante vivebat, ut aperte colligitur ex litteris ab eo scriptis ad Vitalium et Emesium episcopos, qui Constantinopolim missi fuerant adversus Acacium [1]. In ea enim epistola, canonem dicentem Romanæ urbis episcopum in unaquaque synodo supremam confirmandi potestatem habere Nicænæ synodi esse declaratur [2]. Sed et Honorius papa, monothelitarum amplexus hæresim, a pontificia dignitate et fidelium communione dejectus fuit [3]. Sardicensis quoque synodus, cui Hosius, Romani episcopi legatus, præfuit, hæreticum absolvit, Marcellum scilicet Ancyranum [4]. »

En omnia crimina a romanis Pontificibus patrata, quæ Photius, historiam ecclesiasticam perlustrando, detexit! Ceterum multa falsa narrationi photianæ irrepserunt.

Anno 866, Nicolaus papa ad Michaelem imperatorem hæc scripserat :

« Constat eos, qui semel a Sedis Apostolicæ præsulibus perculsi sunt, sententia illius hodieque constringi, ita ut eorum nonnullos quidem prolata contra se judicii tela prin-

1. Agitur de Felice III (483), qui Acacium excommunicavit. Epistola de qua loquitur Photius deperdita est.

2. τὸν κανόνα τὸν λέγοντα, τὸν Ῥώμης ἐπίσκοπον ἐν ἑκάστῃ συνόδῳ τὸ κῦρος ἔχειν, τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου εἶναι ἀποφαίνεται. *P. G.*, CIV, 1220 B. Hæc bene explicantur, ex eo quod, Romæ, canones Sardicenses in codicibus, statim post Nicænos, veniebant, nullo discrimine nullaque rubrica interposita; unde sæpe factum est, ut Romani Sardicenses canones sub nomine concilii Nicæni proferrent. Insuper, textus canonis sexti Nicæni in romanis codicibus a textu recepto differebat. Romani legebant initio, canonis, hæc verba : *Quod Ecclesia romana semper habuit primatum;* quæ non inveniuntur in textu græco. Cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des conciles*, t. I, p. 566-569. Vide etiam ea quæ dixit legatus Paschasinus in actione XVI[a] concilii Chalcedonensis. Hardouin, t. II, col. 637 B.

3. Honorius non fuit condemnatus ut hæreticus nisi post suum obitum. Sæpe in suis scriptis Photius de Honorio mentionem facit, v. g., in *epist. I ad Nicol. papam*, *P. G.*, t. CII, col. 593; in *epist. ad Michaelem Bulgariæ principem*, *ibid.*, col. 648 B; in cod. XIX *Bibliothecæ*, *P. G.*, t. CIII, col. 57B. Anastasius Bibliothecarius Honorium contra Græcorum impetus defendit in suis *Collectaneis de causa Honorii*, *P. L.*, t. CXXIX, col. 558 sq. Cf. Hergenröther, t. II, p. 560, 561.

4. Nihil inde contra romanam Ecclesiam trahi potest, ut bene ostendit Metrophanes Smyrnensis, in actione septima concilii VIII. Hardouin, col. V, 832. Marcellus enim sententiam mutavit.

cipum tegmine munitos non statim sauciaverint, quandoque tamen medullitus penetraverint; nonnullos autem, etiam post mortem susceptam, cunctis exsecrabiles omnino reddiderint. Quotquot autem in ipsa communione Sedes Apostolica tenuit, aut dum viverent, ab Ecclesia sunt universali recepti, aut postmodum ab ea summa celebritate retenti[1]. »

Ut huic Nicolai declarationi contradiceret, suam secundam interrogationem ac responsionem posuit Photius his verbis :

*Quot quosve legitimos patriarchas Romani non receperunt, nihilque ipsis nocuit eorum inconsiderata rejectio*[2] ?

*Responsio :* « Flavianum Antiochenum tres sibi ordine succedentes episcopi romanæ Sedis in communionem non receperunt, æque ac initio Alexandrinus Theophilus; deinde vero illorum tertius et Theophilus vix susceperunt. Hic ille Flavianus est qui sanctum archiepiscopum incomparabilem et divinum Chrysostomum ordinavit presbyterum. Præterea, romani Pontifices nec Fravitam recepere, nec sanctum Euphemium, nec Macedonium, eo quod Acacium e diptychis non ejecerint. Sed nec sanctæ Trinitati charum omnique sacerdotali virtute præditum Chrysostomum initio quidem susceperunt, dicentes illum non debuisse, Antiochia relicta, ad Constantinopolitanam sedem promoveri; deinde vero ejus tutelam gessere. Nescio vero an et Meletium Antiochenum susceperint; forsan illum aversati sunt propter Paulinum, quem Occidentales ordinaverant. Nam novi epistolam exstare magni Basilii ad Terentium comitem, in qua Occidentales ob aversum a Meletio animum exagitat, et quia de rebus minus recte judicarent. Verum forte Meletium, quod in secunda consederit synodo, non rejiciunt[3]. »

*c*) Circa annum 883-884, controversiam de processione Spiritus Sancti instauravit, longamque de hac quæstione epistolam ad archiepiscopum Aquileiensem misit, in qua tamen ab omni contra romanam Ecclesiam impugnatione se

1. *P. L.*, t. CXIX, col. 1033 B.

2. Πόσους καὶ ποίους οὐκ ἐδέξαντο οἱ Ῥωμαῖοι ὀρθῶς πατριάρχας, οὐδὲν δὲ ἡ ἀπερίσκεπτος αὐτῶν ἔβλαψεν αὐτοὺς ἀποστροφή; *Loc. cit.* col. 1221 A.

3. *Ibid.* Certum est romanos episcopos non excommunicasse Paulini Antiocheni æmulos, durante schismate Antiocheno. Cf. Cavallera, *Le schisme d'Antioche*, p. 229-231.

abstinet; imo ad ipsius romanæ Ecclesiæ auctoritatem non semel provocat, ut proprium dogma stabiliat ac tueatur. Utrum autem hoc ficte vel sincero animo fecerit, dicere difficile est [1].

*d*) Item, romanos antistites, inter quos Joannes VIII [2] et Hadrianus III [3] occurrunt, pro sua doctrina laudat in suo ultimo opere *De mystagogia Spiritus Sancti*. Leonem Magnum vocat *quartæ synodi columnam*, *Spiritus Sancti tubam* [4]. Papas appellat *Patres Patrum*, quorum auctoritas supra alios doctores eminet [5].

Ex his perspicuum est Photium auctoritatem romanæ Sedis deprimere, enervare, spernere, quoties illi adversatur; hanc vero eamdem laudare et ad eam provocare, quoties ipsi favere videtur.

Cæterum, hæ ad romanam Ecclesiam appellationes in quæstione de processione Spiritus Sancti non debent nobis fucum facere circa genuinum Photii animum erga romanum Pontificem. Hic enim schismatici animus aperte erupit,

1. *Epistola ad archiepiscopum Aquileiensem*, *P. G.*, t. CII, col. 793 sq., col. 800 B : « Cum igitur Ecclesia romana una cum aliis quatuor archiepiscopalibus sedibus eadem sentiat et confiteatur; et *in petra verborum Domini fundata sit atque firmata Ecclesia*, contra quam neque inferi portas, ora videlicet hæreticorum portis carentia, ullo pacto prævalere posse ipsamet declaravit Veritas, undenam et ex quibus nova hæc emersit adversus Spiritum blasphemia? » Cf. col. 817 A B. Ad col. 820 A B, iterum legimus : « Hæc cum ita se habeant, et Romana Ecclesia una cum aliis quatuor patriarchalibus sedibus eadem sentiat, eisque concors existat, quomodo qui Chamum æmulantur, Patrum suorum, ut dicunt, turpitudinem detegere non verentur, omniumque oculis ipsos ridendos exponere? »

2. Ὁ δὲ ἐμὸς Ἰωάννης (ἐμὸς γὰρ τά τε ἄλλα καὶ ὅτι πλέον τῶν ἄλλων ἐξῳκείωτο τὰ ἡμέτερα), etc. *De Mystagogia Spiritus Sancti*, § 89, *P. G.*, t. CII, col. 380, 381.

3. « Imo et ejus successor sacer Hadrianus, Synodicam ad nos more vetere mittens epistolam, eamdem pietatis sententiam in ipsa prædicabat. » *Ibid.*, col. 381. Hadrianus III (884, 885) non directe cum Photio communicavit; imo contra illum anathema renovavit, Hardouin, V, 1141 C; sed synodicam epistolam Basilio misisse videtur, quam ut ad se directam Photius hic laudat. Cf. Hergenröther, t. II, p. 662, 663.

4. Λέων ὁ μέγας,... ὁ τῆς τετάρτης στῦλος συνόδου...., ἡ τοῦ Πνεύματος σάλπιγξ. *Ibid.*, col. 361 A, 365 A.

5. Πατέρες πατέρων εἰσί. *Ibid.*, col. 365 C. Ex contextu, hic titulus directe respicit episcopos Occidentis, quatenus papa est patriarcha hujus regionis.

quando Marinus de sede Cerensi (aut Castellensi?) ad ipsam Petri sedem translatus fuit. Translationes episcoporum de una sede ad aliam districtissime in Ecclesia romana prohibebantur ex canone 15 Nicæno et canone 1 Sardicensi. Pro Marino tamen exceptio facta est ob viri meritum[1]. At Photius hanc occasionem non amisit Ecclesiam romanam impetendi ob canonum violationem, præsertim ob canonis Sardicensis transgressionem. Recordabatur enim Nicolaum papam illi sæpius objecisse canonem decimum ejusdem synodi circa laicorum promotionem ad episcopatum. Unde Marinum Romæ episcopum agnoscere omnino renuit, imperatorem Basilium contra eum concitavit, illumque injuriis affecit, forsan et in synodo excommunicavit ac deposuit, quemadmodum anno 867 egerat erga Nicolaum papam[2]. Translationes episcoporum passim celebrabat ipse[3]; sed pro sua defensione prætexebat canones Sardicenses apud Byzantinos jamdiu obsolevisse (Numquid etiam Nicænos?), dum, Romæ, vim legis habere pergerent. Unaquæque autem Ecclesia, juxta sanctionem ab ipsa synodo photiana probatam, suas proprias consuetudines retinere atque observare debebat[4].

Hæc agendi ratio erga Marinum papam bene ostendit Pho-

1. Hæc translatio prima fuit quæ in Ecclesia romana facta est. Etiam Occidentales Marini promotionem contra canonum statuta factam esse declararunt. Cf. *Annales Fuldenses*, anno 882. Pertz, *Monumenta Germaniæ*, t. I, p. 397.

2. Epistolæ Basilii imperatoris, quam ille, instigante Photio, contra Marini promotionem ad Hadrianum III miserat, respondit hujus successor, Stephanus VI. Hæc responsio ad nos pervenit. Hardouin, t. V, col. 1115-1120. Stephanus Marini apologiam contra photiana dicteria texit, et diserte primatum ac independentiam romanæ Sedis tuetur. Quædam translationum episcoporum exempla in historia ecclesiastica occurrentia recitat, ut Marini translationem justificet, eodem fere pacto quo Photius fecerat pro sua causa tuenda. Fatendum est in hac quæstione de Marini promotione Photium peropportunam invenisse occasionem Ecclesiam romanam lacessendi, et suum ultionis desiderium explendi. Cf. Hergenröther, t. II, p. 650-661.

3. Exempli gratia, dum prima vice sedem patriarchalem tenebat, Theodorum Cariensem ad sedem Laodicensem, Petrum e Mileto ad Sardes transtulit. Cum autem secundo patriarcha fuit, plures, etiam episcoporum translationes fecit. Cf. Hergenröther, t. II, p. 658.

4. Cf. ea quæ infra dicuntur, p. 223, 224.

tium, post Sanctæ Sophiæ synodum, seipsum duxisse papæ æqualem, et ab eo practice independentem, quamvis speculative primatum romanæ Sedis ejusque privilegia non negaverit, primi canonis synodi memoratæ non omnino, oblitus, quo hæc privilegia definite in tuto ponebantur [1]. Effigiem vero patriarchæ Novæ Romæ, quam tunc temporis sibi ipsi fingebat, invenimus expressam in compendio legum civilium *Epanagoges* nomine a Basilio Macedone circa annum 884-885 vulgato. Certum videtur Photium in componendo hoc opere suas partes habuisse, sicut etiam ceteris libris legalibus edendis socium Basilio exstitisse admodum verisimile est [2]. Juxta *Epanagogen*, patriarcha Constantinopolitanus est supremus interpretator canonum a conciliis et Patribus antiquis sancitorum [3]: *Sedes Constantinopolitana, imperio decorata, synodalibus sententiis prima omnium dicta est; quibus divinæ leges obsequentes jubent causas et controversias in aliis sedibus exsurgentes ad illius examen et judicium deferri* [4].

Constantinopolitanus præsul jus habet, etiam intra fines aliarum sedium, ubi non est templi προκαθιέρωσις (*dedicatio ecclesiæ a proprio præsule antea peracta*), *stauropegia* tribuendi (exemptionem a jurisdictione Ordinarii); item *in aliis sedibus lites factas diligenter observandi, sententias recognoscendi judiciisque finem imponendi* [5]. Eorum omnium, qui in suo patriarchatu commorantur, spiritualis cura ad eum ultimo pertinet. *Solus ipse est arbiter et judex ca-*

1. Cf. infra, p. 237, textum hujus primi canonis.

2. Hergenröther, t. II, p. 587-591.

3. Τὰ παρὰ τῶν παλαιῶν κανονισθέντα καὶ παρὰ τῶν ἁγίων συνόδων ἐκτεθέντα τὸν πατριάρχην μόνον δεῖ ἑρμηνεύειν. C. E. Zachariæ a Ligenthal, *Jus græco-romanum pars IV. Epanagoge aucta*, Lipsiae, 1865, p. 183.

4. Ὁ Κωνσταντινουπόλεως θρόνος, βασιλείᾳ ἐπικοσμηθείς, ταῖς συνοδικαῖς ψήφοις πρῶτος ἐρρήθη, αἷς οἱ θεῖοι κατακολουθοῦντες νόμοι καὶ τὰς ὑπὸ τοὺς ἑτέρους θρόνους γινομένας ἀμφισβητήσεις ὑπὸ τὴν ἐκείνου προστάττουσιν ἀναφέρεσθαι διάγνωσιν καὶ κρίσιν. *Ibid.*

5, Τῷ δὲ Κωνσταντινουπόλεως προέδρῳ ἔξεστι καὶ ἐν ταῖς τῶν ἄλλων θρόνων ἐνορίαις, ἐν αἷς οὐκ ἔστι προκαθιέρωσις ναοῦ, σταυροπήγια διδόναι· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τοῖς ἄλλοις θρόνοις γενόμενας ἀμφισβητήσεις ἐπιτηρεῖν καὶ ὀρθοῦσθαι καὶ πέρας ἐπιτιθέναι ταῖς κρίσεσιν. *Ibid.*

*suum resipiscentiæ a peccatis et conversionis ab hæresibus* [1].

Hæc omnia sane sensu relativo, non vero sensu absoluto dicta esse, atque nonnisi pro Oriente, non pro Occidente latino valere credendum est. Ast animadvertamus oportet de romano Pontifice altum silentium servari, jus appellationis pro partibus orientalibus ipsi tacite denegari, Constantinopolitanum patriarcham totius Orientis papam de facto constitui. Quod summo studio jam a multis sæculis byzantini præsules prosequebantur, totius scilicet Orientis summos esse pastores, hoc tandem Photius obtinuisse videbatur.

Hanc vero in totum Orientem supremam jurisdictionem per canonem 1 synodi Sanctæ Sophiæ sibi ipsi tribuendam curaverat. Cum autem ex hoc canone, ceteri patriarchæ Photio, quâ singulari personæ, in peculiaris benevolentiæ signum, propriam potestatem delegassent, non autem ejus successoribus futuris talia concessissent, schismatici, ut conjicere est, consilio, sequentia verba Epanagoges libro inserta sunt : *Priores canones etiam ad sensum posteriorum trahuntur; simili etiam modo, priores actiones atque dispensationes ad posteros quoque trahuntur, et valent pro similibus personis atque rebus.*

Si hæc synodi Sanctæ Sophiæ decretis applicentur, præsertim canoni primo, sequetur omnes Photii successores iis gaudere privilegiis, quæ in hoc canone exprimuntur[2]. Quæ de Joanne VIII et Photio tantum dicebantur, transferri debent ad utriusque successores, qui sunt personæ similes. Unde, inter romanum Pontificem et patriarcham Constantinopolitanum aderit illa relativa æqualitas et independentia mutua, quæ ex canone logice deducitur. Hoc autem posito, primatus romanæ Sedis, quamvis verbis retineatur, re tamem evanescit. Ad hunc exitum, inde jam a pluribus sæculis, sponte sua tendebat byzantinismus ecclesiasticus [3].

1. ὡσαύτως δὲ καὶ μετανοίας καὶ ἐπιστροφῆς ἀπὸ ἁμαρτημάτων καὶ αἱρέσεων αὐτὸς καὶ μόνος καθίσταται διαιτητής τε καὶ γνώμων. *Ibid.*, p. 184.

2. Οἱ προγενέστεροι κανόνες καὶ εἰς τοὺς μεταγενεστέρους ἕλκονται· ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ προγενεστέραι πράξεις καὶ οἰκονομίαι καὶ εἰς τοὺς μεταγενεστέρους ἕλκονται, καὶ κρατοῦσιν ἐπὶ τῶν ὁμοίων προσώπων τε καὶ πραγμάτων. *Ibid.*, p. 183.

3. Notandum est Photium decretales litteras papalibus similes de rebus canonicis edidisse; ex quibus quinque ad nos usque pervenerunt. *P. G.*, t. CII, col. 781-793.

## ARTICULUS V

### De controversiis inter Græcos et Latinos circa processionem Spiritus Sancti sæculo IX prioribus.

Quamvis Photius primus inter Græcos fuerit qui Spiritum Sanctum a Patre solo procedere docuerit, certum tamen est Græcos et Latinos non semel de processione antea litigasse. Unde theologiæ photianæ expositioni de istis præviis controversiis pauca præmittere operæ pretium ducimus.

#### I. — De controversia inter S. Cyrillum Alexandrinum et Theodoretum Cyrensem.

Sæculo quinto ineunte, Græcorum et Latinorum una eademque erat sententia circa Spiritus Sancti processionem, ea scilicet quam hodie Ecclesia catholica tanquam dogma a Deo revelatum recipit ac credit, ut videre est ex innumeris textibus Patrum quum orientalium tum occidentalium, quos jamdudum contra Photii asseclas theologi catholici collegerunt. Erat tamen in modo eamdem doctrinam concipiendi aliqua diversitas. Patres enim græci Spiritum *a Patre per Filium procedere*, ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι dicere solebant, dum Latini hanc formulam : *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit* libentius usurpabant. Cæterum Latinos invenire est qui Græcorum loquendi modum adhibuerint[1], Græcosque qui formulam latinam non semel scripserint [2].

1. Sic Tertullianus : *Spiritum non aliunde puto quam a Patre per Filium. Adversus Praxeam*, IV, *P. L.*, t. II, col. 159 ; S. Hilarius, *De Trinitate*, XII, 57. *P. L.*, t. X, col. 472 ; qui etiam sæpius utitur formula : *a Patre Filioque*, sive expresse sive æquivalenter, dicitque Patrem et Filium esse *Spiritus Sancti auctores. De Trinitate*, l. II, col. 69, 250, 469.

2. Præsertim Didymus Alexandrinus, qui scribit in suo opere *De Spiritu Sancto*, § 34, *P. G.*, t. XXXIX, col. 1063, 1064 : *Spiritus Sanctus ex se non est, sed ex Patre et me est; hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et me illi est;* Epiphanius, in *Ancorato* passim, præsertim § 67, *P. G.*, t. XLII, col. 137 : Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Χριστοῦ, ἢ παρ'ἀμφοτέρων ; § 71, col. 148 : φῶς τρίτον παρὰ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ; S. Cyrillus Alexandrinus, qui multoties adhibet utrumque loquendi modum, et quandoque simul, ut in libro *De adoratione in spiritu*, *P. G.*, t. LXVIII, col. 148 : Ἔστι τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, καὶ μὴν καὶ τοῦ Υἱοῦ, τὸ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν, ἤγουν ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ προχεόμενον Πνεῦμα.

Talis Ecclesiæ fides unanimis regnabat, quando vox quædam absona in Oriente audita est, Theodoreti scilicet, episcopi Cyrensis qui, præeuntibus Theodoro Mopsuesteno ejusque discipulo Nestorio, Spiritum Sanctum ex Filio aut per Filium existentiam habere negare visus est, quanquam de genuina ejus mente non omnino constat [1].

1. Theodoretus, in suo libello contra Cyrilli duodecim anathematismos, scripsit : *Proprium auten Spiritum Filii, si quidem ut ejusdem cum eo naturæ et ex Patre procedentem dixit* [Cyrillus in suo anathematismo IX], *simul confitebimur et tanquam piam suscipiemus vocem. Si vero tanquam ex Filio aut per Filium existentiam habeat* (εἰ δ'ὡς ἐξ Υἱοῦ, ἢ δι' Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον) *hoc ut blasphemum et impium rejicimus. Credimus enim Domino dicenti : Spiritus qui ex Patre procedit ; sed et divino Paulo dicenti : Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est. P. G.*, t. LXXVI, col. 432. Quidam putant his verbis Theodoretum alludere ad hæresim. Macedonianam; quorum interpretationi favere videntur alii textus ex operibus ejusdem auctoris, v. g., ejus *epistola ad monachos*, *P. G.*, t. LXXXIII, col. 1417 : βλασφημεῖ δὲ καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα, οὐκ ἐκ τοῦ Πατρὸς αὐτὸ λέγων ἐκπορεύεσθαι, κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου φωνὴν, ἀλλ' ἐξ Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχειν. Καὶ οὗτος δὲ τῶν 'Απολλιναρίου σπερμάτων ὁ καρπὸς, γειτνιάζει δὲ καὶ τῇ Μακεδονίου πονηρᾷ γεωργίᾳ. Cf. *Comment. in Epist. ad Romanos*, cap. VIII, 10, 11, *P. G.*, t. LXXXII, col. 132 C. Sed non pauci textus afferri possunt, qui innuant Theodoretum negasse Spiritum Sanctum a Filio aut per Filium æternaliter procedere. Vide *Epist.*, CLXXI *ad Joannem Antiochenum*, *P. G.*, t. LXXXIII, col. 1814 C; *Eranistes* III, *ibid.*, col. 264, col. 277 D; *Hæretic. fabularum compendium*, lib. V, *ibid.*, col. 543 D, 456 AB. Insuper notionem missionis divinæ omnino subvertit, dum negat personam divinam mitti et nobis dari. Quod autem dicunt theologi græco-russi, sanctum Cyrillum scilicet suam sententiam mutasse de processione Spiritus Sancti ab utroque, post Theodoreti reprehensionem, est omnino falsum, quidquid ipse Theodoretus dicere videatur in *epistola ad Joannem Antiochenum*, post pacem scripta, *P. G.*, t. LXXXIII, col. 1484. Hæc enim legimus in *Explicatione duodecim capitum* Ephesi conscripta, dum in carcere detineretur Cyrillus : Ἄνθρωπος γεγονὼς ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ Λόγος, ἀπομεμένηκε καὶ οὕτω Θεός, πάντα ὑπάρχων ὅσα καὶ ὁ Πατὴρ, δίχα μόνου τοῦ εἶναι Πατήρ· καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ καὶ οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ Πνεῦμα ἅγιον, εἰργάζετο τὰς θεοσημίας : *Spiritumque Sanctum, qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest, proprium habens, divinæ potentiæ signa operabatur. P. G.*, t. LXXVI, col. 308. Et in ipsa Cyrilli *Defensione contra Theodoreti criminationes* : ἦν γὰρ, inquit, καὶ ἔστιν αὐτοῦ τὸ Πνεῦμα, καθάπερ ἀμέλει καὶ τοῦ Πατρὸς.... 'Εκπορεύεται μὲν γὰρ ὡς ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, κατὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος φωνὴν, ἀλλ'οὐκ ἀλλότριόν ἐστι τοῦ Υἱοῦ· πάντα γὰρ ἔχει μετὰ τοῦ Πατρός· καὶ τοῦτο αὐτὸς ἐδίδαξεν, εἰπὼν περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος·

Sæculi VI initio, consensus utriusque Ecclesiæ circa eamdem doctrinam, non obstante diverso loquendi modo, sine controversia perdurabat. Hinc Hormisdas papa, quin ullas Orientalium reclamationes concitarit, ad Justinum I in decretali quadam epistola sequentia scripsit : *Proprium est Patris, ut generaret Filium; proprium Filii Dei, ut ex Patre Patri generaretur æqualis; proprium Spiritus Sancti, ut de Patre et Filio procederet sub una substantia deitatis* [1].

### II. — Rustici diaconi sententia. Sancti Augustini explicatio quædam magni momenti.

Circa ejusdem sæculi dimidium, tempore scilicet quo quæstio de tribus capitulis acriter agebatur, diaconus romanus nomine Rusticus, ipsius Vigilii papæ nepos, qui trium capitulorum partes tuebatur, satque longum tempus Constantinopoli degerat, in sua contra Acephalos disputatione, de Spiritus Sancti processione hæc habet, ex quibus patet hanc doctrinam tunc temporis neque in Oriente neque in Occidente plene fuisse investigatam atque elucidatam :

*Pater genuit, et non genitus est, et ab aliquo alio non est, sicut ex eo sunt alii. Filius vero genitus est, et nihil consempiternum genuit, et Spiritus Sanctus a Patre procedit; nihil consempiternum procedit vel genitum est ab eo. Quidam vero antiquorum et hoc proprietatibus adjecerunt, quia sicut Spiritus Sanctus cum Patre Filium sempiterne non genuit, sic nec procedit Spiritus a Filio sicut a Patre. Ego vero, quia Spiritus quidem non genuit sempiterne, profiteor (nec enim duos dicimus Patres); utrum vero a Filio eodem modo quo ex Patre procedat non perfecte habeo satisfactum* [2].

« Quinam fuerint illi antiqui, ait Lequien, haud indicat

Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ ἐμά ἐστι. Διὰ τοῦτο εἶπον ὑμῖν, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καί ἀναγγελεῖ ὑμῖν. *Apologeticus contra Theodoretum. P. G.*, t. LXXVI, col. 433 B, C. In epistola ad Joannem Antiochenum, missa per Paulum Emesæ episcopum, anno 433, eadem repetit sanctus Doctor : ὁ ἐκπορεύεται μὲν ἐξ αὐτοῦ, ἔστι δὲ οὐκ ἀλλότριον τοῦ Υἱοῦ κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον. *P. G.*, t. LXXVII, col. 181, A. Cf. *Epistol.* LV *in symbolum* : καὶ προχεῖται μὲν, ἤγουν ἐκπορέυεται καθάπερ ἀπὸ πηγῆς τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός· χορηγεῖται δὲ τῇ κτίσει διὰ τοῦ Υἱοῦ. *Ibid.*, col. 316 D.

1. *Epist.*, LXXIX, *ad Justinum. P. L.*, t. LXIII, col. 514.
2. *Contra Acephalos disputatio. P. L.*, t. LXVII, col. 1237.

Rusticus. Nusquam vero Theodoretus sic disputavit. Cæterum, esto Rusticus arbitratus sit Theodoretum negasse omnino Spiritum Sanctum ex Filio procedere, Hilarius tamen libertatem olim ademerat dubitandi quin ex Patre et ex Filio Spiritus procederet, dixeratque id Dominum non in incerto reliquisse [1]. » Rusticus ipse non negat, ut mihi videtur, factum processionis Spiritus Sancti a Filio, sed tantum circa hujus processionis modum dubius hæret.

Quam hæsitationem procul dubio deposuisset, si hæc verba Augustini legisset, in quibus facilis via aperitur pro conciliandis inter se Græcis et Latinis, qui ob diversum loquendi modum quandoque sibi invicem verbotenus contradicere videntur :

*Non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec Donum Dei nisi Spiritus Sanctus, nec de quo genitum est Verbum et* DE QUO PROCEDIT PRINCIPALITER SPIRITUS SANCTUS, *nisi Deus Pater. Ideo autem addidi* PRINCIPALITER, *quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non jam existenti et nondum habenti, sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo Donum commune procederet, et Spiritus Sanctus esset amborum* [2].

Eamdem doctrinam explicat sanctus Doctor in capite XXVI ejusdem libri XV *de Trinitate :*

« Intelligat, sicut habet Pater in semetipso ut de illo procedat Spiritus sanctus, sic dedisse Filio ut de illo procedat idem Spiritus Sanctus, et utrumque sine tempore; atque ita dictum Spiritum Sanctum de Patre procedere, ut intelligatur quod etiam procedit de Filio, de Patre esse et de Filio. *Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet utique ut de illo procedat Spiritus Sanctus* [3]. »

1. Lequien, *Dissertatio Damascenica I*, *P. G.*, t. XCIV, col. 198. Locus Hilarii ad quem alludit Lequien invenitur in libro VIII *De Trinitate*, 20, *P. L.*, t. X, col. 250, 252 : « Intelligentiæ libertatem adimitur Arianis utrum ex Patre an ex Filio Spiritum Paracletum putent esse. Non enim in incerto id Dominum reliquisse.... *A Filio igitur Spiritus accipit, qui ab eo mittitur et a Patre procedit. Atqui nihil differre creditur inter accipere a Filio et a Patre procedere, et idipsum atque unum esse existimabitur accipere a Filio, quod sit accipere a Patre.*

2. *De Trinitate*, lib. XV, cap. XVIII. *P. L.*, t. XLII, col. 1081.

3. *Ibid.*, cap. XXVI.

Sic ergo optime jam solverat Augustinus difficultatem quam sibi proponebat Rusticus, ostenderatque aliquam esse differentiam inter modum quo Spiritus Sanctus a Patre procedit, et modum quo a Filio. Procedit a Patre *principaliter*, id est *originaliter*, *primordialiter*, seu tanquam a principio non habente principium; procedit vero a Filio tanquam a principio habente principium, Patrem scilicet, a quo habet omnia sua. Idem Augustinus totam hanc quæstionem omni æquivocationum velamento expediebat, dum docebatPatrem et Filium non esse duo principia, sed unum tantum principium Spiritus Sancti :

*Sicut Pater*, inquit, *et Filius unus Deus et ad creaturam relative unus Creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium* [1].

### III. — Monothelitarum impetus contra Romanos.

Hanc lucidam sancti Augustini explicationem si novissent ac bene perspectam habuissent monothelitæ Constantinopolitani, romanam Ecclesiam, sæculo VII mediante, non criminati fuissent, ob ea quæ sanctus Martinus papa I in quibusdam synodicis epistolis dixerat : *Spiritum Sanctum* scilicet *a Patre Filioque procedere*, ut refert sanctus Maximus Confessor in sua ad Marinum Cypri presbyterum epistola : « *Sanctissimi, qui nunc est, papæ synodica*, inquit ille, *non in tot capitulis quot scripsistis, regiæ urbis cives reprehenderunt, sed in duobus dumtaxat, quorum alterum est de fide Trinitatis, eo quod dixerit* [papa] : « *Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere*, ἐκπορεύεσθαι καὶ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον; *alterum vero de divina Incarnatione, quod nimirum scripserit : esse Dominum, ut est homo, absque peccato originis. Et ad primum quidem quod attinet, consonantia latinorum Patrum testimonia protulerunt, præterea etiam Cyrilli Alexandrini ex ejus sacra lucubratione in sanctum Joannem Evangelistam; ex quibus non principium (seu causam) Spiritus se Filium facere ostenderunt. Unum quippe Filii ac Spiritus principium Patrem noverunt, alterius quidem per generationem, alterius vero per processionem; sed ut per eum* (scilicet Filium) *pro-*

1. *De Trinitate*, lib. V, cap. XIV.

*dire significarent*, eaque ratione conjunctionem substantiæ et indissimilitudinem demonstrarent [1]. »

Et paucis interjectis, Maximus addit :

« Atque hæc quidem isti, propter quæ nulla justa ratione in crimen vocati sunt. Porro, secundum jussionem vestram. rogavi Romanos interpretari (seu transferre) propria dicta, causa adversantium (monothelitarum scilicet) subreptiones effugiendi. Verumtamen, more obtinente ita faciendi atque mittendi (id est, sine translatione documentorum latinorum in linguam græcam), nescio utrum obtemperaturi sint. Est præterea alia ratio, scilicet quod non valeant in alia dictione et voce sensum suum, sicut in propria vel alumna, exacte exprimere, vel etiam quemadmodum nos in nostra nostrum [2]. »

Hæc prima fuit Græcorum — et hi quidem tunc monothelitarum hæresi addicti erant — contra Latinorum loquendi modum criminatio ; quæ, ut conjicere possumus, non diu perduravit, sed sancti Maximi litteris sedata est. Ex his autem, quæ sanctus Confessor scribit ad Marinum, videmus verba Martini papæ : *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit*, a Græcis his verbis translata fuisse : Τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται. Hic loquendi modus, apud illos inauditus, eos inducebat ad putandum Latinos docere Filium esse Spiritus Sancti principium originale seu primordiale, sicut et Patrem ipsum. Nam verbum ἐκπορέυεσθαι apud quosdam Orientales hanc vim usu obtinuerat, ut nonnisi relationem Spiritus Sancti ad Patrem qua principium sine principio bene significaret. Præpositio enim « ἐκ » primam originem ex se indicat. Cum autem Filius sit principium a principio, videlicet hoc a Patre habeat ut sit principium Spiritus Sancti, non recte, hoc posito, diceretur Spiritum Sanctum ex Filio ἐκπορεύεσθαι. Aliis verbis, Græci

1. ἐξ ὧν οὐκ αἰτίαν τὸν Υἱὸν ποιοῦντας τοῦ Πνεύματος σφᾶς αὐτοὺς ἀπέδειξαν· μίαν γὰρ ἴσασιν Υἱοῦ καὶ Πνεύματος τὸν Πατέρα αἰτίαν, τοῦ μὲν κατὰ τὴν γέννησιν, τοῦ δὲ κατὰ τὴν ἐκπόρευσιν· ἀλλ'ἵνα τὸ δι' αὐτοῦ προϊέναι δηλώσωσι, καὶ ταύτῃ τὸ συναφὲς τῆς οὐσίας καὶ ἀπαράλλακτον παριστήσωσι. *P. G.*, t. xci, col. 136 A B.

2. *Ibid.* S. Maximus diserte profitetur processionem æternam Spiritus sancti a Patre per Filium in *Quæstionibus ad Thalassium*, 34, *P. G.*, t. xc, col. 672 : ἐκ τοῦ Πατρὸς οὐσιωδῶς δι' Υἱοῦ γεννηθέντος ἀφράστως ἐκπορευόμενον.

monothelitæ putarunt Martinum papam docuisse Spiritum Sanctum a Filio procedere *principaliter* in sensu augustiniano supra relato; quod utique dici non potest. Nam, etsi Spiritus Sanctus a Patre et Filio *æqualiter tanquam ab uno principio* procedat, non *tamen eodem ordine eodamque processu* a Filio, sicut a Patre, procedit; sed a Patre quidem procedit *principaliter seu originaliter*, a Filio autem *ut a principio principium habente et vim spirativam a Patre recipiente*[1]. Et hoc est quod dicere intendit Maximus, quando scribit : *Unam Filii ac Spiritus causam* (seu principium) *noverunt Romani; sed Spiritum etiam a Filio procedere dixerunt ut significarent illum per Filium prodire*, ἵνα τὸ δι' αὐτοῦ προϊέναι δηλώσωσι. Ex his apparet verbum latinum *procedere* sensu latiore usurpari ac verbum græcum ἐκπορεύεσθαι[2]. Et hæc est

1. Hoc perspicue explicat Bessarion in suo opere *De processione Spiritus Sancti*, *P. G.*, t. CLXI, col. 396 sq.

2. S. Joannes Damascenus verbo ἐκπορεύεσθαι et præpositioni ἐκ, « ex », hanc specialem tribuit significationem, ut nonnisi de principio originali, seu de Patre recte dici possint relate ad Spiritum Sanctum. Unde aliquibus theologis latinis, quos hæc particularis significatio vocum græcarum latebat, dogma catholicum negare visus est. Vide S. Thomam, *Summa theologica*, I, quæst. XXXVI, art. 2 ad tertium. In *Fide orthodoxa*, lib. I, cap. VIII, Damascenus scribit : « Τὸ δὲ Πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς λέγομεν, καὶ Πνεῦμα Πατρὸς ὀνομάζομεν. Ἐκ τοῦ Υἱοῦ δὲ τὸ Πνεῦμα οὐ λέγομεν, Πνεῦμα δὲ Υἱοῦ ὀνομάζομεν. Καὶ δι' Υἱοῦ πεφανερῶσθαι καὶ μεταδίδοσθαι ἡμῖν ὁμολογοῦμεν. *P. G.*, t. XCIV, col. 832, 833. Et in capite XII, col. 849 : καὶ Υἱοῦ δὲ Πνεῦμα, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον. In epistola autem de *Hymno trisagio ad Jordanum*, *P. G.*, t. XCV, col. 60 : Τὸ Πνεῦμά ἐστι ἅγιον· ἐκ τοῦ Πατρὸς γὰρ διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ Λόγου προϊὸν, οὐχ ὑϊκῶς δέ. Iterum in *Dialogo contra Manichæos*, *P. G.*, t. XCVI, col. 1512 B, hæc habet : ἀεὶ ἦν ὁ Πατὴρ ἔχων ἐξ ἑαυτοῦ τὸν ἑαυτοῦ Λόγον, καὶ διὰ τοῦ Λόγου αὐτοῦ ἐξ αὐτοῦ τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ ἐκπορευόμενον. Majorem facessit difficultatem hic locus *Homiliæ in Sabbatum sanctum : Spiritum Sanctum colimus tanquam Dei et Patris Filium, ex ipso nempe procedentem* (ἐκπορευόμενον); *qui tamen etiam Filii dicitur, quod per ipsum manifestatus creaturisque impertitus, non autem ex ipso existentiam habens*, ἀλλ' οὐκ ἐξ αὐτοῦ ἔχον τὴν ὕπαρξιν. *P. G.*, t. XCVI, col. 605. Hic textus hæresis photianæ saporem quemdam præ se fert, sed specie tantum. Nam animadvertas velim Damascenum nunquam negasse Spiritum Sanctum *existentiam habere per Filium*, ὕπαρξιν ἔχειν δι' Υἱοῦ, sed hoc non semel affirmasse. Item, sanctus Doctor nunquam photianum effatum fecit suum : *Spiritus Sanctus a Patre solo procedit*, ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται. Unde tota differentia est in terminis

causa cur S. Maximus Romanos exhortatus sit ad rectam propriorum dictorum interpretationem per græcas voces curandam.

#### IV. — De controversia in synodo Genethliacensi anno 767 orta.

Disceptatio de Spiritus Sancti processione iterum mota est in synodo Genethliaci, prope Lutetiam Parisiorum, anno 767 habita; cui interfuerunt Galliæ episcopi una cum Pippino Francorum rege et Constantini Copronymi legati. Quamvis huc advenerint non ut quæstiones theologicas tractarent, sed potius propter negotia politica, attamen in synodo, ut refert Ado Viennensis in suo Chronico circa 850 scripto : *Quæstio ventilata est inter Græcos et Romanos de Trinitate, et utrum Spiritus Sanctus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio; et de sanctorum imaginibus, utrumne fingendæ an pingendæ essent in ecclesiis*[1]. Cum Acta synodi Genehliacensis

eorumque particulari significatione. Neque Damascenus absolute negat posse dici Spiritum Sanctum ἐκ τοῦ Υἱοῦ εἶναι, sed pronuntiat hunc loquendi modum non esse apud Græcos receptum : οὐ λέγομεν, *hoc non dicimus*, quamquam quidam ex antiquis Patribus orientalibus hoc dixerunt. Sed tempore Damasceni, hic loquendi modus obsoletus erat, utpote minus proprius, dicebantque : « ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται.

1. *P. L.*, t. CXXIII, col. 125 A. Regino abbas, in *suo Chronico*, lib. II, *anno 767*, hæc tantum habet : *Rex in supra dicta villa synodum magnam habuit inter Romanos et Græcos de S. Trinitate et de sanctorum imaginibus. P. L.*, t. CXXXII, col. 51. Vide etiam Eginhardum, *Chronic.*, *P. L.*, t. CIV, col. 385 : *Orta quæstione de sancta Trinitate et de sanctorum imaginibus.* Duchesne, in suo opere : *Les premiers temps de l'État pontifical*, p. 54, *Chronicum* Adonis ignorat aut postponit, dum scribit : « Il ne paraît pas qu'il y eût, dès lors, querelle entre l'Orient et l'Occident sur la procession du Saint-Esprit. » Romani, de quibus loquuntur Chronistæ, sunt legati Pauli papæ I. « Duo Græcorum legationis erant capita, ait Hardouin, *op. cit.*, t. III, col. 2012, unum de repetendis Italiæ regionibus a Pippino Ecclesiæ romanæ attributis, alterum de quæstionibus supra scriptis. » Ad hanc synodum alludere videtur Paulus papa in epistola XXVI (inter Carolinas) *ad Pippinum*, *P. L.*, t. XCVIII, col. 182, 183 : « Optime præcellenti vestræ christianitati compertum existit quanta qualisque sit impia hæreticorum Græcorum malitia inhianter meditantium atque insidiantium qualiter, Deo illis contrario, sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam humiliare atque conculcare, et fidem sanctam orthodoxam atque sanctorum Patrum traditionem destruere possint. » Superius dixerat, col. 182 C :

non habeamus, de hac disputatione nihil amplius scimus; neque quinam primum hanc moverint, utrum Græci an Romani, dicere possumus.

### V. — Carolus Magnus contra Græcos.

Paulo post septimum concilium œcumenicum, anno 787 Nicææ habitum, Carolus Magnus, cum Acta concilii legisset, reperissetque in professione fidei Tarasii, patriarchæ Constantinopolitani, hæc verba : *Spiritus Sanctus ex Patre per Filium procedit* [1], in libris quos, adjutoribus theologis suis, contra synodum septimam composuit quique propterea *Carolini* sunt dicti, hunc articulum, ut veritati minus consonum et quasi hæresi Macedonianæ faventem districte carpsit :

« Non est consequens, ait imperator theologus, ut ab hoc nostra suspendatur disputatio, quod Tarasius Spiritum Sanctum non *ex* Patre tantum, sicut quidam, qui quamquam eum ex Filio procedere quodammodo tacuerint, tamen ex Patre et Filio procedentem omnino crediderunt, neque *ex Patre et Filio*, sicut omnis universaliter confitetur et credit Ecclesia eum procedere, sed *ex Patre per Filium* in suæ fidei professione confessus est. In qua professione, nisi puritas et sinceritas cordis sit, quæ credat eum non creaturam esse, sed creatorem, nec Patre Filioque minorem, sed eis æqualem et consubstantialem et ab *utroque procedere*, perniciosum virus poterit exoriri.... Ex *Patre enim et Filio Spiritum Sanctum*, non *ex Patre per Filium procedere* recte creditur et usitate confitetur : quia non *per Filium*, *utpote*

« Vestro post Deum auxilio et optimo certamine, sancta spiritualis mater vestra Dei Ecclesia constat ab inimicorum insidiis erepta, et orthodoxa christianorum fides ab impugnatoribus defensa. » Pagi supponit Latinos Græcis condemnationem imaginum improbavisse, Græcos vero in Latinos propter doctrinam de processione Spiritus Sancti invectos fuisse. Pagi, *Critica*, ad annum 766. De Régnon, *Etudes de théologie positive sur la sainte Trinité*, t. IV, p. 205, oppositam sententiam tenet : « Je pense donc que ce sont les Latins qui ont soulevé la question, et qu'ils ont voulu attirer les Orientaux à la doctrine occidentale. » Schlosser hanc profert hypothesim, legatos scilicet Romanos, qui synodo aderant, quæstionem movisse de processione Spiritus Sancti, ut Gallos in Græcos incitarent.

1. Τὸ ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορευόμενον. Hardouin, t. IV, 1, col. 132.

*creatura quæ per ipsum facta sit*, neque quasi *posterior tempore*, aut minor potestate, aut alterius substantiæ procedit, *sed ex Patre et Filio*, ut coæternus, ut consubstantialis, ut coæqualis, ut unius gloriæ, potestatis atque divinitatis cum eis existens procedere creditur. Alteram enim vim habet *ex* præpositio, et alteram *per*[1]. »

Præpositio *ex*, secundum Carolum, bene indicat originem, dum præpositio *per* refertur ad *operationem*. Dicere : *Spiritum sanctum per Filium procedere*, sensum arianum innuit. Recte autem dicitur Spiritum Sanctum per Filium hominibus dari, *quoniam ab omnibus Spiritus Sanctus accipi nonnisi per Filium poterat. Per Filium* vero eum a Patre procedere profiteri synodicæ confessioni inusitatum est[2]. Cæterum Carolus, dum processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio diserte tuetur, opportune, post sanctum Augustinum, declarat tertiam Personam a Patre et Filio tanquam *ab uno principio procedere*, non tanquam a duobus[3].

Ex libris carolinis capitulare quoddam excerpsit synodus Francofordiensis anno 794 contra adoptianos congregata, in quo inter alias criminationes contra concilium Nicænum II congestas occurrit etiam illa contra Tarasium patriarcham insectatio ob adhibitum in professione fidei loquendi modum de processione Spiritus Sancti[4]. Hoc capitulare in octoginta quinque capitula distributum Carolus Magnus, eodem anno 794, per Engilbertum abbatem et capellæ regiæ ministrum ad Hadrianum papam I misit. Quod cum legisset Summus Pontifex, imperatori longam rescripsit epistolam, in qua objectationibus contra septimum concilium a theologis Francis prolatis leniter per ordinem respondit; Tarasium vero ob illud *a Patre per Filium* petitum his verbis defendit :

1. *Libri carolini*, lib. IV, cap. III, *P. L.*, t. XCVIII, 1117, 1118.

2. *Ibid.*, col. 1119 C.

3. « Sunt Pater et Filius principium Spiritui Sancto non gignendo, quia non est Filius, neque creando, quia non est creatura, sed dando, quia ab utroque procedit. » *Ibid.*, cap. IV, col. 1122 A. Et col. 1123 B, proferuntur verba Augustini : Fatendum *Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti, non duo principia.*

4. Capitulare ad Hadrianum missum multi putarunt esse ipsos libros carolinos; quod esse erroneum demonstrat Hefele, trad. Leclercq, *Histoire des conciles*, t. III, p. 1086 sq.

« Hoc dogma Tarasius non per se explanavit, sed per doctrinam sanctorum Patrum confessus est: quorum capitula, pro vestro nimio amore, quem erga vestram præ-rectissimam a Deo protectam regalem excellentiam gerimus, breviter exaramus [1]. »

Et sanctus Pontifex plura laudat Patrum tum græcorum tum latinorum testimonia, in quibus formula a *Patre per Filium* usurpatur. Notandum est tamen hos Patrum locos fere omnes ad missionem temporalem Spiritus Sancti spectare [2].

Receptis litteris apostolicis, Carolus Magnus ab omni ulteriore criminatione contra Græcorum loquendi modum abstinuisse videtur; omnem tamen diligentiam adhibere non destitit, ut doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio a theologis latinis elucidaretur, omnibusque ad publicam professionem proponeretur. Ejus consilio, celeberrimus Alcuinus, ut videtur, suum de processione Spiritus Sancti libellum conscripsit, primum rudimentum hanc quæstionem ex professo tractans [3]. Hocce opusculum in tres divi-

1. *Epistola Hadriani papæ ad Carolum regem de imaginibus. P. L.*, t. XCVIII, col. 1249. Caroli infensus animus adversus Græcos et synodum septimam non solum rationibus theologicis, verum etiam motivis politicis et domesticis optime illustratur. Byzantini enim Francorum æmuli erant, quod dominationem spectat in Italiæ provincias. Præterea notandum est imperatricem Irenen, quæ septimam synodum convocavit, primum quidem anno 781 fœmus cum Carolo pepigisse, et filiam Caroli primogenitam Constantino Irenes filio tunc fuisse desponsatam; postea vero Irenen pactis non stetisse, et filio quamdam Armenam sponsam dedisse. Cf. Hefele-Leclercq, *op. cit.*, t. III, appendix VII, p. 1240 sq.

2. Tres tantum textus ex his quæ profert Hadrianus, ad processionem æternam directe respiciunt. Primus est professio fidei S. Gregori Thaumaturgi : *Unus Spiritus Sanctus ex Deo substantiam habens, et per Filium apparens, imago Filii perfecti perfecta.* Alter ex epistola sancti Basilii ad Amphilochium desumptus est : *Unus Spiritus sanctus per unum Filium uni Patri conjunctus,* δι' ἑνὸς Υἱοῦ τῷ ἑνὶ Πατρὶ συναπτόμενον. Lib. I, *de Spiritu Sancto ad Amphilochium*, § 45. Tertius est celeberrimus ille locus sancti Cyrilli Alexandrini in libro I *de adoratione in Spiritu*, ubi duæ formulæ, latina videlicet et græca, conveniunt.

3. *P. L.*, t. CI, col. 64-82. Alcuinus loquitur etiam de processione Spiritus Sancti in suo opusculo : *De fide sanctæ et individuæ Trinitatis libri tres. P. L., ibid.*, col. 11-64. Vide lib. I, cap. IV et V, col. 16, 17; lib. II, cap. XIX, XX, col. 35, 36 : *Æqualiter a Patre et Filio procedit..., totus de Patre procedit, et totus de Filio; totus in Patre manet, et totus in Filio, quia sic manet, ut procedat; sic procedit, ut maneat.*

ditur partes; in prima, ostenditur Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio testimoniis Scripturæ, conciliorum et sanctorum Patrum; in altera, Spiritum Sanctum esse Patris et Filii Spiritum; in tertia vero, Spiritum Sanctum mitti a Patre et Filio.

Item, Carolus auctor fuit, ut additio vocis *Filioque* ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, quæ jam ab anno 589 apud Hispanos recepta erat [1], in Ecclesiis Galliæ et Germaniæ ubique comprobaretur et usurparetur, utque symbolum sic auctum intra missarum solemnia cantaretur [2].

Eamdem additionem in Italiam superiorem invexit patriarcha Aquileiensis, Paulinus II, qui postquam anno 794 synodo Francofordiensi interfuerat, synodum ipse Forum julii anno 796 (vel 797) congregavit, in qua additionem vocis *Filioque* ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum longo

1. Hæc additio primum introducta est a synodo Toletana tertia (589) sub rege Recaredo, qui publice recitavit symbolum Nicæno-Constantinopolitanum cum verbis : *Credimus et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, ex Patre Filioque procedentem*, Mansi, *Amplissima Collectio conciliorum*, t. IX, col. 981. Canon dogmaticus tertius ejusdem synodi anathemate plectit eos, qui negant Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere. *Ibid.*, col. 985, dum secundus canon disciplinaris præcipit, ut symbolum 150 Patrum, secundum formam orientalium Ecclesiarum per omnes Hispaniæ et Galliciæ ecclesias recitetur; ut, priusquam dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur. *Ibid.*, col. 993. Idem symbolum cum *Filioque* recitatum invenimus in Actis multorum conciliorum, quæ post hoc tertium Toleti congregata sunt, v. g., in octavo (653), in duodecimo (681), in tertio decimo (683), etc.

2. Cantus symboli cum *Filioque* in capella Caroli verisimiliter incepit circa annum 780. Certum est hunc usum receptum fuisse, anno 807. Item extra dubium est jam ab anno 794 additionem ad symbolum in aula Carolina probatam fuisse, ut videre est ex Capitulari hoc anno ad Hadrianum papam a Carolo misso, in quo Tarasius redarguitur de eo quod non recte sentiat circa processionem Spiritus Sancti « *secundum Nicæni symboli fidem*, sed ex Patre per Filium cum procedentem in suæ credulitatis lectione profiteatur. » *P. L.*, t. XCVIII, col. 1249. Antequam vox *Filioque* ad symbolum adderetur in Ecclesiis Galliæ, jam in præfatione missæ, doctrina de processione ab utroque palam profitebatur. Legimus enim in quadam missa liturgiæ gallicanæ, quæ a fine sæculi septimi repetitur, hæc verba : « Dignum et justum est, vere æquum et justum est nos tibi gratias agere, omnipotens, æterne, Deus, Pater, Unigenite. *Spiritus Sancte ex Patre et Filio mystica processione subsistens.* » *P. L.*, t. CXXXVIII, col. 867.

sermone contra futuras Græcorum criminationes diserte probavit ac defendit :

« Scio, inquit ille, quibusdam in synodalibus foliis esse sancitum, *ad refellendas siquidem novas et multiplices hæreses...*, *non licere cuiquam alterius fidei symbolum docere vel componere. Sed absit a nobis proculque sit ab omni corde fideli, alterum vel aliter quam illi instituerunt, symbolum vel fidem componere* vel docere. Sed juxta eorum sensum ea fortasse, quæ propter veritatis compendium, minus quam decet, a simplicibus vel indoctis intelliguntur, exponendum decrevimus tradere ac memoria mandavimus eam ipsumque textum symboli retinere; quatenus, juxta Apostolum, idoneus sit homo Dei ad omne opus bonum paratus, ad resistendum non sanæ fidei [1]... Enimvero non est in argumento fidei addere vel minuere ea quæ a sanctis Patribus bene salubriterque sunt promulgata, secundum eorum sensum recte sentire, et exponendo, eorum subtile supplere ingenium; *sed addere vel minuere, est subdole contra sacrosanctum eorum sensum, aliter quam illi, callida tergiversatione diversa sentire, et confuso stylo perversum dogma componere* [2]. »

Allato autem exemplo centum quinquaginta Patrum, qui Nicænæ definitioni quædam addiderunt, sermonem prosequitur, dicens :

« *Postmodum, propter eos videlicet hæreticos, qui susurrant Spiritum Sanctum solius esse Patris et a solo procedere Patre*[3], additum est : *Qui ex Patre Filioque procedit.* Et tamen non sunt hi Patres culpandi quasi addidissent aliquid vel minuissent de fide trecentorum decem et octo Patrum, *quia non contra eorum sensum diversa senserunt*, sed immaculatum eorum intellectum sanis moribus supplere studuerunt [4]. »

1. In fine sermonis, Paulinus suffraganeis episcopis præcipit, ut memoriter addiscant longam fidei professionem, quæ incipit a symbolo Nicæno-Constantinopolitano cum *Filioque. P. L.*, t. XCIX, col. 292. Item canone 15 synodus jubet, ut omnis christianus symbolum et orationem dominicam memoriter sciat, col. 295.

2. *Ibid.*, col. 286.

3. Quinam sunt hi hæretici qui susurrant Spiritum Sanctum solius esse Patris, et a solo procedere Patre? Num Græci? Num ariani hispani? Num adoptiani? Paulinus, ut nobis videtur, Græcos tacite impetit, quorum doctrinam non bene perspicit.

4. *Ibid.*, col. 287.

## ARTICULUS VI

### De controversia initio sæculi IX, Leone papa III sedente, exorta. De mente S. Leonis papæ III circa processionem Spiritus Sancti.

Carolo Magno adhuc regnante, nova litigatio de processione Spiritus Sancti inter Græcos et Latinos in Palestina, anno Domini, 808 exorta est. Commorabantur tunc in Monte Oliveti, prope Hierosolymam, quidam monachi occidentales, regulæ benedictinæ addicti, quibus patrocinabatur Carolus Magnus. Hic khalifi Haroun-Al-Raschid erat amicus, et ab eo quamdam dominationem honorariam in civitatem sanctam Jerusalem acceperat. Monachi Montis Oliveti symbolum Nicæno-Constantinopolitanum cum additione vocis *Filioque* Hispanorum et Francorum more recitabant, et etiam, ut verisimiliter conjici potest, in missa canebant [1].

1. Hæc consuetudo jam per Ecclesias Galliæ et Germaniæ invaluerat. Quidam auctores, ut Hefele, *Histoire des conciles*, trad. Leclercq, t. III, p. 1127, 1128, et post eum A. Palmieri, art. *Filioque* in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, col. 2315, gratis supponunt hanc consuetudinem monachos Montis Oliveti amplexos esse, postquam duo ex illis, Felix scilicet et Georgius, qui et Engelbaldus, patria Germanus, ex Occidente ad sanctam civitatem reversi sunt. Monachus enim Engolismensis anonymus, qui Caroli Magni vitam scripsit, horum duorum mentionem facit ad annum 807 his verbis : « Legatus regis Persarum (seu potius Arabum), nomine Abdella, cum monachis de Jerusalem qui legati erant Thomæ patriarchæ, id est, Georgius et Felix (quorum Georgius, abbas de Monte Oliveti, patria Germanus, proprio nomine Engelbaldus dicebatur) pervenerunt ad imperatorem, munera deferentes... Imperator legatum et monachos per aliquantum tempus secum retinens, in Italiam direxit, ibique eos tempus navigationis exspectare jussit. » Hos monachos non fuisse ad sancta Palæstinæ loca reversos, quando Joannes Hierosolymitanus eorum confratres hæreseos accusavit, ex hoc colligere est, quod eorum nomina non apparent in fine epistolæ a monachis monasterii ad Leonem III missæ. Nominantur tantummodo Dominicus, Theodorus, Arimundus, Gregorius, Joannes, Leo. Atqui si Georgius seu Engelbaldus, qui abbas erat monasterii, tunc adfuisset, utique subscripsisset. Unde certum est Benedictinos, jam inde a suo adventu ad Montem Oliveti, symbolum cum *Filioque*

Quod cum animadvertisset monachus et presbyter quidam Hierosolymitanus, cujus nomen Joannes erat, de monasterio Sancti Sabæ [1], illos hæreseos insimulavit, et non parvam illis molestiam attulit, ita ut ipse patriarcha sanctæ Civitatis Thomas de hoc curare coactus fuerit. Pro sua defensione, Benedictini Ecclesiæ romanæ auctoritatem prætenderunt, affirmaverunt se audivisse in capella Caroli imperatoris dici in symbolo fidei : *Qui ex Patre Filioque procedit*, protuleruntque textus ex operibus sancti Gregorii papæ, ex regula sancti Benedicti necnon ex symbolo athanasiano desumptos, in quibus doctrina de processione Spiritus Sancti ab utroque diserte exprimebatur. Hoc non contenti, ad Leonem papam III satis longam miserunt epistolam, in qua ingenue sincereque narrant omnia quæ sibi obvenerunt, ex quo Sabaïta ille Joannes illos appellare cœpit hæreticos [2]. In fine, Summum Pontificem rogant, *ut dignetur inquirere tam in Græco quam in Latino de sanctis Patribus, qui symbolum composuerunt istum sermonem, ubi est, « ex Patre Filioque procedit. » Et in Græco non dicunt sicut nos, sed dicunt : « Qui ex Patre procedit. » Et vident istum sermonem gravem, quem nos dicimus in Latino. Et mandare digneris domno Carolo imperatori filio vestro, quod nos istum sermonem audivimus in ejus capella : Qui ex Patre Filioque procedit* [3].

Lecta hac epistola, papa monachis misit fidei professionem in qua diserte declaratur dogma catholicum circa processio-

recitasse, et etiam, ut verisimile est, in missa cantasse. Cæterum, ipsi monachi in sua epistola fatentur se audivisse cantum symboli cum Filioque in capella imperiali, quippe qui antequam Hierosolymam proficiscerentur, Aquisgrani Carolo se præsentaverant.

1. Petrus Pithœus falso existimavit hunc Joannem alium non esse a sancto Joanne Damasceno; hic autem anno 749 jam obierat. Attamen animadverte hunc Joannem fuisse monachum monasterii sancti Sabæ, ubi Damascenus pariter degerat, et sua opera theologica pleraque conscripserat. Vidimus autem supra Damascenum non approbasse formulam Latinorum : *ex Filio procedit seu existentiam habet Spiritus Sanctus*, sed dixisse : *Spiritus a Patre per Filium procedit.*

2. *Epistola peregrinorum monachorum in Monte Oliveti habitantium ad Leonem III Pontificem romanum. P. L.*, t. CXXIX, col. 1257-1259. Invenitur etiam in *dissertatione Damascenica I* doctissimi Lequien, *P. G.*, t. XCIV, col. 206, 207.

3. *Ibid.*, col. 1259.

nem Spiritus Sancti [1]. Hoc symbolum non solum ad monachos Montis Oliveti, sed etiam ad omnes orientales Ecclesias dirigebatur. Hic transcribimus quæ proposito congruunt :

« Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus orientalibus Ecclesiis. Hoc symbolum orthodoxæ fidei vobis mittimus, ut tam vos quam omnis mundus, secundum Romanam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, rectam et inviolatam teneatis fidem. Credimus sanctam Trinitatem, id est Patrem, Filium et Spiritum Sanctum *a Patre et a Filio æqualiter procedentem*... Pater plenus Deus in se. Filius plenus Deus a Patre genitus. *Spiritus Sanctus plenus Deus a Patre et Filio procedens... Qui secundum hanc fidem rectam non crediderit, hunc damnat sancta, catholica et apostolica Ecclesia, quæ fundata est ab ipso Jesu Christo Domino nostro, cui est gloria in sæcula. Amen* [2]. »

Nescimus an Leo III alia documenta ad Benedictinos miserit, quidve de recitatione symboli Nicæno-Constantinopolitani cum *Filioque* illis dixerit. Valde probabile est illum de hac re omnino tacuisse. Illi satis fuit Orientalibus fidem Romanam declaravisse, quin salebrosam quæstionem de additione ad symbolum attingeret. Interea, epistolam monachorum ad Carolum transmisit una cum alia epistola a Thoma Hierosolymorum patriarcha per Agamum et Roculphum accepta [3].

Carolus, his litteris perlectis, Theodulphum Aurelianensem episcopum rogavit, ut quoddam opus de processione Spiritus

1. *P. L.*, *ibid.*, col. 1260-1262.

2. *Ibid.*

3. Transmisit etiam ad Carolum symbolum orthodoxæ fidei quod ad monachos Montis Oliveti et ad Orientales direxerat. Vide epistolam papæ de hac re Carolo scriptam, in *P. L.*, t. CXXIX, col. 1259-1262. Mirum est Thomam patriarcham legationem ad papam misisse, statim post discessum missorum monasterii Montis Oliveti, quorum unus erat presbyter Joannes. Non enim legati monachorum iidem fuerunt ac legati Thomæ. Dicit enim papa in sua epistola ad Carolum, postquam de epistola monachorum locutus est : « Interea revertentes præsentes fideles vestri, Agamus videlicet et Roculphus, ab Hierosolymis detulerunt nobis epistolam Thomæ Hierosolymorum patriarchæ, quam relegentes reperimus, ut per nostram precatoriam epistolam vestræ pietati commendaremus. » Lequien supponit Agamum et Roculphum monachos fuisse benedictinos. *Loc. cit.*, col. 208; quod affirmare non ausim.

Sancti ad elucidandam catholicam doctrinam conscriberet. Quod et fecit ille in suo tractatu *De Spiritu Sancto*, imperatori dicato, ubi veterum Patrum quum Latinorum tum Græcorum non pauca testimonia collegit [1]. Smaragdus item abbas Sancti Michaelis, prope Virdunum in Lotharingia, opellam de eadem quæstione edidit, in qua probationem ex Sacræ Scripturæ locis potissimum confecit [2].

Hæc duo scripta examinata et approbata fuerunt a synodo episcoporum, quam mense Novembri anni 809, Aquisgrani, Carolus convocavit. In hac synodo, doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio definite confirmata est. Certum etiam videtur additionem vocis *Filioque* ad symbolum ab eadem fuisse solemni sententia approbatam, sancitumque usum cantandi in missa symbolum cum præfata additione. Mense sequenti, imperator Acta hujus synodi una cum dissertatione Smaragdi (et forsan cum aliis documentis), per Bernarium Wormaciensem episcopum et Adelardum abbatem Corbeiensem, ad Leonem papam misit.

Anno 810 ineunte, Summus Pontifex legatos imperiales in secretario Sancti Petri recepit. Lecta sunt Acta synodi Aquisgranensis una cum testimoniis Sacræ Scripturæ et sanctorum Patrum de processione Spiritus Sancti ab utroque. His auditis, ut narrat Smaragdus [3], qui collationi interfuit, papa dixit :

1. Theodulphi Aurelianensis episcopi *liber de Spiritu sancto. P. L.*, t. CV, col. 239-276. Auctor ex Patribus græcis citat Athanasium, Cyrillum, Didymum, Proclum. Verum loci ex Athanasio sunt spurii, et locus unicus ex Proclo non est ad rem. Ex Latinis laudat Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Isidorum, Prosperum, Fulgentium, Hormisdam papam, Leonem, Vigilium Tapsensem, Cassiodorum, Prudentium poetam, Agnellum Ravennatensem.

2. Dissertatio Smaragdi de processione Spiritus Sancti invenitur inter epistolas Caroli Magni, in *P. L.*, t. XCVIII, col. 923-929. Textus sacræ Scripturæ a Smaragdo allati non æqualem vim habent ad probandam processionem ab utroque. Theologia latina de hac questione adhuc in cunis erat. Notandum tamen Smaragdum distinctionem afferre augustinianam inter processionem Spiritus Sancti a Patre et processionem a Filio : *Spiritus Sanctus nondum de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit; quamvis hoc Filio Pater dederit, ut, quemadmodum de se, ita quoque de illo procedat*, col. 929.

3. *Acta collationis romanæ descripta a Smaragdo, abbate Sancti Michaelis. P. L.*, t. CII, col. 971-976. Vide etiam collectiones conciliorum.

« *Ita sentio, ita teneo cum his auctoribus et sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit, defendo*, et nisi conversus fuerit, et secundum hunc sensum tenere voluerit, contraria sentientem funditus abjicio[1]. »

Quando vero ad decretum synodi de additione vocis *Filioque* ad symbolum necnon de ejus cantu in missa ventum est, tunc papa amice cum legatis disputare cœpit. Doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio disertis verbis rursum approbavit, dixitque esse optimum illam omni modo, sive sermonibus, sive cantibus, sive etiam professionibus fidei particularibus evulgare ac prædicare, quamvis hæc veritas revelata ad numerum earum non pertineat, quæ scitu necessaria sunt ad salutem. At hoc illi maxime displicuit, quod Ecclesiæ regni Caroli, se inscio et inconsulto, vocem *Filioque* symbolo inseruissent :

« Ego, ait ille, licentiam dedi cantandi symbolum in Missa; non autem cantando quidpiam addendi, minuendi, seu mutandi; et ut expressius aliquid, quia vos cogitis, loquar, quamdiu vobis in hoc satis fuit, quomodo in hujusmodi cantando vel celebrando in sacrosanctis mysteriis sancta romana tenet Ecclesia, nequaquam aut nobis in talibus laborare, aut aliis laborandi occasionem necesse fuit ingerere. Quod vero asseritis, ideo vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse, quid ad nos? Nos enim id ipsum non cantamus, sed legimus, et legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere quidpiam eidem symbolo inserendo præsumimus. Quæ vero prædictis symbolis tantum non congruentia deesse cognoscimus, non, ut sæpe dictum est, inserere præsumimus, sed locis temporibusve opportunis, quibus competit ministrare curamus[2]. »

Papa vero legatis Caroli rationes indicat, ob quas omnem additionem ad symbolum refugiat. Prima ratio hæc est :

« Patres qui symbolum condiderunt hanc vocem *Filioque* non addiderunt, multaque alia omiserunt, quamvis non minus quam nos omissa noverint et intellexerint. Sic egerunt non humana ducti sapientia, sed divino afflati con-

1. *Ibid.*, col. 971.
2. *Loc. cit.*, col. 975.

silio. Unde nos debemus illorum vestigiis inhærere neque nosmetipsos illis sapientiores existimare [1]. »

*Secunda :* « Principales synodi sequentes, Chalcedonensis scilicet quarta, Constantinopolitana quoque quinta et sexta ut novum ultra symbolum a quoquam qualibet necessitate, seu salvandi homines devotione, condere, et in veteribus tollendo, addendo, mutando ve quidpiam inserere prohibuerunt [2]. » Et hæc prohibitio, juxta Leonis sententiam, non sic intelligenda est, ut tantummodo vetitæ sint symboli hæreticæ adulterationes, sed etiam ut non liceat privatis personis vel particularibus Ecclesiis pro libitu symbola fidei condere, vel in veteribus fidei professionibus aliquid additione vel suppressione immutare, etiamsi mutationes istæ fidem non læderent [3].

*Tertia :* Nulla adest necessitas symbolo inserendi veritates revelatas ibi non expressas, quamvis eas fide explicita profiteri debeant illi quibus innotescunt. Cæterum adsunt alia media illas publicandi et docendi [4].

Præter has rationes, quas sanctus Pontifex legatis Caroli patefecit, alias quidem, quas tacuit, illum habuisse verisimiliter conjicere possumus. Nolebat enim ille prudens totius Ecclesiæ summus Pastor intempestivis controversiis inter Græcos et Latinos ansam præbere, præsertim dum cernebat Byzantinos erga Romanam Ecclesiam infenso animo esse ob instaurationem imperii Occidentis, anno 800, ab ipso Leone perfectam. Insuper eorundem simultates cum Francis

1. « Tu et tui videte quid sentiatis de vobis. Nam et ego me illis non dico præferam, sed etiam illud absit a me, ut coæquare præsumam, » col. 973.

2. Col. 972.

3. « Hæc defensio, vel, si dici liceat, tergiversatio, non huc, respicit, non istud intendit, quia non idem Patres discernendo vel decreverunt, nec sanxerunt, ut ipsum benevolus præsumeret, non malevolus, sed *tantummodo nullus,* » col. 975. Hæc interpretatio prohibitionum synodalium nimis arcta videri potest. Notandum est tamen papam illam restringere ad privatos vel ad Ecclesias particulares, non autem eam extendere ad supremam in Ecclesia auctoritatem, ad papam scilicet et ad concilium œcumenicum, quasi Ecclesia in primis conciliis potestatem sibi ipsi ademisset quidpiam in littera symboli Nicano-Constantinopolitani addendi vel mutandi, sicut contenderunt quidam Græci posteriores, et præsertim Marcus Ephesius, in synodo Florentina.

4. Col. 973 C.

ob motiva politica, illamque perantiquam Occidentales inter et Orientales mutuam aversionem apprime noverat. Cæterum Græci doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti non negaverant; neque cum Joanne illo monacho, qui Benedictinos Montis Oliveti hæreticos appellaverat, sentiebat patriarcha Hierosolymitanus Thomas, qui amice ad papam scripsit. Quare ergo omnium Ecclesiarum mater ac magistra romana Ecclesia, nulla necessitate cogente, nulla hæretica negatione exsurgente, sua suprema auctoritate sanxisset additionem ad venerandam fidei formulam, ex qua schismatum semina in Oriente germinare possent? Nonne Leoni satis erat dogma catholicum in tuto posuisse, omnibusque Orientalibus fidem Ecclesiæ romanæ circa processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio per symbolum ad monachos Benedictinos missum aperte declarasse, quin symboli Nicæno-Constantinopolitani integritatem attentaret? Unde mirandum non est, quod ad hanc tandem conclusionem devenerit illa amica inter legatos et papam disputatio :

« Ergo, ut video, unus ex missis ait, illud a vestra paternitate decernitur, ut primo illud, de quo in quæstione agitur, de sæpe fato symbolo tollatur, et tunc demum a quolibet licite ac libere, sive cantando, sive tradendo, discatur et doceatur.

*Papa.* — Ita procul dubio a nostra parte decernitur; ita quoque, *ut a vestra assentiatur, a nobis omnimodis suadetur.*

*Missi.* — Quamquam ergo, ut supra ipse dixisti, pro ambarum partium quæritur salute quod quæritur, sublatis his, quæ vultis, bonum est, ut idem symbolum cantetur.

*Papa.* — Bonum sane. Quod tamen non imperando, sed ut prius, permittendo dicimus; quia illud, sicuti tunc, ita et nunc, si sincere agatur, utile indigentibus esse posse non ignoramus.

*Missi.* — Quia vero, ut dicitis, et verum dicitis, bonum est cantare id ipsum symbolum, numquid enim si sermo plenus recta fide e medio tollatur, idem sermo ab omnibus, ac si contra fidem sit, condemnabitur? Quale ergo dabis consilium, ne idipsum ad aliquod transeat exitium?

*Papa.* — Si priusquam ita cantaretur, interrogatus essem, ne insereretur utique respondissem. At nunc, quod *tamen*

*non affirmando*, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur posse utrumque fieri : *ut paulatim in palatio, quia in nostra sancta Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem symboli intermittatur : sicque fiat, ut quod idipsum ut cantaretur, non quælibet imperantis auctoritas, sed potius audiendi id fecerat novitas. Si dimittatur a vobis, dimittetur ab omnibus : et ita fortasse, quantum esse potest, non incongrue utrumque fieri possit : ut quod jam nunc a quibusque prius nescientibus recte creditur, credatur, et tamen illicita cantandi consuetudo sine cujusque fidei læsione tollatur* [1]. »

Hæc ingeniosa ad propositam difficultatem solvendam a papa adinventa solutio, quam ipse non per modum præcepti sed per modum instantis consilii legatis Caroli declarabat, imperatori non arrisit. Consuetudo cantandi symbolum cum additamento non derelicta fuit, sed magis ac magis in dies per Ecclesias Galliæ et Germaniæ fere omnes invaluit, ut scimus tum ex Walafrido Strabone (849) [2], tum ex Ænea Parisiensi, qui circa annum 868 suum adversus Græcos librum conscripsit [3].

Leo III autem, ut omnibus palam ostenderet suam erga symbolum Nicæno-Constantinopolitanum venerationem, suum erga Patres amorem, et præsertim suam prudentem de pace ecclesiastica sollicitudinem ab omni novitate inutili ac periculosa alienam, symbolum sine additamento exarandum curavit *supra duos ex argento scutos* (seu tabulas), *unum quidem litteris græcis, alterum vero latinis scriptum, pensantes argenti libras nonaginta quatuor et uncias sex; quos ad Confessionem sancti Petri, in ejus Basilica, hinc inde affixit* [4].

Hi duo scuti seu tabulæ argenteæ apud Sanctum Petrum diu remanserunt. Sæculo XI mediante, Petrus Damianus

1. *Ibid.*, col. 976.

2. *De ecclesiasticarum rerum exordio et incremento*, XXII, *P. L.*, t. XCIV, col. 947.

3. *Liber adversus Græcos*, XCIII, *P. L.*, t. CXXI, col. 721.

4. « *Hic*, ait Anastasius bibliothecarius in *Vita S. Leonis III*, *pro amore et cautela orthodoxæ fidei fecit ubi supra scutos ex argento, scriptos utrosque symbolo, unum quidem litteris græcis, et alium latinis.* » Duchesne, *Le Liber pontificalis*, Paris, 1892, t. II, n. 84, p. 26.

illas ibi videt [1]; et ibidem adhuc erant circa finem sæculi XIII, ut testatur Joannes Vekkus in sua *Refutatione Photii* [2].

Photius ipse bis loquitur de iisdem scutis, quos vocat θυρεούς, in *epistola ad archiepiscopum Aquileiensem*, et ἀσπίδας in *Mystagogia Spiritus Sancti* [3]. Verum multipliciter errat in iis, quæ narrat de agendi ratione Leonis papæ III circa quæstionem de processione Spiritus Sancti :

Primo quidem, sancto Leoni papæ IV (847-855) tribuit ea quæ ad S. Leonem papam III (795-816) referri debent [4];

2° Actum hujus Leonis junioris, de quo loquitur, illos duos scutos affigentis, ita interpretatur, ac si papa pro tuenda sententia photiana de processione Spiritus Sancti a Patre solo id egisset [5];

1. *Opusculum* 38 *contra errorem Græcorum de processione Spiritus Sancti*, cap. II : « Beatus etiam Leo papa in argentea tabula, quæ ante sacratissimum corpus *B. Pauli Apostoli*[?] videtur erecta, inter ceteras fidei suæ symbolas ait : « *Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et glorificandum.* » *P. L.*, t. CXLV, col. 635. Cf. etiam Abaelardum, *Introductio in theologiam*, II, 14, *P. L.*, col. CLXXVIII, 1075, et P. Lombardum, *lib. I Sent.*, distinct. XI, *P. L.*, t. CXCII, col. 552.

2. « Tabellæ illæ, quæ in repositoriis Sanctorum Petri et Pauli repositæ erant, *ex ære factæ* (καὶ χαλκοῦ πεποιημέναι ἀσπίδες), in quibus sacrum fidei symbolum græca lingua inscriptum erat atque romana, ibi locorum sunt, ubi eas Leo papa collocavit; et symbolum secundum utramque dialectum, sicut nobis ii qui in loco id didicerunt, asseverarunt, ubique apud Romanos recitatur. » Joannis Vecci *Refutatio photiani libri de Spiritu Sancto*, *P. G.*, t. CXLI, col. 848.

3. *P. G.*, t. CII, col. 380 A, 900 B.

4. « Nuperrime, nondum enim secunda generatio præteriit, Leo ille celeberrimus, qui et miraculorum gloria claruit, omnem omnibus exscindens hæreticum prætextum, » etc., *ibid.*, col. 376. Cum Photius scribat circa annum 895, ea quæ de Leone dicit, intelligi non possunt nisi de Leone IV, cujus fama, ut in ejus *Vita* narratur, multis percrebuit miraculis.

5. πᾶσαν ἀπάντων ἐκκόπτων πρόφασιν αἱρετικήν. *Ibid.* In *epistola ad archiepis. Aquileiensem* dicit Leonem præfatos scutos ob omnium oculos collocasse, « ne via esset, occultis depravatoribus ac vanarum doctrinarum auctoribus adulterandi nostram christianam fidem, alteramque, præter Patrem, nempe Filium, invehendi causam Spiritus, qui pari honore, quo a Patre Filius genitus est, a Patre procedit, » καὶ δεύτερον αἴτιον εἰσάγειν, παρὰ τὸν Πατέρα, τὸν Υἱόν. Col. 900 B. In Mystagogia, hæc addit : « Causa autem cur id in animum induxerit (scilicet, cur præceperit, ut symbolum græce recitaretur in omnibus

3° Quoddam decretum ab eodem Pontifice latum fuisse somniat, vi cujus non solum Romæ, sed etiam per omnes Occidentis Ecclesias symbolum Nicæno-Constantinopolitanum sine additione voculæ *Filioque* intra missarum solemnia græca lingua recitandum fuisset [1].

4° Demum, suo modo narrat factum affixionis duorum scutorum argenteorum his verbis :

« Divinus autem Leo non ad ea solum, quæ diximus, bonam istam et a Deo inspiratam actionem produxit, sed etiam cum exstarent in repositoriis principum Apostolorum Petri et Pauli ab antiquissimis temporibus, florente adhuc pietate, εὐσεβείας ἀνθούσης, in sacris illis thesauris repostæ parmulæ seu tabellæ duæ, quæ litteris, verbisque græcis exhibebant sæpe memoratam nostræ fidei sacram expositionem, has jussit coram populo romano recitari conspiciendasque omnibus exponi; et multi illorum, qui tunc hæc viderunt

Occidentis Ecclesiis), præter jam dicta, fuit etiam hæresis illa, quæ nunc palam et aperte prædicatur, tunc vero intra dentes in Romanorum urbe mussitabatur. » Col. 376 B.

1. « Quoniam sacram Patrum nostrorum doctrinam enuntians, ob linguæ illius inopiam, quæ non æque late ac græca patet, non pure, nec sincere nec apposite latina gens verba aptabat sensui multisque præbebat circa fidem diversitatis suspicionem, nimia illa nominum angustia non sufficiens explicandæ ad amussim sententiæ, propterea divinus ille sapientissimusque vir in animum induxit suum... præcipere, ut lingua græca sacrum fidei symbolum etiam Romani recitarent; per hoc enim divinitus inspiratum consilium, et linguæ inopiam suppleri et reparari, et catholicis removeri diversitatis in fide suspicionem, necnon recens pullulantem impietatem radicitus a romana civitate abscindi. Quamobrem non solum in ipsa Romanorum urbe programmata et edicta posuit, ut inter sacra missarum solemnia sacrum nostræ fidei symbolum, quemadmodum et ab initio synodicis vocibus decretisque fuerat enuntiatum, græca lingua etiam apud illos ipsos, qui latine loquebantur, recitaretur, sed etiam omnibus provinciis quæ romanum pontificatum atque regimem venerabantur, idem sentire idemque peragere et sermonibus et synodicis litteris mandavit, dirisque anathematis vinculis dogmatis cavit firmitatem, τοῦ δόγματος τὸ ἀμετάθετον ἀσφαλισάμενος. » Col. 376, 377. Hæc narratio photiana omni veri similitudine destituitur. Hujus ementiti mandati romani Pontificis ad omnes Occidentis Ecclesias nullum reperitur vestigium in documentis historicis. Quomodo Photius adductus fuerit ad talem fabulam effingendam, explicare conatur Hergenröther, *op. cit.*, t. I, p. 707, 708, et in sua dissertatione : *Theologia polemica Photii contra Latinos*, in *Tubing. theolog. Quartalschrift*, 1858, t. IV, p. 607-613.

et legerunt, etiam nunc inter vivos adhuc degunt [1]. »

Sed de monachis Montis Oliveti iterum. Candide fatendum nos pene ignorare quid illis contigerit, postquam epistolam papæ receperunt. Unum tantum ex *Vita sancti Michaelis Syncelli* elucet, controversiam scilicet inter Benedictinos et Hierosolymitanos Græcos de *Filioque* non statim fuisse sopitam. Aliæ legationes tum, ut verisimile est, ex parte monachorum, tum, ut certum est, ex parte patriarchæ Thomæ, ad Summum Pontificem directæ fuerunt circa annum 813. Legati patriarchæ, Michael Syncellus, Job monachus et fratres ambo Theodorus et Theophanes *Grapti* dicti, Romam pervenire non potuerunt [2]. Quantum conjicere possumus, ad hoc missi erant, ut a Summo Pontifice postularent uberiorem explicationem circa doctrinam Occidentalium de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, dum monachi, forsan, illum de additione vocis *Filioque* ad symbolum interrogaturi essent, eo quod ejus litteræ tum ad illos tum ad Orientales de hac re silerent. Valde probabile est hanc litem sensim sedatam fuisse, et monachos Montis Oliveti suam pristinam consuetudinem recitandi symbolum cum additamento retinuisse. Nulla alia controversia inter Græcos et Latinos de processione Spiritus Sancti ab historicis memoratur ante Photium.

Porro, ut ex dictis liquet, quando Photius, in sua encyclica epistola ad Orientales, litem iterum movit, tota Ecclesia occidentalis fide explicita credebat et palam profitebatur Spiritum Sanctum *æqualiter a Patre et a Filio procedere*, quamquam hoc dogma nondum omni ex parte elucidatum erat penitusque investigatum. Theologis latinis satis erat doctrinæ Patrum, præsertim sancti Augustini, inhærere, locosque ex eorum operibus haustos contra adversantes proferre. Insuper, additio voculæ *Filioque* ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum jam apud omnes fere Occidentis Ecclesias, præter romanam, obtinuerat [3], atque idem sym-

1. *Ibid.*, col. 380. Cf. *Epist. ad archiep. Aquileiensem*, col. 800.

2. S. Vailhé, *S. Michel le Syncelle et les deux frères Grapti*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. VI (1901), p. 324 sq., 610 sq.

3. Hoc certum est pro Hispania, Gallia, Germania, Italia septentrionali. Ad Angliam quod attinet, scimus in hac regione doctrinam de processione ab utroque in publicis fidei confessionibus propositam

bolum intra missarum solemnia communiter cantabatur vel recitabatur. Symbolum etiam Athanasianum dictum, in quo processio ab utroque disertis verbis exprimitur, ubique vulgatum erat, memoriter addiscebatur, et a clericis monachisque publice in officio divino recitabatur [1].

Unum tantum Latinis deerat : accurata græcorum Patrum byzantinæque theologiæ notitia. Proferunt quidem theologi Carolingiani ex sancto Cyrillo Alexandrino, ex Didymo, Athanasio et Basilio testimonia quædam pro doctrina de processione ab utroque; sed ex his non pauca sunt spuria, præsertim ea, quæ sub Athanasii nomine citantur; quæ vero genuina sunt, non semper rei conducunt et nonnisi ex parte traditionem græcam referunt. Significatio specialis verbi græci ἐκπορεύεσθαι apud theologos byzantinos coævos, præsertim apud S. Joannem Damascenum, illos omnino latet; neque clare perspiciunt Græcorum de Trinitatis mysterio conceptum in formula *Ex Patre per Filium* expressum; subtilisque differentia, quæ inter hunc et Latinorum loquendi modum existit, illos effugit.

Græci autem traditionem theologiamque latinam penitus ignorant. Patres doctoresque Occidentis non legunt, quorum linguam non intelligunt. Attamen in libris suorum Patrum Didymi præsertim, Athanasii, Basilii, Gregorii Nysseni, Epiphanii, Cyrilli Alexandrini, doctrinam de processione Spiritus sancti a Patre et Filio expressis, vel æquivalentibus verbis propositam facile invenire possunt, quamvis Patrum ultimus, Joannes Damascenus de hac quæstione obscurius

fuisse, ut videre est v. g., ex epistola synodica concilii Heathfeldensis (680), cujus ultima verba hæc sunt : « Glorificantes Deum Patrem... et Spiritum Sanctum *procedentem ex Patre et Filio* inenarrabiliter. » Beda, *Hist. eccles.*, IV, 17, *P. L.*, t. XCV, col. 199. Nota huic concilio præfuisse Theodorum archiepiscopum Cantuariensem, ex Cilicia oriundum, quem Vitalianus papa in Angliam miserat.

1. Tempore Caroli Magni, symbolum Athanasianum sæpe a scriptoribus ecclesiasticis laudatur. Monachi Montis Oliveti Joanni Sabaitæ illud objiciunt. Circa finem sæculi IX, synodus quædam Sipontina, in Italia meridionali, suo canone quinto sancit : *ut fidem Athanasii cum interpretatione amodo omnes diligenter sciant et possint in commune referre. Ipsam namque sanctam catholicam fidem omni die dominico universi sacerdotes decantant.* » Cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des conciles*, t. III, p. 2227.

sit locutus. Cæterum neque hic, neque ex aliis ullus hoc diserte docuit, quod Photius mox prædicaturus est : Spiritum Sanctum scilicet *a Patre solo*, Filio excluso, procedere.

## ARTICULUS VII

### Theologiæ photianæ de processione Spiritus Sancti expositio ac discussio.

#### Prænotamina.

Verene Photius novæ hæreseos adinventor fuit ac propugnator? Num ita a Patre solo Spiritum Sanctum procedere pronuntiavit, ut quamlibet in hac processione Filii participationem omnino excluserit? An homo in doctrina græcorum Patrum tam bene versatus potius logomachus fuerit quam hæreticus? Nonne significatio specialis verbi ἐκπορεύεσθαι, quam supra innuimus [1], opportunissimam logomachiæ ansam præbebat? Nonne ipse Photius scripsit : *Quis sanctorum et gloriosorum nostrorum Patrum dixit Spiritum a Filio* ἐκπορεύεσθαι?... *Neque divinis sacrarum Scripturarum neque humanis sanctorum Patrum eloquiis ad verbum unquam enuntiatum fuit Spiritum* ἐκπορεύεσθαι *a Filio* [2].

Ad hæc respondendum est : Sine ulla controversia Photius veræ novitatis in fide auctor fuit, et tam a græcorum [3], quam a latinorum Patrum doctrina in quæstione proposita recessit. Diserte siquidem docuit nullam relationem originis intercedere inter Filium et Spiritum Sanctum. Ut quidam

1. Vide supra, p. 160.

2. Τίς εἶπε τῶν ἱερῶν καὶ περιωνύμων Πατέρων τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι; — Μήτε θείοις, ἀλλ' οὐδ'ἀνθρωπίνοις καὶ πνευματοφόροις ῥήμασι κατὰ λέξιν ποτ'ἐνερρήθη τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεσθαι τοῦ Υἱοῦ. *De Spiritu Sancti mystagogia*, 5, 91, *P. G.*, t. CII, col. 284, 385.

3. Notatu dignum est Photium in modo concipiendi mysterium Trinitatis Latinis potius quam Græcis accedere. Etenim, Latinorum instar, in naturam divinam prius mentis oculum figit quam in personas, dum Græci communiter, si Antiochenos et Areopagitam excipias, personas *in recto*, naturam vero *in obliquo* considerant. Cf. quæst. CLXXXII *ad Amphil.*, *P. G.*, t. CI, col. 900 : Ἐν μὲν οὖν τοῖς πρώτοις ἡ θεοπρεπὴς φαντασία τὴν μονὴν καὶ στάσιν καὶ τὸ ἀκίνητον καὶ τὴν ταυτότητα... ἐποπτεύει.

dixit, non solum in Ecclesiam, verum etiam in ipsam Trinitatem schisma invexit, dum Spiritum Sanctum a Filio in ratione principii penitus separavit. Loco lineæ rectæ, qua Græci suam formulam *A Patre per Filium procedit* optime declarabant [1], viceque trianguli, quo Latinorum conceptus repræsentari potest, novator tanquam diagramma Trinitatis simplicem posuit angulum, cujus summitatem tenet Pater, Filium et Spiritum Sanctum hinc inde emittens [2]. Hunc esse illius genuinum errorem ex omnibus, quæ mox dicturi sumus, luce clarius constabit. Sufficiat hic unum vel alterum textum transcribere, quibus nova hæresis patefiat. In *Amphilochianis*, quæstioni : *Si ex eodem principio Filius ac Spiritus Sanctus procedunt, quomodo nec fratrum appellationem accipient, nec Filii nomen Spiritus Sanctus acquiret?* sic respondet :

« Processio (ἡ πρόοδος) a Patre, optime vir, *simul ac sine*

1. Μονὰς ἀπ' ἀρχῆς εἰς δυάδα κινηθεῖσα μέχρι τριάδος ἔστη. Gregorius Nazianzenus, Oratio XXIX, 2, *P. G.*, t. XXXVI, col. 76 B. Cf. Joan. Damasc., *De hymno trisagio*, 28, *P. G.*, t. XCV, col. 60 A, et Bessarionem, *Refutatio Marci Ephesini*, *P. G.*, t. CLXI, col. 224 A.

2. Hoc diagramma Photius expressis verbis non proponit; habet tamen figuram huic vicinam in quæst. CLXXI *Amphiloch.*, *P. G.*, t. CI, col. 896 A B, ubi Trinitatem libræ comparat. In libra enim tria invenimus, trutinam scilicet et utramque lancem : « Libræ extremitas utraque, inquit, ex parte media, quam trutinam vocant, dependet. Unde trina proprietate sua divinarum personarum differentiam subindicat; harum autem libræ proprietatum unicum est judicium et unica operatio, sicque libra et trium personarum et singularis naturæ imaginem quamdam exprimit : καὶ τριαδικῷ μὲν ἰδιώματι τὸ κατὰ τὰς ὑποστάσεις διάφορον ὑποδείκνυται, μία δὲ τούτων ἐστὶ καὶ ἡ κρίσις καὶ ἡ ἐνέργεια, καὶ ταύτῃ τριαδικὴν ἐν ἑαυτῷ καὶ μοναδικὴν θεωρίαν εἰκονίζει. » Photius. quidem locum unicuique Personæ congruum non assignat; verum, ex ejus doctrina patet medium Patrem esse trutinæque respondere, utramque vero lancem Filium et Spiritum Sanctum signare, immediate, æqualiter, at diversimode a Patre procedentes. Hanc comparationem Photius ipse non finxit, sed a Jobo monacho mutuatus est. Hujus Jobi, qui sæculo VI vivebat, Photius, in *Bibliotheca*, cod. CCXXII, *P. G.*, t. CIII, col. 736-839, *dissertationem de Verbo incarnato* resolvit, in qua comparatio hujusmodi occurrit, col. 765 CD; ibi vero medium locum Filio tribuitur. Aliam autem similitudinem ex Seraphim aliis desumptam profert Jobus, in qua Pater medium locum occupat, extrema vero Filius et Spiritus Sanctus. *Ibid.*, col. 766-768. Hujusmodi comparationes a genuino conceptu Græcorum omnino discrepant; at photiano dogmati omnino favent, quamquam Jobus de hoc prorsus non cogitavit. Bessarion, *op. cit.*, col. 220, diagramma anguli expresse notat.

*intervallo* et de Filio et de Spiritu Sancto theologice enuntiatur; nulla tamen coget ratio, ut in Filii nomen Spiritus Sanctus incidat, aut fraternam suscipiat conditionem, quia neutrum cogitare vel dicere fas est : aut Filium in Spiritum Sanctum mutari, aut illius proprietatem sibi vindicare... Non enim quia ex eodem principio a theologis uterque procedere (προϊέναι) dicitur, idcirco aut Spiritus Sanctus ex proprietate sua dimotus in filiatione collocabitur; aut Filius ab ea, quæ ipsum distinguit, generatione recedens, cum Spiritus Sancti proprietate confundetur : *ex eodem enim principio, sed non eodem pacto ambo procedunt*, ἐκ τοῦ αὐτοῦ γὰρ ἄμφω, ἀλλ' οὐχ ὁσαύτως, nec secundum eamdem proprietatem est utriusque processio. Etenim Filius procedit a Patre ut genitus, Spiritus Sanctus autem per processionem acquirit proprietatem, καὶ γὰρ ὁ μὲν Υἱὸς τοῦ Πατρὸς προῆλθε δὴ γεννητῶς, τὸ Πνεῦμα δὲ δι' ἐκπορεύσεως οἰκειοῦται ἰδίωμα [1] ».

In tertia autem homilia *contra hæreses*, hypostaticas proprietates his verbis declarat :

« Proprietatem Patris et Filii et Spiritus Sancti conservemus, ingenitum Patrem, genitum Filium, ἐκπορευτὸν Spiritum Sanctum glorificantes. Neque Filium et Spiritum Sanctum sine principio una cum Patre esse prædicemus; *Pater enim est principium et causa : Filii quidem, ut genitor — solus namque ille ex solo genitus est — Spiritus vero ut productor — etenim et is solus ex solo productus est* —; illos vero initio in tempore carere dicamus; ultra tempus namque et ultra sæculum et super omnem cogitationem hic quidem genuit, ille autem genitus, tertius vero processit. *Sed neque Spiritus in Filii generatione conscribitur, neque Filius Spiritus processionem simul cum Patre sortitur; uterque autem suam servat proprietatem puram et inconfusam*, proprietatum ac nominum diversitate substantiæ diversitatem non inducente, sed personarum differentiam indicante blasphemiamque Sabellii retundente [2]. ».

1. *Ad Amphil.*, quæst. XXVIII, *P. G.*, t. CI, col. 205-208. His plures comparationes Photius subjungit, quasdamque ita explanat, ut omnis participatio Filii in processione Spiritus sancti excludatur. Cf. infra, p. 220.

2. ἀρχὴ γὰρ ὁ Πατὴρ καὶ αἰτία τοῦ μὲν Υἱοῦ, ὡς γεννήτωρ· μόνος γὰρ οὗτος ἐκ μόνου γεγέννηται· ὡς προβολεὺς δὲ, τοῦ Πνεύματος· καὶ γὰρ καὶ τοῦτο ἐκ μόνου προβέβληται.... ὑπὲρ ἔννοιαν ὁ μὲν ἐγέννησεν, ὁ δὲ

Ut ex hoc loco et pluribus aliis liquet, nihil amplius habet Filius in Trinitate, nisi ut sit a Patre genitus; Pater vero est solus tum genitor, tum productor, προβολεύς; proprietas vero ἐκπορεύσεως activæ (sive προβολῆς) ita ei est propria, ut Filio quocumque modo sit incommunicabilis.

Quamvis novator subtilem sensus distinctionem in verbo ἐκπορεύεσθαι latentem optime noverit, — unde exclamatio supra laudata de absentia hujus vocis apud Patres — attamen alia verba usurpat tanquam huic, quoad significationem, æquiparia, verbi gratia, προϊέναι, προέρχεσθαι, προάγεσθαι, προβάλλεσθαι; negatque Spiritum Sanctum a Filio vel ex Filio προβάλλεσθαι [1], προάγεσθαι [2], προέρχεσθαι [3], προϊέναι [4]. Ei ergo alienæ sunt Græcorum posteriorum distinctiones et significationis differentiæ, quas inter hæc verba prorsus arbitrario excogitarunt, ut vim locorum patristicorum pro catholica doctrina facientium enervarent. Item, Photius, præpositionibus ὑπό et διά, quando de divinis sermo est, eumdem sensum alicubi tribuit [5], stupendasque circa præpositionum

ἐγεννήθη, τὸ δὲ ἐκπεπόρευται, οὔτε τοῦ Πνεύματος τῇ τοῦ Υἱοῦ γεννήσει συνεγγραφομένου, οὔτε τοῦ Υἱοῦ τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ Πνεύματος συγκληρουμένου, ἀλλ'ἑκατέρου τὴν ἰδιότητα καθαρὰν καὶ ἀσύγχυτον διασώζοντος. Aristarchi, Φωτίου ὁμιλίαι καὶ λόγοι. Homilia xxxvii, 12, t. i, p. 294, 295. Aristarchi, p. 272, conjicit hanc homiliam, dominica secunda Quadragesimæ, die 17 februarii anni 859, fuisse dictam; verum, rationes ab eo allatæ nullius sunt ponderis. Cum in πενταλογίᾳ contra hæreses Photius alludat ad controversiam de Spiritus Sancti processione, quæ nonnisi post expulsionem byzantinorum clericorum e Bulgaria exorta est, omnino verisimile est hanc sermonum seriem initio anni 867 fuisse prolatam.

1. Πῶς δ'οὐκ εἰς δύο αὐτοῖς διαμερισθήσεται τὸ Πνεῦμα, τὸ μὲν ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ὡς ἀληθῶς καὶ πρώτως αἰτίου προϊὸν (ἀναίτιος γάρ), τὸ δὲ ἐκ τοῦ δευτέρου καὶ αἰτιατοῦ; *De Myst. Spiritus Sancti*, *P. G.*, t. ciii, col. 321.

2. μυθολογεῖς τὸ Πνεῦμα προέρχεσθαι τοῦ Υἱοῦ. *De Myst. Spiritus Sancti*, 2, *P. G.*, *loc. cit.*, col. 281 A.

3. Εἰ γὰρ ἐξ ἑνὸς αἰτίου, τοῦ Πατρὸς, ὅ τε Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα προάγεται.. γίνεται δὲ πάλιν ὁ Υἱὸς τοῦ Πνεύματος προαγωγὸς, ὡς ἡ βλασφημία βοᾷ, κτλ. *Ibid.*, 3, col. 281 B. Cf. § 40, col. 320.

4. Εἰ προβάλλεται μὲν καὶ ὁ Υἱὸς, τὸ Πνεῦμα δὲ τῆς προβολῆς ἀπεστέρηται, καταδεεστέρας ἄν εἴη τοῦτο παρὰ τὸν Υἱὸν δυνάμεως. Aristarchi, *op. cit.*, homilia xxxix, 11, t. i, p. 319.

5. Versiculum 9, cap. i, *primæ ad Corinthios* interpretatur his verbis: δι' οὗ ἐκλήθητε ἀντὶ τοῦ· ὑφ'οὗ ἐκλήθητε, οἷον, ὁ καλέσας

significationem recentiorum adinventiones omnino ignorat.

Notandum est autem suam de processione Spiritus Sancti a Patre solo novitatem Photium proponere non ut meram opinionem theologicam, sed tanquam fidei dogma a sacra Scriptura, Patribus œcumenicisque conciliis edoctum. Unde Occidentalium doctrinam habet ut *impiam hæresim*, blasphemiam, vesaniam, amentiam, etc. [1].

Ceterum ejus sermo est semper vehementer polemicus. Adversarios acriter impetit, horrendis appellationibus increpat; « artibus omnibus utitur ad eos confundendos et refellendos. Mira est ingenii fecunditas, quæ toties dicta aliis et aliis modis novit denuo, quasi revera nova sint, producere... Latinorum doctrinam perversis non solum consectariis, sed etiam interpretationibus, fœdissimo sub aspectu ostendere totis viribus anhelat [2]. »

Totam nostram de Photii doctrina circa processionem Spiritus Sancti disquisitionem in quatuor sectiones dividimus :

1° Quæremus num Photius eamdem semper sententiam circa propositam quæstionem tenuerit, breviterque ejus agendi modum cum Latinis pro temporum diversitate describemus.

2° Exponemus ac discutiemus argumenta photiana contra dogma catholicum ex ratione theologica petita. Sophismatibus et cavillationibus novatoris breves responsiones subjungere, in lectorum commodum, necessarium ducimus. Agitur enim de re satis abstrusa et implicata.

3° Examinabimus ac breviter confutabimus photianam interpretationem quorumdam locorum sacræ Scripturæ ad processionem Spiritus Sancti spectantium.

ὑμᾶς· καὶ ἐπίστησον πῶς τὸ δι'οὗ τίθησιν ὁ θεῖος Παῦλος καὶ τοῦ Πατρὸς, καὶ ἀντὶ τίνος τίθησιν αὐτὸ, ἵνα, ὅταν καὶ ἐπὶ τοῦ Υἱοῦ αὐτὸ ἀκούσῃς, μὴ παραλλαγὴν οὐσίας, ἀλλὰ ταυτότητα ἐννοῇς: *Per quem vocati estis*, pro : *a quo vocati estis*, idem ac, *qui vocavit vos*. Et animadverte quomodo divus Paulus *per quem* ponat, etiam quando de Patre sermo est, et *loco cujus* hoc ponat, ut, quando de Filio idem illud audieris, non diversitatem substantiæ, sed identitatem cogites. » Cramer, *Catena in I Corinth. e codice Paris.* 227. Cf. Hergenröther, *op. cit.*, t. III, p. 413, nota 80.

1. Hujusmodi et similes appellationes in *Mystagogia Spiritus Sancti* passim occurrunt.

2. Hergenröther, *Animadversiones in Spiritus Sancti Mystagogiam*, in *P. G.*, t. CII, col. 407.

4° Quarta demum sectio erit de probationibus positivis ex Patrum traditione a Photio pro suo dogmate prolatis necnon de ejus exceptionibus contra Latinorum auctoritates.

### I. — Brevis historia disputationis photianae de processione Spiritus Sancti contra Occidentales.

Ostendimus supra Photium non unam semper de primatu romano protulisse sententiam, sed pro circumstantiarum opportunitate diversa scripsisse ac egisse. Non parum interest scire utrum etiam circa processionem Spiritus Sancti variaverit. Rationes affirmandi hæ sunt :

1° Quando ad Armenorum Catholicum, Zachariam, circa 861-862 scribit, Photius non obscure significat se rectam de divinis processionibus doctrinam adhuc tenere vestigiisque Patrum græcorum inhærere. Dicit enim :

« A Patre sunt Filius et Spiritus Sanctus; neque tamen hi appellantur fratres, neque ambo filii sunt : veluti ab Adamo tum Seth tum Eva provenerunt, quin tamen vel fratres sint vel ambo filii. Siquidem Pater *est generans*, *Filius genitus*, *Spiritus Sanctus procedens*. *Hinc Filius dicitur sedere ad Patris dexteram*, *Spiritus vero Sanctus ad dexteram Filii* [1]. Etenim in psalmo cix ait Pater Filio : *Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis.* Et mox Pater ait Filio : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; Dominus a dextris tuis...* Non est genitus neque procedens Pater; non est genitor neque procedens Filius; non est genitor neque genitus Spiritus Sanctus, quia perpetuo procedit. Lætatur Pater gloria Filii; gaudet Filius ob honorem Patris; Spiritus demum Sanctus Patrem Filiumque glorificat; *quippe qui de illorum substantia accipiens*, creaturas renovat, ab ipsoque omnia facta sunt in cælis et super terra [2]. »

1. Habes hic lineam rectam Græcorum, processionum divinarum figurativam.

2. *Ad Zachariam patriarcham Armenorum*, 10, 11, *P. G.*, t. CII, col. 710. Textus græcus hujus epistolæ deperditus est. Versionem armenam latine ex parte edidit A. Mai, *Spicilegium Romanum*, t. x, p. 449-459; A. Papadopoulos-Kerameus autem ipsum textum armenum integrum una cum versione russica publicavit in : *Pravoslavnyi palestynskii Sbornik*, t. XI, p. 179-210, 227-245, Petropoli, 1892. Quanquam quasdam

Photius hic declarat Spiritum Sanctum de substantia Patris et Filii accipere et ad Filii dexteram sedere; postquam autem catholicum dogma carpere incepit, Spiritum Sanctum non a Patris et Filii substantia, sed a persona Patris tantum procedere docuit, eumque a Filio amovit, dum medium Patrem posuit hinc inde duas alias personas producentem.

2° In questione XCIV *ad Amphilochium*, novator tanquam principium statuit : *Filium omnia habere quæ Pater habet præter innascibilitatem* (*seu esse ingenitum*); *et vice versa, Patrem habere omnia, quæ Filius, præter generationem passivam* (*seu esse genitum*) [1]. Atqui, hoc principium dogma photianum funditus evertit. Hinc mirum non est Photium postea Filio aperte denegasse, præter innascibilitatem, etiam προβολήν seu esse προβολέα.

interpolationes huic epistolæ irrepsisse merito suspicatur Hergenröther, *op. cit.*, t. I, p. 493, attamen ea quæ de Trinitate dicuntur genuina omnino videntur; unde idem auctor existimat, *ibid.*, p. 482, doctrinam ibi expressam ulterioribus schismatici explicationibus de processione Spiritus Sancti propinquam esse. Hergenröther hoc opinatur præsertim ob comparationem ex processione Evæ et Seth ab Adamo desumptam, quæ revera in *quæstione amphilochiana* XXVIII pariter occurrit. *P. G.*, t. CI, col. 208 C. Verum, ut recte animadvertit J. Slipyi, *Die Trinitätslehre des byzantinischen Patriarchen Photios*, Œniponte, 1921, p. 3, nota 3, præfatam comparationem Photius a Patribus græcis mutuari potuit. Hanc enim proferunt Gregorius Nazianzenus, *Orat.*, XXXI, 11, *P. G.*, t. XXXVI, col. 145 B; *Orat.*, XXXIX, col. 348 C; Gregorius Nyssenus, *Quid sit ad imaginem Dei*, etc., *P. G.*, t. XLIV, col. 1329 C sq.; Pseudo-Basilius, *Contra Eunomium*, lib. IV, *P. G.*, t. XXIX, col. 681 B; Joannes Damascenus, *De fide orthodoxa*, I, 8, *P. G.*, t. XCIV, col. 817 A. Illam usurpando, certe Patres non intendebant negare participationem Filii in processione Spiritus Sancti, sed solummodo indicare diversos originis ac productionis modos. Notandum est Armenos, anno 862, postquam scilicet epistolam Photii ad unionem eos invitantis, receperunt, Sciragavani synodum congregasse, quæ in sequenti canone ipsa Photii verba ad exprimendam Spiritus sancti processionem adhibuit : « Si quis non confitetur sacrosanctæ ac vivificæ Trinitatis unam naturam et tres personas; hoc est, Patrem a nullo principio, Filium a Patre, et *Spiritum Sanctum ab utriusque essentia* et utrique coæqualem, anathema sit. »

1. Ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ, πλὴν τῆς ἀγεννησίας, πάντα ἔχει ὁ Υἱός· ἀλλὰ καὶ ὅσα ἔχει ὁ Υἱὸς, πλὴν τῆς γεννήσεως, πάντα ἔχει ὁ Πατήρ. *P. G.*, t. CI, col. 681 A. Cf. col. 672 B : Υἱὸς ὁ πάντα τὰ τοῦ Πατρὸς ἔχων πλὴν τῆς ἀγεννησίας. Hanc doctrinam sanctus Joannes Damascenus in *Fide orthodoxa* necnon in suis aliis operibus sæpius exprimit.

Videtur ergo schismatis pater non statim ab initio suam hæresim concepisse; hanc autem esse fetum ejus polemicæ concertationis contra Occidentales, omnino verisimile est. Credam tamen eum nonnisi gradatim ad hunc errorem devenisse, et forsan doctrinam græcorum Patrum, Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere asserentium, nunquam clare perspexisse. Unum est certum, illum scilicet suum falsum dogma prætermisisse ac tacuisse, quando, mortuo Ignatio, cum Ecclesia romana pacem renovare voluit, et hoc, postquam jam anno 867, doctrinam Occidentalium tanquam impiam hæresim toti Orienti denuntiaverat.

Quanam vero occasione cujusque rei causa hoc tunc primum fecerit, historia bene compertum est. Hoc enim accidit, postquam missionarii byzantini ab ipso in Bulgariam missi expulsi sunt a principe Michaele Bogori, circa finem anni 866. Hi missionarii ei retulerunt sacerdotes latinos a Nicolao papa, postulante Bogori, in Bulgariam, ipsorum loco missos, docuisse Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, dum symbolum Nicæno-Constantinopolitanum populo exponerent. Nulla interposita mora, Photius, initio anni 867, hanc doctrinam una cum cæteris novitatibus Occidentalium in quadam synodo a se congregata anathematizavit. Paulo post, eamdem tanquam perniciosum errorem, variis argumentis adhibitis, in sua famosa Encyclica clamose impugnavit[1], iterumque in suo fictitio concilio œcumenico, ejusdem anni 867 æstate habito, condemnavit. Quod cum audivisset sanctus Nicolaus papa I, Hincmaro archiepiscopo Rhemensi aliisque regni Caroli Calvi archiepiscopis scripsit, ut de retundendis photianis impetibus contra romanam occidentalemque omnem Ecclesiam curarent, virosque doctos ad respondendum Græcorum oppositis impellerent [2]. Ex responsis Latinorum tria tantum ad nos usque pervenerunt, scilicet :

*a*) *Liber adversus Græcos* Æneæ Parisiensis († 870)[3], ubi locorum patristicorum longam seriem invenies, inter quos quidam spurii sunt. Æneas argumenta photiana penitus

1. *P. G.*, t. CII, col. 727-742.

2. Nicolai papæ I *epistola* CLII *ad Hincmarum*, *P. L.*, t. CXIX, col. 1152 sq. Papa scripsit etiam de eadem re ad Carolum Calvum, *ibid.*, col. 1161, cf. supra, p. 105.

3. *P. L.*, t. CXXI, col. 685-762.

ignorat; unde ne semel quidem cogitat de confutanda præcipua Photii objectione ex unitate principii petita, neque ullo loco declarat Spiritum Sanctum a Patre et Filio tanquam ab uno principio procedere.

*b*) *Contra Græcorum opposita* Ratramni, monachi Corbeiensis [1]. Hic tractatus multo productior ac locupletior est libello Æneæ, habendusque est tanquam prima dissertatio vere theologica de processione Spiritus Sancti et a Filio, in qua evolvuntur tum probatio scripturistica, tum demonstratio patristica, jamque et adumbratur ratio theologica. Non omnia tamen quæ afferuntur ejusdem sunt ponderis; occurrunt enim loci quidam apocryphi sub Patrum nomine, textusque Sacræ Scripturæ, in quibus aliquam vim demonstrativam ægre reperies. Sicut Æneam, ita etiam Ratramnum latent objectationes Photii; quibus tamen ille inscius occurrit. Affirmat enim personas divinas relatione tantum inter se distingui [2], Patrem et Filium esse unicum Spiritus Sancti principium [3], missionem temporalem fundari in processione æterna [4], præpositionem *per* eumdem sensum præ se ferre quem præpositio *ex*, quando de divinis sermo est [5].

*c*) *Responsio episcoporum Germaniæ Wormatiæ adunatorum de fide S. Trinitatis contra Græcorum hæresim* (mense Maio anni 868) [6], ubi fusius agitur de jejunio quadragesimali et aliis quæstionibus liturgicis et canonicis quam de processione Spiritus Sancti. Etiam Patres Wormatienses theologiam photianam prorsus ignorare, dicere supervacuum.

De throno patriarchali primum dejectus in exsiliumque missus, Photius de controversia circa processionem Spiritus Sancti ulterius protrahenda parum curavit. In quibusdam tamen ex *Quæstionibus ad Amphilochium*, præsertim in XXVIII, CLXXXVIII, CXC, CCXXXV, suum errorem aliquatenus manifestat, quin in Occidentales polemice invehatur. Ex hoc vero quod concilium œcumenicum octavum de hac

1. *P. L.*, t. CXXI, col. 225-346
2. Col. 283 D.
3. Col. 253 B, 276, 279, 296 C
4. Col. 229, 274.
5. Col. 233 C, 269.
6. *P. L.*, t. CXIX, col. 1201-1212. De his Latinorum responsis, vide Hergenröther, t. I, p. 667-684.

quæstione, sicut et de plerisque ceteris schismatici criminationibus, altum servavit silentium, colligere est Græcos impetibus photianis in Latinos nullum fere momentum tribuisse. Ipsi Photiani in concilio nullam de processione Spiritus Sancti quæstionem moverunt. Hadriano autem papæ II satis fuit quod episcopi græci romanæ Sedis primatum et infallibilitatem agnoscerent subscribendo fidei libello ab Hormisda papa Orientalibus olim imposito, atque Photio *novorum dogmatum inventori* anathema dicerent [1].

Mortuo Ignatio, in sedem patriarchalem restitutus, polemista noster, « impiæ hæreseos Latinorum » prorsus oblitus, ad Joannem papam VIII statim se convertit, ut ejus approbationem obtineret. Neque in suis ad papam litteris, neque in sua synodo anni 879-880 de quæstione dogmatica processionis Spiritus Sancti ullum verbum fecit. Nihilominus, quoniam timebat — et jure quidem — ne Joannes papa synodi Acta confirmare renueret, aliquem prætextum renovandi litem contra Occidentales sibi reservare voluit. Unde in sessione sexta, quæ forsan omnino fictitia fuit, cui certe admodum pauci episcopi una cum imperatore Basilio et legatis Romanis interfuerunt, curavit, ut symbolum Nicæno-Constantinopolitanum confirmaretur, quævisque *additio*, *suppressio* vel *mutatio* in hac veneranda fidei formula prohiberetur [2]. Quamquam in ipso synodali decreto, quod hanc quæstionem respicit, nulla aperta allusio ad Occidentales vel ad romanam Ecclesiam occurrit, attamen per se patet prohibitionem ad additionem vocis « Filioque » in Occidente communiter jam receptam tacite spectare.

1. *Inventor mendacii et fabricator perversorum dogmatum. — Inventori perversorum dogmatum anathema. Acta concilii VIII*, act. VII, et act. VIII. Hardouin, *op. cit.*, t. I, col. 869, 873, 882. Cf. Hergenröther, t. II, p. 42.

2. Hardouin, t. VI, col. 335 sq. In actione VII, idem decretum solemniter promulgatum est : « Si quis eo amentiæ provehatur, ut audeat alterum exponere symbolum et definitionem appellare, aut adjicere vel demere in tradito nobis a sancta et œcumenica Nicæa primum congregata magna synodo, anathema sit. » Paulo superius hæc verba leguntur : « τὸ γὰρ ἀφελεῖν ἢ προσθεῖναι ἀτελῆ εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον Τριάδα μέχρι σήμερον ἀνέκαθεν κατιοῦσαν ὁμολόγησιν ἡμῶν δείκνυσι, καὶ τῆς τε ἀποστολικῆς παραδόσεως καὶ τῆς τῶν πατέρων διδασκαλίας καταγινώσκει. » Col. 340.

Notandum vero est additiones ad symbolum canone photiano non prohiberi absolute, sed vetari tantum quando non extat ratio sufficiens has additiones faciendi, id est, *quando nulla adest hæresis, Maligni insidiis excitata.* En ipsa synodi verba :

*Sincerissimam fidei christianæ formulam, lingua et mente complectimur, et omnibus clara voce adnunciamus, nihil detrahentes, nihil adjicientes, nihil immutantes, nihil adulterantes.* Detractio enim et additio, NULLA EXISTENTE HÆRESI PER MALIGNI ARTES INTRODUCTA, μηδεμιᾶς ὑπὸ τῶν τοῦ πονηροῦ τεχνασμάτων ἀνακινουμένης αἱρέσεως, *condemnationem infert eorum, qui nullam merentur condemnationem,* Patribusque injuriam imponit inexcusabilem... *Si quis autem... verbis adulterinis aut additamentis aut detractionibus vetustatem hujus sacræ ac venerandæ definitionis corrumpere ausus fuerit, si quidem e sacro ordine fuerit, omnimodæ depositioni subjicimus; si vero e laicis, anathematizamus* [1].

His verbis, Photius non tam Latinos perculit, quam theologos græco-russos posteriores, qui ita intellexerunt synodorum prohibitiones circa additiones ad symbolum quasi Ecclesia docens sibi ipsi ademisset potestatem aliquid ad hanc formulam addendi, etiamsi novæ hæreses exsurgerent, fidemque orthodoxam quibusdam additamentis illustrare necessarium foret. Imo, dicendum his verbis Photium additionem vocis *Filioque* ad symbolum a Latinis factam, declarasse ac probasse legitimam. Latini enim illud *Filioque*, addiderunt, tum propter hæresim arianam in Hispania vigentem, tum propter Photium ipsum ejusque asseclas, qui fidei christianæ dogma in fontibus Revelationis contentum negaverunt, dum Spiritum Sanctum esse suum substantiale a *Patre solo*, Filio omnino excluso, accipere docuerunt.

Postquam autem a romanis Pontificibus Joanne VIII et Marino iterum condemnatus fuit, veterator ille contra Occidentales hostilia resumpsit, atque circa annum 883-884 epistolam dogmaticam misit ad archiepiscopum Aquileiensem [2],

1. Hardouin, t. VI, col. 336.

2. Archiepiscopus Aquileiensis erat tunc Walpertus. Nulla adest ratio affirmandi, post Baronium, hunc Walpertum sententiæ photianæ de processione Spiritus Sancti adhæsisse. Hoc tantummodo compertum habemus illum aliquando cum romano Pontifice contentionem habuisse.

in qua, ceteris criminationibus omissis, de sola processione Spiritus Sancti sub aspectu dogmatico tractat.

Ex hac epistola constat illum aliquam habuisse notitiam responsionum theologorum occidentalium ad suas objectationes. Non tamen ex toto cognovit Æneæ et Ratramni tractatus; valde vero probabile est illum præ manibus habuisse quoddam scriptorum hujusmodi breve compendium græce concinnatum, vel aliquam aliam dissertationem latine conscriptam græceque versam. Ignarus enim linguæ latinæ erat doctus byzantinus. Quæstionem autem de processione Spiritus Sancti ibi aggreditur perinde ac si prima vice illam tangeret, neque de ea in encyclica ad Orientales jam non pauca scripsisset. Nec Occidentales omnes indiscriminatim carpit, sed tantum modo ex ipsis quosdam :

*Pervenit*, inquit, *ad aures nostras, quod nonnulli Occidentalium divinum ac sanctissimum Spiritum non solum ex Deo et Patre, verum etiam ex Filio procedere novo dogmate introducunt, magnumque inde detrimentum per ejusmodi vocem illis afferunt qui eis obediunt* [1].

Tantum vero abest, ut romanam Ecclesiam reprehendat, ut etiam ad ejus auctoritatem provocet :

« Illud etiam, ait, haud mihi videtur omittendum, etsi omnibus sit propter temporis propinquitatem conspicuum : videlicet qui nostris temporibus legati nedum semel, sed et tertio ex seniore Roma venerunt, cum de fide, ut par est, nos cum illis sermonem contulissemus, ii nihil diversum autve dissonum a fide, quæ per omnem terrarum orbem explicata est, aut dixerunt, aut sentire deprehensi sunt : quinimo clare nobiscum citraque omnem dubitationem Spiritum Sanctum ex Patre procedere prædicaverunt [2]. Quin et coacta synodo,

Ei præ aliis Italiæ episcopis Photius forsitan scripsit, quia unus e Walperti prædecessoribus, scilicet Paulinus II, additionem vocis, « Filioque » ad symbolum in synodo Forojuliensi (796) solenniter probaverat, ut supra diximus, p. 165.

1. ἦκεν εἰς ἡμετέρας ἀκοάς, ὥς τινες τῶν ἀνὰ τὴν δύσιν τὸ θεῖόν τε καὶ πανάγιον Πνεῦμα οὐ μόνον ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι παρεισάγουσι. *P. G.*, t. CII, col. 797.

2. τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς ἀνεκήρυξαν ἐκπορεύεσθαι. Animadverte legatos Romanos non dixisse : « A Patre solo procedit », sed simpliciter : a *A Patre procedit;* quod nemo unquam ex Occidentalibus negavit. Sed Photio idem est : *A Patre procedere* et : *A Patre solo procedere.*

ecclesiasticorum quorundam capitum causa, qui inde missi fuerant vicarii Joannis papæ inter sanctos exstantis, tanquam illo præsente ac una nobiscum de Trinitate rectam sententiam edente, fidei symbolum inter omnes œcumenicas synodos secundum Domini doctrinam et prædicatum et firmatum, ut nobiscum consentientes, voce et lingua autographaque subscriptione approbavere [1]. »

Circa idem tempus, novam editionem suæ ad archiepiscopales thronos Orientis encyclicæ parasse videtur, ut ex quibusdam codicibus conjicere licet [2]; crederem tamen, si hæc nova editio revera facta est, in illa omnia expuncta fuisse quæ ad discrepantias liturgicas vel canonicas spectabant. In synodo enim Sanctæ Sophiæ, differentias hujusmodi nullius esse momenti nec Ecclesiarum unioni obstare pronuntiaverant.

Postquam vero in exsilium iterum actus est, morti jam propinquus, circa annum 895-896, suum opus de *Mystagogia Spiritus Sancti* conscripsit, in quo fusiori calamo Latinos redarguit variisque argumentis demonstrare conatur Spiritum Sanctum a Patre solo procedere. Hunc tractatum, in quo logicum rerum ordinem in vanum quæres, in formam epistolæ redactum ad non paucos episcopos et amicos misisse videtur auctor [3]; quem ignoravere Latini usque ad sæculum XII. Primus Hugo Etherianus, in græca lingua optime versatus, in suo opere inscripto : *De hæresibus quas Græci in Latinos devolvunt* [4], excerpta quædam photianorum argumentorum latine reddidit. Post Hugonem Etherianum, Allatius *Mystagogiam* non semel memorat. Tandem, anno 1857, integrum opus græce et latine edidit Hergenröther, adjectis notis et animadversionibus eruditione refertis [5]. Apud Græcos vero, *Mystagogia Spiritus Sancti* longe lateque diffusa est; siquidem ex hoc fonte plerique polemistæ antilatini sua hauserunt argumenta præcipua, diversisque modis photiana recoxerunt atque amplificaverunt. Circa finem sæculi XIII, Joannes Veccus operis photiani longam conscripsit confuta-

1. *Ibid.*, col. 820 A B.
2. Cf. Hergenröther, t. II, p. 644.
3. Textus ab Hergenröther editus formam epistolæ retinet.
4. *P. L.*, t. CCII. Cf. lib. III, cap. XVI et sq.; col. 233 sq.
5. Hæc editio in *P. G.*, t. CII, relata est.

tionem, quæ Latinos partiter latuit, donec illam Allatius suæ *Græciæ orthodoxæ* inseruit.

### II. — Photianorum argumentorum ex ratione theologica petitorum expositio ac discussio.

Quanquam theologi byzantini communiter sacram doctrinam via ac ratione scholastica perraro tractarunt, argumentisque positivis ex sacra Scriptura et Patrum traditione depromptis fere unice operam dederunt, quoties tamen de processione Spiritus Sancti cum Latinis disputarunt, ad humana ratiocinia plerumque confugerunt hisque nimium momentum tribuerunt. Hoc autem fecerunt, quia Photius illis hanc viam aperuerat. Est enim homo in debellando illo *Filioque* vere σχολαστικώτατος. At vero, quando de mysterio agitur humanæ rationi prorsus impervio, argumenta in quibus ratiocinium humanum suas partes habet, omnium sunt infirmissima. In hoc casu, primas omnino tenent probationes positivæ ex fontibus Revelationis desumptæ. Unde innumeræ absurditates, quas rationis ope Photius in dogmate catholico detegere conatur, commovere nos non debent neque turbare, quamdiu ille nullam veram profert probationem positivam sui novi dogmatis. Cæterum, ut has absurditates eruat, sophisticæ veterator vera principia theologica in Scriptura et traditione fundata, falsis, quæ commentus est ipse, miscere cogitur, doctrinamque catholicam exponere, non revera ut se habet, sed ut eam ipse imaginatur [1].

Principia theologica vera, quæ a Patrum traditione mutuatur falsisque propriis miscet, sunt potissimum sequentia :

1. Trinitas est omnino consubstantialis; tres personæ eamdem habent omnino naturam atque potentiam.

2. Pater est prima causa, primum principium, ex quo tum

1. In hac expositione ac discussione photianorum sophismatum, cardinalis Hergenröther vestigiis inhæremus, qui tum in *Animadversionibus in librum de Spiritus Sancti Mystagogia*, Ratisbonæ, 1857 (vel *P. G.*, t. CII, col. 399-542), tum, sed brevius, in tertio tomo operis *de Photio*, Ratisbonæ, 1869, p. 399-427, totam theologiam photianam de hac quæstione luculentissime pertractat ac confutat. Non sine fructu etiam legetur dissertatio supra laudata J. Slipyi, *Die Trinitätslehre des byzantinische Patriarchen Photios*, Œniponte, 1921, quæ brevem synthesim totius doctrinæ trinitariæ Photii præfert.

Filius tum Spiritus Sanctus, etsi non eodem pacto, suum esse divinamque essentiam habent.

3. Essentia communicatur; personales vero proprietates sunt omnino incommunicabiles.

4. Servanda in omnibus est divina Monarchia, qua Trinitas a christianis adorata, a polyarchia ethnicorum secernitur.

His autem axiomatibus inter theologos receptis Photius adjungit alia axiomata, quæ sunt illi omnino propria, quibusque utitur tanquam principiis firmis ad impugnandam doctrinam catholicam. Ex his falsis varias absurditates deducere non illi laboriosum. Hæc axiomata photiana, innumerabilium sophismatum feracia, ad septem præcipua reduci possunt, quæ, duce Hergenrôther, ob oculos lectoris ponimus una cum pravis consectariis ex unoquoque deductis; quibus, ut promisimus, breves responsiones adjiciemus.

### I. — Primum axioma

*Spiritus Sancti spirationem non Patri tantum sed Filio quoque tribuere, est duo in Trinitate statuere principia, eaque inter se diversa, et sic divinam monarchiam evertere, quæ in eo consistit quod in Trinitate unum tantum est principium, scilicet Pater, unusque essentia Deus.*

*Consectaria. a*) Si in Trinitate duo sunt principia inter se diversa, ergo duplex adest divinitas. Ad polytheismum redimus (*Epist. encyc.*, n. 9; *Epist. ad Aquil.*, 8; *De Myst.*, 11).

*b*) Si Spiritus Sanctus a duplici provenit principio, est necessario inferior Filio, qui nonnisi ab uno procedit, et insuper est ipse principium. Præterea, Spiritus est compositus, non simplex; unde compositio in Trinitatem inducitur.

*c*) Ex Filio procedendo, Spiritus Sanctus vel recipit aliquid aliud præter id quod accipit a Patre, vel idem omnino ab utroque accipit. Si prius, tam processio a Patre quam processio a Filio est imperfecta; unde Pater et Filius sunt imperfecti; et ipse Spiritus Sanctus, qui est perfectionis largitor, est imperfectus, totaque Trinitas imperfecta. Insuper, Spiritus Sanctus est compositus. Si posterius, processio a Patre sufficit, et processio a Filio est prorsus inutilis (*Epist. ad Aquil.*, 9; *Encycl.*, n. 18).

*d*) Si duo principia in Trinitate admittantur, tertium etiam

principium admittendum est, quia in Trinitate ternarium potius quam binarium emicat, utpote quod et proprietatibus hypostaticis congruit et adaptatur (*Myst.*, 12).

*e*) Si duo principia admittantur, hæc duo erunt necessario inter se diversa; unum enim erit principium sine principio, alterum simul principium et principiatum (*Myst.*, 14).

Easdem deductiones alio modo proponit Photius : Doctrina Latinorum quaternitatem in Deum introducit. Etenim Spiritus Sanctus est duobus spiritibus compositus, spiritu qui ex Patre est, atque spiritu qui ex Filio. Et sic hæc doctrina inhonorat Spiritum Sanctum. Inhonorat etiam Filium, dum ut principium inutile illum repræsentat. Inhonorat vero Patrem, dum nonnisi imperfectam spirationem ei tribuit (*Myst.*, 43, 45, 42, 44); et sic tota Trinitas dedecore afficitur.

*Responsio.* — Ea quæ Patres de monarchia divina seu de unitate principii in Trinitate dicunt non excludunt existentiam *principii principiati* in divinis. Etenim Pater semper remanet unicum *principium primordiale seu originale* nullum habens principium suæ originis. Cæterum, nunquam Latini docuerunt Filium esse principium a Patre distinctum processionis Spiritus Sancti. Quamvis enim dici possit duos esse *spirantes*, adest tamen *unus spirator* et una eademque spiratio utrique communis; sicut relate ad creaturas, sunt quidem tres creantes, sed unus creator et una tantum actio creatrix tribus personis communis.

Aliis verbis : Pater et Filius non distinguuntur inter se nisi relationibus oppositis paternitatis et filiationis; sed non distinguuntur relatione spirationis activæ. Pater enim est Pater, non quia spirat, sed quia generat. Filius est Filius, non quia spirat, sed quia a Patre genitus. Sanctus Augustinus jam dixerat Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere tanquam ab uno principio; quod ut aliquo modo explicaret, ad actionem creatricem tribus personis communem provocaverat (Aug., *De Trinitate*, v, 14, 15). Communicando esse divinum Spiritui Sancto, Pater et Filius in una essentia unaque vi spirativa uniuntur, nec sub hoc respectu distinguuntur, quamvis verum sit dicere hanc vim spirativam Patrem a seipso habere, Filium autem a Patre.

Argumenta photiana contra suum auctorem retorqueri possent in hunc modum :

*a*) Creatio a Patre facta vel est perfecta, vel imperfecta. Si prius, Filius et Spiritus Sanctus sunt cooperatores inutiles; si posterius, tota Trinitas est imperfecta et composita, tum in natura tum in operatione (Cf. Hugo Heter., *op. cit.*, t. II, p. 18.)

*b*) Binarium Photius ipse admittit in Trinitate, dum affirmat cum Ecclesia : 1° Filium et Spiritum Sanctum esse duas personas principium habentes; 2° duas esse actiones vitales in Trinitate : generationem scilicet et processionem, ἐκπόρευσιν seu προβολήν.

## II. — Secundum axioma

*Producere Spiritum Sanctum (seu spirare) est hypostatica Patris proprietas.*

*Consectaria. a*) Si hypostatica proprietas Patris tribuatur Filio, hæc proprietas propria esse jam desinit; fit utrique communis. Præterea, non amplius adest ratio cur proprietates Filii denegentur Patri, et utriusque proprietates Spiritui Sancto non communicentur. Sed si hoc admittatur, ad Sabellianismum devenimus; siquidem proprietates hypostaticæ constituunt personas divinas, suntque de se incommunicabiles. Si communes evadunt, eo ipso tolluntur personæ.

*b*) Si spiratio activa (προβολή, ἐκπόρευσις), quæ est Patris hypostatica proprietas, uni tantum Filio communicatur, non vero Spiritui Sancto, eo ipso Filius et Spiritus Sanctus non sunt amplius inter se consubstantiales; essentia inter se differunt.

*c*) Aut processio a Filio est eadem ac processio a Patre, aut ei opposita. Si prius, personarum distinctiva confunduntur; si posterius, in errorem Marcionis et Manetis incidimus (*Myst.*, 9, 10, 17, 18, 19, 35; *Encycl.*, 10, 17).

*Responsio.* — Admittendum est proprietates personales esse incommunicabiles; at Photius gratis asserit et non probat spirationem activam esse proprietatem personalem Patris. Hoc nunquam dixerunt Patres, qui duas tantum proprietates personales Patris notant : *innascibilitatem* scilicet et *paternitatem.*

Cæterum *una* persona *una* tantum proprietate hypostatica *positiva* constitui potest; secus, in duas hypostases dividere-

tur. Atqui proprietas personalis positiva constituens Patris personam est *paternitas*, ut patet, non autem *spiratio*.

*Argumentum ad hominem.* Si, secundum Photium, processio Spiritus Sancti a Filio tollit ejus consubstantialitatem cum Filio, ergo Filius et Spiritus Sanctus non sunt Patri consubstantiales, ex hoc ipso quod ab eo procedunt.

Confutetur sophista iis, quæ ad Zachariam Armenum scribebat ipse : « Neque majus, inquit, neque minus in Trinitate sanctissima comperitur ; etenim majus et minus, grave et leve, multum vel parum a temporibus pendent et horis. Atqui ubi neque tempora esse queunt nec horæ, ut in divina natura usuvenit, ibi nihil est majus vel minus. Majorem autem dixi aliquando Patrem, ceu genitorem videlicet atque causam : neque id tamen absque metu dixi, debilitatem veluti ei attribuens, atque ipso obsequio meo lædens. Quippe Patri non est gloriosum, si minores ii sint qui ab ipso proveniunt : est enim infirmitas quædam, si Filium gignere nequeat, neque Spiritum emittere sibi æquales [1]. »

### III. — Tertium axioma

*Pater quidquid ex se, qua causa, producit, ratione personæ, non autem ratione naturæ producit.*

*Consectaria. a*) Si hoc admittatur, Latini necessario affirmare coguntur aut Filium una cum Patre *esse paternæ hypostaseos participem*, ex qua et hoc habeat quod sit causa ; aut Filium personam complere Patris, quæ proinde, ante hoc complementum, indiga et deficiens apparet. Atqui utrumque est absurdum.

*b*) Præterea doctrina Latinorum consubstantialitatem personarum destruit. Tribuit enim Filio proprietatem Patris, scilicet processionem Spiritus, quam ipsi Spiritui denegat. Unde Filius aliquid habet quod non habet Spiritus Sanctus. Si autem eamdem proprietatem Spiritui Sancto concesseris, tunc Spiritum Sanctum suiipsius productorem facis. Imo, Spiritum Sanctum Filii productorem esse dices, si affirmaveris Patrem *ratione naturæ* gignere Filium. *Natura enim tribus communis est* (*Myst.*, 15, 16, 47).

1. *P. G.*, t. CII, col. 710.

*Responsio.* — Axioma photianum est falsum. Principium enim completum processionum divinarum non est neque sola persona divina præcisa a natura, neque sola natura divina præcisa a persona; sed processio divina est a persona ut a *principio quod*, et a natura ut a *principio quo*. Neque enim in divinis, persona realiter præscindi potest a natura, et vice versa; quia inter personam et essentiam divinam non adest nisi distinctio virtualis. Persona enim Patris non est nisi essentia divina relatione paternitatis signata. Paternitas sola mera esset relatio, quæ sine essentia consistere non posset; esset enim ἀνυπόστατος. Unde axioma photianum in hoc convertendum est :

*Pater, quidquid producit ex se ut ex causa, tum ratione personæ, tum ratione naturæ producit : ratione personæ, ut principium quod; ratione naturæ, ut principium quo seu per quod.*

*Pater* hoc nomine vocatur, ob hoc solum quod per naturam divinam generat Filium; sicut Filius est *Filius*, ob hoc solum quia generatur a Patre. Nuncupatur autem *spirator* seu προβολεύς, quia spirat Spiritum Sanctum per naturam divinam. Filius autem potest et debet esse etiam spirator Spiritus Sancti per naturam divinam. Hanc enim habet a Patre, a quo non distinguitur nisi inquantum est Pater, id est in quantum generat Filium, non autem qua spirat Spiritum Sanctum. Unde Filius spirat sicut Pater spirat, quamvis a Patre habeat ut spiret. Sunt ergo *duo spirantes*, quia processio in divinis ad personam pertinet ut *principium quod;* sed est tantum *una spiratio utrique communis*, quia Pater et Filius spirant per naturam divinam, quæ una est et utrique communis. Est tamen *unus spirator* tantum, non duo, quia vox *Spirator* est nomen substantivum, substantiam seu naturam *in recto* connotans, suppositum autem *in obliquo*, dum participium *spirans in recto* connotat personam, naturam vero *in obliquo* [1]. Spiritus Sanctus non potest *spirare*, quia est *spiratus;* qua autem spiratus, distinguitur tum a Patre, tum a Filio, qui ambo sunt spirantes.

*Responsio brevior.* — Spiritus Sanctus procedit ex Patre,

1. S. Thomas, I p., quæst. xxvi, art. iv, ad. 7, dicit : « *Adjectiva nomina habent numerum secundum supposita; substantiva vero a seipsis*, secundum formam significatam. » Hæc distinctio non fuit semper observata neque a Patribus neque a theologis.

aut quatenus est *Pater*, aut quatenus est *Deus*. Si prius, Spiritus Sanctus necessario erit Filius; quod est contra Revelationem; si posterius, tunc procedit etiam ex Filio, quia nullum signum concipi potest quo Pater sit *Deus*, quo Filius non æque sit Deus. Proinde, aut duo Filii in Trinitate, subverso personarum discrimine, admittendi, aut processio Spiritus Sancti etiam a Filio rata est.

Notandum est Patres græcos sæpissime dicere Spiritum sanctum *procedere, esse ex essentia Patris et Filii*. Theologi photiani hoc effatum ita intellexerunt : *Spiritus Sanctus est ex essentia Filii, quia est illi consubstantialis; sed non est ex hypostasi Filii, quia ab eo non procedit*. Hoc effugium vanum est, et Patrum sententiæ contradicit. Etenim, ut diximus, essentia Filii revera ab ejus hypostasi separari nequit. Si Spiritus Sanctus est ex essentia Filii, est etiam *a Filio*, a *persona Filii, seu ex essentia divina quatenus hæc a Filio habetur et possidetur*. Unde ab eo illam recipit. Si Photiani verum dicerent, Pater dici posset *ex essentia Filii*, et Filius *ex essentia Spiritus Sancti;* quod tamen est prorsus inauditum apud Patres et theologos. Præpositio *ex* connotat, in casu, relationem originis; imo, in recto connotat originem, et nonnisi in obliquo consubstantialitatem. Nunc, ut recte disputat Joannes Veccus : « Differunt omnino hæ duæ propositiones : *Paulus est ejusdem naturæ cum Petro*, » et : *Paulus est ex essentia Petri*. Posterior dicit Pauli parentem Petrum, prior non item. Duo angeli vel duæ animæ humanæ sibi sunt consubstantiales, neque tamen unus angelus ex essentia alterius angeli, vel anima ex essentia alterius animæ dici vel cogitari potest [1].

Ceterum, ut supra dictum est, Photius modo loquendi Patrum aliquando, id est antequam in Latinos inveheretur, usus est; in epistola enim ad Zachariam Armenum, Spiritum Sanctum *ex amborum essentia esse* prædicavit [2].

*Argumentum ad hominem. — Spiritus Sanctus procedi ta Patre, quatenus est persona :* Concedo.

*Atqui si procedit a Patre ut persona, non potest procedere a Filio.* — Nego, et explico :

1. J. Veccus, *Epistola ad Agallianum*, *P. G.*, t. CXLI, col. 280.
2. Cf. p. 184.

Ut Pater sit perfectus Pater, debet generare Filium omnino sibi similem, et ei communicare quidquid habet præter paternitatem ipsam; in confesso enim est de perfectione paternitatis esse, ut Pater quasi se duplicet generando simillimam sui imaginem; sicut et de perfectione filiationis est, ut genitus perfecte patrem repræsentet, et ab eo in nullo discrepet.

Atqui si persona Patris, generando Filium, non ei communicaret virtutem spirativam, quæ ad paternitatem ut sic non pertinet, non esset perfectus Pater, neque Filius esset perfectus Filius et imago simillima Patris.

Ergo de ratione paternitatis est, ut Spiritus Sanctus etiam a Filio procedat, sicut et de ratione filiationis est, ut Filius a Patre accipiat vim proferendi simul cum eo in unitate divinitatis Spiritum Sanctum. Et hoc pacto Spiritus Sanctus tum ab hypostasi Patris, tum ab hypostasi Filii procedit. Sunt duo spirantes, etsi una est spiratio et unus spirator.

### IV. — Quartum axioma

*Quidquid in sancta Trinitate concipitur, aut trium personarum commune est, aut personæ unius proprium.*

Ergo, aut processio Spiritus est tribus personis communis, aut unius personæ propria; si prius, Spiritus Sanctus etiam procedit a seipso; si posterius, soli Patri, non autem Filio servanda est, quia Dominus dixit : *Qui a Patre procedit* [1].

*Responsio.* — Principium photianum est falsum, quia in Trinitate aliquid concipitur quod neque trium personarum commune est, neque personæ unius proprium; siquidem *esse ex Patre* (τὸ ἐκ τοῦ Πατρός) seu *principiatum esse* (αἰτιατὸν εἶναι) Filio pariter ac Spiritui Sancto convenit. Hoc uno ore docent Patres græci, neque hoc negare potest Photius; secus, aut Pater non esset sine principio, aut tolleretur una ex processionibus divinis, sive generatio, sive spiratio. Sicut habere principium commune est Filio ac Spiritui Sancto, ita etiam spirare commune est Patri et Filio. Spirare non est aliquid personale simpliciter, sed est simul *personale* et *naturale* (est notionale). Est a natura divina, quatenus hæc simul habetur a Patre et Filio.

1. *Epist. encyc.*, 21, 22; *Myst. Sp. Sancti*, 36, 17. Cf. 64.

Insuper mittere Spiritum Sanctum commune est Patri et Filio; ergo missio nec est unius tantum, nec trium simul [1].

Ut axioma valeat, sic enuntiari debet : *Quidquid in Trinitate dicitur aut commune est, sive absolutum, aut proprium, sive relativum.* Aliquid dici potest *proprium,* quod uni, exclusis duabus personis, vel duabus, exclusa una, aptatur, dummodo oppositionis ratio ubique servetur. Spiratio activa potest dici Patri et Filio propria, quatenus est incommunicabilis Spiritui Sancto; quippe qui est spiratus, et opponitur spirantibus.

### V. — Quintum axioma

Quintum axioma photianum non est nisi quarti repetitio aliis verbis propositi. Sic enim enuntiatur :

*In Trinitate nihil ita est dualus personis commune, quod tertiæ personæ non competat* (Μηδέν τι εἶναι τοῖς δυσὶ προσώποις ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος κοινόν [2]).

Unde : Si spiratio est Patri et Filio communis, etiam Spiritui Sancto tribuenda. Sed tunc aut Spiritus Sanctus est suiipsius productor, aut duabus partibus constat, quarum una est producta, altera producens ac causans.

*Responsio.* Axioma photianum non valet nisi de iis quæ in Trinitate *absolute* dicuntur, seu quæ ad essentiam spectant, non vero de iis, quæ *relative* dicuntur, id est, quæ personas respiciunt. Atqui spiratio activa est relatio. Unde duabus personis, exclusa tertia, convenire potest.

Georgius Trapezuntius ait : *Absque principio esse,* Patrem a Filio et Spiritu Sancto separat, proptereaque commune est Filio et Spiritui *ex principio esse.* Per modum generationis existere personam Filii constituit, illamque a duabus aliis separat, ideoque quod ei opponitur (id est, non esse genitum), Patri et Spiritui inest. Pari ratione, *processionaliter* (ἐκπορευτῶς) *esse* separat Spiritum a Patre et Filio; et ob hoc, *non per modum processionis existere,* quod illi opponitur, Filio et Patri necessario commune est [3].

1. Vide tamen infra, p. 208, ea quæ Photius docet de missione personarum. Argumentum valet pro iis Photianis, qui concedunt Spiritum Sanctum non mittere aliam personam.

2. *Edist. encyc.*, 12; *Myst. Sp. S.*, 6.

3. Τὸ μὲν γὰρ ἀγεννήτως ἤτοι ἀνάρχως εἶναι Υἱοῦ τε καὶ Πνεύματος τὸν Πατέρα διακρίνει· διὰ τοῦτο κοινὸν Υἱῷ καὶ Πνεύματι τὸ ἐξ ἀρχῆς

### VI. — Sextum axioma

*Sicut generatio ita et processio* (ἐκπόρευσις) *est a Patre immediate. Uti Filius, sic et Spiritus Sanctus est ex Patre immediate et proxime, nullo medio existente* [1].

*Primum consectarium.* — Atqui si Spiritus Sanctus esset etiam a Filio, Pater esset simul *principium proximum* et *principium remotum* Spiritus Sancti; proximum, quatenus Spiritus est ex Patre immediate; remotum vero, quatenus Spiritus esset ex Filio, qui habet esse a Patre.

*Responsio.* — *a*) Photii effatum Patribus græcis aperte contradicit, qui sæpe sæpius dicunt *Filium esse medium inter Patrem et Spiritum Sanctum*, Spiritum Sanctum *Patri conjungi per Filium*, *Filium esse immediate a primo*, Spiritum vero Sanctum esse *per eum qui immediate est a primo* : τὸ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου — τὸ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου [2].

*b*) Dicendum est Spiritum Sanctum esse a Patre tum *immediate*, tum *mediate*, sed sub diverso respectu. Est *immediate a Patre*, si consideretur *virtus spirativa*, quæ *æqualiter* inest Patri et Filio, et *immediate* influit in productionem Spiritus Sancti sive quatenus est in Patre, sive quatenus est in Filio; quippe quæ est una et eadem virtus a Patre et Filio ut indistinctis et unum principium constituentibus profluens. Est *mediate a Patre*, si considerentur hypostases seu supposita, quatenus Filius a Patre habet ut spirare possit. Patres græci, et etiam plerique theologi græci posteriores qui dogma catholicum contra Photianos tuiti sunt, sub hoc *secundo respectu* tantum processionem Spiritus Sancti considerarunt. Hic autem respectus Photium directe coarguit.

Ad rem sanctus Thomas (I p., quæst. xxxvi, art. 1, ad. 1) : « In qualibet actione, est duo considerare, scilicet suppositum

εἶναι. τὸ δὲ γεννητῶς εἶναι τὸ τοῦ Υἱοῦ συνίστησι πρόσωπον τοῖν δυοῖν αὐτὸ διακρίνον· καὶ τούτου χάριν τὸ τούτῳ ἀντικείμενον Πατρὶ καὶ Πνεύματι πρόσεστιν· ὁμοίως καὶ τὸ ἐκπορευτῶς εἶναι διίστησι τὸ Πνεῦμα Πατρὸς καὶ Υἱοῦ· καὶ διὰ τοῦτο τὸ μὴ ἐκπορευτῶς εἶναι, ὅπερ ἐκείνῳ ἀντίκειται, Υἱῷ καὶ Πατρὶ κοινὸν ἐξ ἀνάγκης. Georgius Trapez., *Epistol. ad Joannem Cuboclem*, 24. *P. G.*, t. CLXI, col. 816.

1. *Myst. Sp. S.*, 62.

2. S. Gregorius Nyssenus, *Quod non sint tres dii. P. G.*, t. XLV, col. 133 B. Animadverte Photium hic directe impugnare diagramma formulamque ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ Patrum græcorum.

agens et virtutem qua agit; sicut ignis celefacit calore. Si igitur in Patre et Filio considerctur *virtus* qua spirant Spiritum Sanctum, non cadit ibi aliquod medium, quia hæc virtus est una et eadem. Si considerentur autem *personæ spirantes*, sic, cum Spiritus Sanctus communiter procedat a Patre et Filio, invenitur Spiritus Sanctus *immediate a Patre procedere*, in quantum est ab eo, et *mediate* [a Patre procedere], in quantum est a Filio; et sic dicitur a Patre *procedere per Filium.* » Et Richardus Victorinus, *De Trinitate*, v, 7. « Spiritus Sancti processio, ait, quodam modo est immediate a Patre et quodam modo *mediate; immediate*, quantum ad virtutem spirativam, quæ est una Patris et Filii; et iterum quantum ad ipsum suppositum Patris, quod immediate est principium processionis, quia ipse simul et Filius spirant; sed *mediate*, *in quantum Filius, qui spirat, est a Patre.* »

Bessarion item hanc quæstionem præclare explicat : « Si quis ad singularem emissionem et identitatem processionis ex utroque respiciat... *immediate* esse ex Patre Spiritum inveniet. Sin *ordinem* consideret, qui reipsa inest in Trinitate nec sola nostra cogitatione constat, medium esse videbit Filium, et tertium a Patre Spiritum, ac per Filium a Patre procedentem, ac priorem se cogitatione habentem Filium, quemadmodum Patrem habet Filius [1]. » Sane Pater non prius potest ut spirator cogitari, quam ut Pater concipiatur, proinde non prius quam Filius cogitetur; ideo medium, μεσίτην, vocant Patres Filium.

*Consectarium photianum aliud.* — Si Spiritus Sanctus non procedit a Patre nisi medio existente Filio, vel si potissimum ex Filio *immediate* procedit, tunc Spiritus Sanctus *erit Patris nepos* [2].

*Responsio.* — *a*) Huic objectioni jam satis factum est. Hæc consideratio addi potest : Ut quis nepos alicujus dici possit, necessarium est ut duæ generationes ab invicem distinctæ interveniant. Atqui : 1° Spiratio Spiritus Sancti non *est generatio;* 2° Hæc spiratio est *unica* et tum Patri tum Filio communis.

1. Bessarion, *Refutatio antirrhetic. Palamæ adversus Joannis Vecci capita. P. G.*, t. CLXI, col. 253. Cf. ejusdem *Responsa adversus Marci Ephes. syllogismos*, cap. I, *ibid.*, col. 147 sq.

2. *Mystag.*, 61; *Epist. ad Aquil.*, 11.

*b*) Contra Photium Latini in hunc modum argumentari possent. Secundum Photium, Spiritus Sanctus a Patre, qua Pater est, procedit. Ergo est Patris filius; unde Filius et Spiritus Sanctus sunt duo fratres.

*c*) Quemadmodum Pater est principium Spiritus Sancti, quin sit ejus Pater, ita Filius est principium Spiritus Sancti quin sit ejus Pater.

*Tertium consectarium photianum.* — Cum in Trinitate *prius* et *posterius* non adsint, generatio Filii non est prior processione Spiritus Sancti, sed utraque simul fit. Atqui, si Spiritus eodem momento procedat a Filio quo procedit a Patre, erit in se divisus ac compositus, quia ad differentia principia referetur, et diversitate causarum a seipso differet.

Item : Si dum Filius per generationem prodit, tunc per processionem producit Spiritum Sanctum, sequitur hunc una cum Filio producente et producto constitui et existere : id est, Spiritus simul una cum Filio *generatur, et ab eodem procedit.* Est simul *generatus* et *procedens; generatus*, quia simul progreditur cum Filio genito ; *procedens* vero, quia duplicem hanc subit processionem (scilicet ut productus a Patre una cum Filio, et ut productus a Filio) [1].

*Responsio.* — Photius supponit spirationem activam esse duplicem in Patre et Filio : quod est falsum. Nec Pater generat Spiritum Sanctum, generando Filium, sed illum una cum Filio per processionem eadem spiratione producit.

Insuper, quamvis in divinis excludatur prioritas temporis, non excluditur prioritas rationis. Generatio est prior processione *non tempore*, sed *cogitatione* et *ordine.* Præintelligitur enim intellectus voluntate, Verbum Amore, Spiritu Filius. Hoc Patres affirmant. Hoc etiam innuitur ex eo quod in Sacra Scriptura Spiritus tertius ordine venit post Patrem et Filium. Quanquam Pater et Filius simul existunt, at Pater cogitatione prior.

### VII. — Septimum axioma

*Spiritus Sancti processionem etiam Filio tribuere est Personarum Trinitatis consubstantialitatem destruere.*

Etenim :

*a*) Si Spiritus a Filio procedit, debet etiam Filius a Spi-

1. *Myst. Spir. S.*, 63, 64; *Epist. ad Aquil.*, 12.

ritu procedere; secus, inter eos aderit quædam inæqualitas;

*b*) Si Filius producit Spiritum, debet etiam Spiritus aliam personam producere; et sic *quaternitas*, imo personarum numerus infinitus in divinis aderit. Si enim Spiritui fœcunditas denegetur, tunc erit Filio inferior [1].

*c*) Si Pater Filio aliquid tribuit quod Spiritui Sancto non tribuat, tunc Spiritus Sanctus non est illis consubstantialis [2].

*d*) Dogma Latinorum partium studium apud Deum inducit. Arbitrario enim Deus Pater hoc Spiritui Sancto denegat quod Filio largitur, et Filius invidiose sibi ipsi retinet quod a Patre accepit, scilicet principium esse [3].

*e*) Si Spiritus Sanctus etiam a Filio procedit, pluribus proprietatibus hypostaticis a Patre distinguitur et dividitur quam Filius. Unde hic est Patri magis propinquus, Spiritus Sanctus vero ab eo remotior. Et hæc est ipsissima hæresis Macedoniana [4].

*f*) Quis primas tenet in productione Spiritus Sancti? Pater an Filius? Si Pater, participatio Filii est prorsus inutilis; si Filius, tunc Pater sua prærogativa (τῷ αἰτίαν εἶναι) in omnibus agnita frustratur [5].

*g*) Notio filiationis adulteratur et eide trahitur, dum Filio aliquid præter ipsam tribuitur [6].

*Responsio.* — In pluribus ex istis sophismatibus, confusio fit inter ea quæ ad essentiam divinam ut sic, et ea quæ ad personas spectant, seu inter ea quæ *absolute* et ea quæ *relative* dicuntur. Ea quæ relative dicuntur non inducunt inæqualitatem, non ponunt inferioritatem, vel superioritatem inter personas divinas. Paternitas non est major neque gloriosior neque anterior filiatione. Neque spiratio activa major spiratione passiva. Relationes enim ita ab invicem pendent, ut una non possit sine alia nec concipi nec existere. Paternitas supponit filiationem, et vice versa. Sunt inter se omnino æquipares.

1. *Myst.*, 3, 8, 37; *Epist. encyc.*, 19.
2. *Epist. encyc.*, 14; *Mystag.*, 34.
3. *Myst.*, 38, 40.
4. *Epist. encycl.*, 11.
5. *Myst.*, 39.
6. *Myst.*, 46.

Pleraque autem Photii argumenta contra ipsum retorqueri possunt :

*a*) Si Filius a Patre procedit, debet etiam Pater a Filio procedere; secus, inter eos aderit inæqualitas;

*b*) Quia Pater vim generandi Filium habet, debet eamdem vim generandi Filio suo communicare; secus Filius non erit Patri perfecte similis, et Pater invidiosus videbitur.

*c*) Notiones paternitatis et filiationis non adulterantur ex productione Spiritus Sancti, quia Pater spirat Spiritum non qua Pater, sed qua spirator; item Filius non spirat qua Filius, sed qua spirator. Secus, notio paternitatis adulteraretur etiam processione Spiritus Sancti.

Ipse Photius, in epistola ad Zachariam Armenorum patriarcham, declarabat, ut supra vidimus, neque majus neque minus Trinitati obvenire ob processiones divinas.

Vana ergo ac plerumque nugatoria arguuntur schismatici sophismata, neque veri nominis theologo digna censeri possunt. Unum forsan illum excusat, scilicet quod, præ sua ignoratione theologiæ latinæ, bona fide crediderit Occidentales revera docere Spiritum Sanctum a Patre et Filio, tanquam a duobus principiis procedere.

### III. — Argumenta photiana ex Sacra Scriptura petita.

Duplicis sunt generis argumenta, quæ Photius, in tractanda quæstione de processione Spiritus Sancti, a S. Scriptura mutuatur. Quædam enim ad hoc afferuntur, ut positive ostendant Spiritum Sanctum a *solo Patre* procedere; alia vero, et multo plura, sunt polemicæ indolis, atque ad hoc unum tendunt, ut vim demonstrativam probationum ab Occidentalibus prolatarum enervent ac penitus convellant. Hæc bene dicuntur argumenta negativa. Agemus ergo : 1° de argumentis positivis; 2° de argumentis negativis.

#### I. — Argumenta positiva.

Argumentum positivum fere unicum quod Photius ex Scriptura Sacra desumit ad statuendum Spiritum Sanctum ex *solo Patre* procedere, est illud Christi effatum apud Joannem, cap. xv, 26 : *Paraclitus, qui a Patre procedit,* ὁ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται. Huic propositioni sensum exclusivum

tribuit, ita ut : *Qui a Patre procedit*, idem illi sonet ac : *Qui a Patre solo procedit*[1].

*Responsio.* — Hæc interpretatio est omnino arbitraria et apud Patres sive græcos sive latinos prorsus inaudita. Propositio Christi est simpliciter *affirmativa*, nec ex se excludit Filium. Usus autem Sacræ Scripturæ est sæpe de una vel duabus personis divinis prædicare ea, quæ etiam ad duas alias vel ad unam ex illis spectant, v. g. : *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo... et ad eum veniemus* (Joan., XIV, 23). — *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum* (*ibid.*, XVII, 3). In his locis, etsi Spiritus Sanctus non nominatur, attamen ex necessitate subauditur.

Imo nihil Latinis obfuturum fuisset, etiamsi Christus dixisset : *Qui a Patre solo procedit.* Nam, ut ait sanctus Thomas (*Summa theol.*, 1 p., quæst. XXXVI, art. 2 ad 1) « etiam in Sacra Scriptura tenendum est, quod id quod de Patre dicitur oportet de Filio intelligi, *etiamsi dictio exclusiva addatur*, nisi solum in illis in quibus Pater et Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus (Math., XI) dicit : *Nemo novit Filium nisi Pater*, non excluditur quin Filius seipsum cognoscat. Sic igitur, cum dicitur quod Spiritus Sanctus a Patre procedit, non excluderetur inde Filius, quia quantum ad hoc quod est esse principium Spiritus Sancti, non opponuntur Pater et Filius, sed solum quantum ad hoc quod hic est Pater et ille Filius. »

Si vero quæratur quid prohibuerit Christum quominus addiderit : *Et a me procedit*, quæri, primo, eodem jure potest cur non dixerit : *Ex solo Patre procedit.*

2º Respondetur solemne fuisse Domino sua omnia referre ad Patrem, ut ad principium sine principio, ex quo erant omnia sua : « Unde, ait Augustinus (tract. XCIV, *in Joan.*), illud est, quod ait : *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus Sanctus, ubi sic ait : *De Patre procedit*, ut non diceret : *De me non procedit?* »

3º Dicendum est Christum æquivalenter declarasse Spiri-

1. *Epist. encyc.*, 16; *Mystag.*, 2.

tum Sanctum etiam ab ipso procedere, dum dixit : *Quem mittam a Patre, Spiritum veritatis.* Missio enim ad effectum temporalem in processione æterna fundatur, atque in divinis, persona quæ mittitur, ab ea, a qua mittitur, procedit.

4° Tandem, notandum est theologos dissidentes crimini vertere Latinis quod verbis Christi addant : *ex Filio*, dum ipsi iisdem addunt *ex solo* (Patre). « Utrimque additio est; si est culpanda, quare non in utroque? » ait Allatius [1]. Additio nempe mentalis non est minus culpabilis coram Deo quam additio verbalis.

### II. — Argumenta negativa seu polemica.

In suis scriptis ad processionem Spiritus Sancti ex professo spectantibus, Photius non tam quærit suum proprium dogma positivis probationibus fulcire, quam doctrinam adversariorum refutare argumentaque ab illis allata infirmare. Jam vero tres potissimum probationes scripturales proferunt theologi catholici ad demonstrandum Spiritum Sanctum communiter etiam a Filio procedere. Prima desumitur ex textibus Scripturæ, ubi Spiritus Sanctus dicitur a Filio *mitti*. Cum enim missio implicet habitudinem missi ad mittentem, et inter personas divinas neque habitudo *secundum imperium*, neque habitudo *secundum consilium*, sed solummodo habitudo *secundum originem* haberi possit, sequitur exstare habitudinem secundum originem inter Spiritum, qui mittitur, et Filium, qui mittit.

Secunda probatio deducitur ex verbis Domini (Joan., xvi, 13-15). *Spiritus veritatis de meo accipiet.* Ex contextu apparet Spiritum Sanctum accipere a Filio divinorum secretorum scientiam. Cum autem scientia in Deo non realiter distinguatur ab essentia, si Spiritus accipit a Filio scientiam, accipit etiam essentiam divinam, seu ab eo procedit.

Tertia probatio trahitur ex pluribus locis Scripturæ ubi Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus Christi*, *Spiritus Jesu*, *Spiritus Filii*. Siquidem hic loquendi modus indicat aliquam relationem inter Spiritum Sanctum et Filium. Atqui inter personas divinas non potest esse nisi *relatio originis*. Ergo Spiritus dicitur Filii Spiritus, quia ab eo suam habet originem.

1. *Contra Hottingerum*, p. 296.

A) *De missione.* — In scriptis ubi ex professo agit de processione Spiritus Sancti, Photius ad missionem Spiritus Sancti a Filio vix alludit, et argumentum jam a Ratramno supra hanc missionem fundatum ignorare videtur. *In quæstione* vero *amphilochiana* CLXXXVIII, hoc fundamentum plane evertit, dum contendit unamquamque personam divinam, et Patrem ipsum, a duabus aliis indifferenter mitti. Ut hoc statuat, hunc Isaiæ prophetæ locum affert : *Et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus* — Καὶ νῦν Κύριος ἀπέσταλκέ με καὶ τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ (Is., XLVIII, 16); quæ verba, juxta ipsum, a Patre proferuntur; unde apparet hunc et a Filio (= ὁ Κύριος) et a Spiritu Sancto (= τὸ Πνεῦμα) mitti[1]. Hanc interpretationem, in *quæstione amphilochiana* CLIX, sancti Joannis Chrysostomi auctoritate confirmare nititur[2]. Præterea, Filium a Spiritu Sancto mitti demonstrat ex vérbis Isaiæ, LXI, 1 : *Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* « Mittit, inquit, Pater Spiritum; mittit et Filius; mittit Filium etiam Spiritus : *Spiritus enim Domini super me*, etc. Mittit etiam Patrem. Non ergo imminuitur missione Spiritus. Nequaquam tantummodo mittit, sed etiam ungit Filium. Quomodo ergo missio Spiritum deprimit? »

Notat tamen Patrem rarius quam duas alias personas mitti, propter prærogativam, qua est *principium :* « Mittit Pater Spiritum atque Filium. Mittit Patrem etiam Spiritus, itemque Filius : en naturæ æqualitas; at sæpius mittit Pater : en causæ (τοῦ αἰτίου) excellentia[3]. »

1. *Quæst. amphiloch.* CLXXXVIII, *P. G.*, t. CI, col. 909-913.

2. *Quæst. amphil.*, CLIX, *ibid.*, col. 837. Auctoritas S. Joannis Chrysostomi desumitur ex quadam *homilia de Spiritu Sancto*, inter spurias a criticis merito relata. Locus laudatus sic se habet : « Si tibi ostendero conditorem cæli et terræ missum a Spiritu et a Filio (ἀποστελλόμενον παρὰ τοῦ Πατρὸς καὶ παρὰ τοῦ Υἱοῦ) quid facis? » Sic legit Photius. In textu autem edito in collectionibus Patrum, v. g., in *P. G.*, t. LII, col. 826 *in medio*, verba, καὶ παρὰ τοῦ Υἱοῦ, desunt. Insuper verum non est quod dicit Photius, scilicet τὸν ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, apud pseudo-Chrysostomum designare personam Patris. Ex toto enim contextu apparet conditorem cæli esse Filium, Filium autem mitti non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem. Siquidem hic pseudo-Chrysostomus negat personas divinas proprie mitti posse : ἡ δωρεὰ πέμπεται, τὸ δὲ Πνεῦμα οὐκ ἀποστέλλεται. *P. G.*, *ibid.*

3. *Ibid.*, col. 912.

*Responsio.* — His Photii affirmationibus sic breviter respondendum :

1° Juxta veriorem verborum Isaiæ interpretationem, hæc proferuntur ab ipso propheta, non autem a persona divina. Sic plerique exegetæ.

2° Multi Patres hæc verba Filio tribuunt, inquantum est homo [1]. In hunc sensum saltem intelligendus est alter Isaiæ textus, cap. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me*, etc., ut patet ex iis, quæ Christus ipse dixit in synagoga Nazareth (Luc., IV, 18).

3° Ut sanctus Thomas, in *Summa Theol.*, I p., qu. XLIII, art. 8, dilucide explicat, « sub aliquo respectu quælibet persona divina a *se et ab aliis mitti* dici potest, relate scilicet *ad principium effectus temporalis*, secundum quem attenditur missio. Opera enim ad extra toti Trinitati sunt communia. « Si vero *mittens* attendatur ut *principium personæ quæ mittitur*, sic non quælibet persona mittit, sed solum illa cui convenit esse principium alicujus personæ. » In missione enim duplex habitudo distinguenda est : *habitudo missi ad mittentem*, et *habitudo missi ad terminum ad quem mittitur.*

4° Melior responsio erit hæc : Nullibi in Sacra Scriptura Spiritus Sanctus aperte dicitur mittere Filium qua Deum. Verba enim Isaiæ in cap. XLVIII obscura sunt ; et si quis ea ad Messiam referre velit, cum Messias sit Deus et homo, de Messia ut homine illa intelligere licitum erit. Verba autem ejusdem prophetæ in capite LXI Christum hominem ex contextu clare respiciunt. E contra vero, Scriptura non semel expressis verbis affirmat Filium mittere Spiritum sanctum. Atqui Spiritus Sanctus considerari non potest nisi ut Deus. Ergo aliqua habitudo necessario ponenda est inter Filium mittentem et Spiritum missum. Hæc autem habitudo non potest esse nisi habitudo originis [2].

Ut vim hujus argumenti effugerent Græci posteriores, ipsam Spiritus Sancti personam mitti et fidelibus dari nega-

1. Cf. Basil., *Contra Eunomium*, lib. III ; Ambros., *De Spiritu sancto*, III, 1 ; Athanas., *Orat. I contra arianos.*

2. Nota S. Augustinum dubium hæsisse circa necessariam connexionem inter processionem æternam et missionem temporalem, et hoc, ob ipsum Isaiæ textum in cap. LXVIII. Cf. de Régnon, *Études positives sur le dogme de la Trinité*, t. IV, p. 517 et 549.

runt, locosque Sacræ Scripturæ, in quibus de missione Spiritus agitur, de solis charismatibus et donis intelligendos esse contenderunt. Hæc autem interpretatio tum cum Patrum communi doctrina, tum etiam cum ipsa Scriptura aperte pugnat. Dicit enim Paulus : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (Rom., v, 5), ubi donum creatum et donum increatum clare ab invicem secernuntur [1].

B) *De interpretatione photiana verborum Domini* : De meo accipiet.

De Joannino textu : *Spiritus veritatis de meo accipiet* (Joan., xvi, 13-15). Photius longam texit disputationem [2]. Sic argumentatur :

*a*) Incredibile est Filium Dei his verbis sibi ipsi contradixisse, aut ea retractasse quæ superius affirmaverat, dum dixerat : *Spiritus veritatis, qui a Patre* [solo] *procedit.*

*b*) Christus non dixit : ἐξ ἐμοῦ λήψεται, id est : *ex me accipiet*, ut Latini interpretari conantur, sed dixit : ἐκ τοῦ ἐμοῦ, (= ἐκ τοῦ ἐμοῦ Πατρὸς), id est : ex meo Patre accipiet. « Ipsi pueri grammaticorum scholam frequentantes sciunt hac voce : *De me*, illum ipsum includi, qui orationis pericopen protulit; illa autem : *De meo*, aliam personam diserte significari, unitam quidem juribus conjunctionis cum eo qui vocem pronuntiavit, sed differentem omnino quoad hypostasim [3]. »

*c*) Etiamsi Christus dixisset : *De me accipiet*, exinde non sequeretur Spiritum Sanctum ex eo procedere. Aliud est enim accipere a quodam aliquid ob aliquam particularem necessitatem, aliud ab ipso procedere, seu essentiam accipere [4]. Ex contextu autem et ex usurpatione futuri : *accipiet*, patet Spiritum Sanctum accipere, non ut *procedat* vel *subsistat*, sed ut *ventura annuntiet : Quæ ventura sunt, annuntiabit vobis* [5].

1. Scimus quosdam modernos exegetas negare distinctionem inter donum creatum et donum increatum verbis Apostoli subindicari. Horum tamen opinionem ut omnino falsam habemus.
2. *Epist. ad Aquil.*, 14, 15; *Myst.*, 20-30.
3. *Mystag.*, 22.
4. *Ibid.*, 21.
5. *Ibid.*, 29.

*d*) Item, ex contextu perspicuum est Christum, hæc de Spiritu Sancto pronuntiando, intendisse tantummodo perfectam Spiritus Sancti *æqualitatem et consubstantialitatem cum seipso et cum Patre, declarare :* Clarius explicans quid sibi velit his verbis : *De meo accipiet*, confestim addit : *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt.* Ideo, Spiritus mea accipiens, et *de meo Patre accipit.* Nec vero eo usque tantum sententiæ ejusdem explicationem profert, sed adhuc exactius illam revelans et confirmans, ait : *Propterea dixi quia de meo accipiet, quoniam in Patre quidem sunt mea; Spiritus autem ex Patre accipit; quæ enim sunt Patris, mea sunt* [1].

*Responsio.* — *a*) Primum Photii argumentum omnino vanum est ; Christus enim non dixit : *a Patre solo.*

*b*) Latini non conantur verba Christi : *De meo*, in illa : *De me* mutare. Vertunt enim : *de meo*, id est : *de eo quod habeo a Patre acceptum.* Imo fatentur fere omnes immediate de scientia ac doctrina sermonem esse. Explicatio vero Photii tum *grammaticæ* tum *contextui* aperte repugnat ; *grammaticæ*, quia ex græcæ linguæ usu, pronomen possessivum sine adjectione adhibitum, est *neutri generis;* quando vero est masculini vel feminini generis, semper adjectum habet substantivum ejusdem generis. *Meus* enim, simpliciter, sine additione, non magis Patrem quam hostem significat! *Contextui;* Christus enim ipse illud *de meo* explanat, dum addit : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Sane inanis foret ea repetitio, inanis ea explicatio, si tantum dicere intenderet : *De meo Patre accipiet, non de me.* Sed patet Christum affirmare se omnia habere, quæ Pater habet ; ergo ea omnia quæ Spiritus Sanctus accipit a Patre. Si ea recipit a Patre, recipit etiam a Filio, qui una cum illo indivisibiliter hæc possidet.

*c*) Nihil Spiritus Sanctus a Filio accipere potest quod non sit re idem cum essentia divina. Accidens enim locum non habet in divinis.

*d*) Cognitio futuri est cognitio prorsus divina. Cognitio autem divina idem est ac essentia divina. Si Spiritus Sanctus recipit a Filio cognitionem futurorum, eo ipso ab eo recipit essentiam divinam. Et hæc receptio ab æterno fit. Usus autem futuri connotat terminum temporalem missionis

1. *Ibid.*, 29.

Spiritus Sancti. Æternitas omnibus temporis partibus eminenter respondet.

*e*) Filius ea omnia habet quæ Pater habet, præter esse Patrem, seu generare. Unde habet a Patre, ut possit cum eo spirare Spiritum Sanctum. Pater enim non spirat qua Pater, sed qua spirator.

*f*) Ut luculente probarunt Joannes Veccus, Manuel Calecas et Bessarion, Photii explicatio adversatur græcis Patribus, v.g., Athanasio, Epiphanio, Didymo, Cyrillo Alexandrino (cf. Hergenrôther, apud Migne, t. CII, col. 434, 435 [1]).

C) *Explicatio verborum : Spiritus Filii, Spiritus Christi.*

His effatis Apostoli : *Spiritus Filii* (Gal., IV, 6), *Spiritus Christi* (Rom., VIII, 9) processionem Spiritus Sancti a Filio insinuari vel subindicari omnino negat Photius [2].

*a*) Hæc interpretatio, inquit, stare non potest, quia Paulum Christo contradixisse impossibile est.

*b*) *Esse Filii* significat tantummodo Spiritum non esse *alienum a Filio, ejusdem naturæ esse cum Filio*, ejusdem essentiæ, ejusdem gloriæ, ejusdem honoris ac dominationis; nullo modo autem indicat Filium esse principium Spiritus Sancti. Patri quidem consubstantialis est Spiritus Sanctus, quia ex ipso procedit; consubstantialis vero Filio est, non quia ex eo procedit, sed quia ex uno et indivisibili principio ab æterno æquali ordine utrique progressio est [3].

*c*) Si esse Filii idem significaret ac procedere a Filio, tunc Pater a Filio procederet, quia dicitur *Pater Filii;* Filius a mundo procederet, quia seipsum vocat *lumen mundi;* Spiritus Sanctus a suis donis procederet, quia appellatur *Spiritus fidei, Spiritus sapientiæ.* Nec dici potest in hoc ultimo casu vocem *Spiritus* poni pro *dono* vel *charismate*, quia tunc haberemus in sensu Latinorum : *fides a fide procedit, fides dat fidem;* et Spiritus Sanctus jam non esset largitor spiritualium charismatum.

*d*) Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus Filii*, non solum quia

1. Notandum est photianam interpretationem illius ἐκ τοῦ ἐμοῦ inveniri apud auctorem *primi dialogi contra Macedonianos*, *P. G.*, t. XXVIII, col. 1317 C, sancto Athanasio erronee tributi.

2. *Epist. ad Aquil.*, 11 ; *Myst.*, 27, 48-56, 59, 85, 90-94.

3. *Myst.*, 53.

ejusdem naturæ est, sed quia *Filium ungit, Filio corpus efformat in sinu Virginis, super Filium manet.*

*e*) *Spiritus Patris ex se* non significat : *Spiritus qui a Patre procedit.* Si tamen quis vellet in hoc effato fundamentum processionis detegere, hoc quadamtenus concedi posset, quia aliunde scimus Spiritum a Patre procedere. At vero eadem ratiocinatio non valet pro : *Spiritus Filii*, quia nullibi dicitur Spiritus Sanctus a Filio procedere.

*f*) *Spiritus Filii* non idem sonat ac *Spiritus Christi;* siquidem *Spiritus Filii* significat Spiritum esse Filio consubstantialem, dum Spiritus Sanctus vocatur *Spiritus Christi*, quia inungit Dominum, inquantum homo est. Si *Spiritus Christi* significaret : *Spiritus qui a Christo procedit*, tunc dicendum esset Spiritum Sanctum *a Christo homine* procedere; quod esset existentiam accipere in tempore, et creaturis annumerari [1].

*Responsio.* — *a*) Photius gratis supponit Latinos docere tanquam principium inconcussum hocce affatum : *Quod alicujus esse dicitur, ex eo vel ab eo est.* Non enim illi indiscriminatim affirmant id quod dicitur esse alicujus, ab hoc ipso existere; sed id tantum affirmant de personis, et non de personis quibuslibet, sed de solis personis divinis. Creaturæ siquidem sunt Patris et Filii; sed nemo dicet Patrem et Filium a creaturis procedere. Genitivus casus equidem indicat aliquam relationem existere inter personam in nominativo designatam et personam in genitivo notatam; cujusnam autem sit ista relatio, a priori dici nequit. Hoc a contextu pendet. Jam vero scimus inter personas divinas non posse intercedere nisi relationem originis. Ideo axioma Latinorum sic enuntiandum est : *Qui in divinis dicitur esse alterius, nexu originis cum eo est junctus.* Unde Spiritus Sanctus dicitur esse *Spiritus Filii*, quia procedit a Filio.

Cæterum ipsa vox *Spiritus* (πνεῦμα = effectus spirationis) ad πνέοντα, (spirantem) refertur ut effectus ad causam. Dicitur etiam *Spiritus Patris.* quia spiratur et a Patre. Est revera nomen relativum.

*b*) Dicere possumus indifferenter : *Pater Filii* et : *Filius Patris*, quia inter Patrem et Filium adest relatio originis

1. *Myst. Sp.*, 93, 94.

opposita. Pater enim est Pater, quia generat Filium; Filius autem est Filius, quia generatur a Patre. Sed non possumus dicere : *Filius Spiritûs*, quamvis dicamus : *Spiritus Filii*, quia vox *Filius* indicat relationem passivam ad Patrem. Filius autem non habet nisi relationem activam ad Spiritum Sanctum. Bene vero dici potest : *Spiritus Filii*, quia revera Spiritus relationem passivam habet ad Filium, a quo procedit, etsi non quatenus est Filius. Item, Filius dici potest *Spirator Spiritûs*, quia vox *spirator* connotat relationem activam ad Spiritum. Item, Spiritus Sanctus vocari potest *Spiritus spiratoris*, ob eamdem rationem.

*c*) Ex his patet Photium errare, dum affirmat effatum paulinum : *Spiritus Filii* nihil aliud significare nisi consubstantialitatem Spiritus et Filii. Si enim hoc verum esset, nihil obstaret quin diceremus : *Pater Spiritûs*, vel *Filius Spiritûs;* quod, teste ipso Photio, tolerari non potest : *In humanis rebus*, ait ille, *tum Patri tum Filio Spiritum inesse et cernimus et confiteri solemus; quod autem Spiritus Filium aut Patrem habeat, id neque dicere patimur neque mente percipimus. Non immerito Spiritum Patris Filiique dicere discimus; Patrem vero vel Filium Spiritûs haud jam agnoscere sustinemus* [1].

Præterea, aliquis alicui consubstantialis esse potest quin dici possit *ejus esse;* v. g., duo homines, inter quos nulla adest relatio originis vel dependentiæ, sunt consubstantiales; et tamen unus dici non potest esse alterius; dum e contra aliquid alicujus esse dici potest, quin sit ei consubstantialis, v. gr., *domus Petri.*

*d*) Multi Patres diserte explicant verba : *Spiritus Christi*, *Spiritus Filii*, sicut Latini; v. g., S. Maximus Confessor : ὥσπερ ἐστὶν αἴτιος τοῦ Λόγου ὁ Νοῦς, οὕτω καὶ τοῦ Πνεύματος, διὰ μέσου δὲ τοῦ Λόγου· καὶ ὥσπερ οὐ δυνάμεθα εἰπεῖν τὸν λόγον εἶναι τῆς φωνῆς (verbum esse vocis), οὕτως οὐδὲ τὸν Υἱὸν λέγειν τοῦ Πνεύματος (= sic neque dicere Filium esse Spiritûs) [2].

Jobus monachus, ab ipso Photio in *Bibliotheca* laudatus, ait : « Dicitur *digitus manus*, sed non dicitur : *manus digiti* [3]. »

1. *Quæst. Amphil.*, CLXXXIX, *P. G.*, t. CI, col. 913-916.
2. *Dub. Oppos.*, *quæst.* XXXIV. Ed. Combefis, t. I, p. 313. *P. G.*, t. XC col. 813 B.
3. *Bibliotheca*, Cod. 222, n. 35, *P. G.*, t. CIV, col. 800.

Manus autem repræsentat Filium; digitus vero Spiritum Sanctum [1].

Sanctus Basilius expresse declarat verba : *Spiritus Filii* in relatione principiati ad principium fundari [2], dum sanctus Athanasius Spiritum Sanctum vocat : τὸ πεπνευμένον παρὰ τοῦ Πατρός et πνοὴν τοῦ Υἱοῦ [3].

*e*) *Spiritus Christi* idem sonat ac *Spiritus Filii*, quia vox *Christus* suppositum seu personam Verbi incarnati directe significat, quamquam et ea quæ ad naturam humanam pertinent de Christo prædicari possunt. Unde, quæcumque dicuntur de Filio, dici possunt etiam de Christo, et vice versa, propter personæ unitatem. Ratiocinatio photiana ad nestorianismum ducit. Ergo effatum *Spiritus Christi* non refertur necessario ad Christum ut hominem, sed referri etiam potest ad Christum ut Deum. Quo posito, argumentatio photiana tota ruit.

*f*) Demum, Patres nullam ponunt differentiam inter Spiritus Sancti processionem, quatenus Patri tribuitur vel Filio. Spiritus Sanctus enim est tam Filii quam Patris proprius; quia quæcumque habet Pater, eadem habet et Filius.

*g*) In his vero effatis : *Ego sum lux mundi* — *Spiritus sapientiæ*, etc., notatur quidem relatio originis inter nominativum et genitivum; sed hæc relatio jam non de personis divinis ad invicem prædicatur, verum de creatore relate ad creaturam, vel de causa relate ad effectum quem producit.

#### IV. — Argumenta photiana ex Traditione desumpta.

Argumenta photiana ex Traditione hausta omnium sunt infirmissima. Et hoc non mirum, cum novator sententiam apud Patres quum græcos tum latinos inauditam propugnet. Quemadmodum argumenta ex sancta Scriptura petita, ita et illa, quæ ex Traditione desumuntur, in *positiva* et *negativa* dividi possunt.

1. Cf. Cyrill. Alexand., *Com. in Joan.*, lib. X, xvi, 13, *P. G.*, t. lxxvi, col. 443; *De Ador.*, lib. I, t. lxviii, col. 147; *Thesaur. assert.*, 33; t. lxxv, col. 567; Epiph., *Ancor.*, 8, *P. G.*, t. xliii, col. 30 sq.
2. *Contra Eunomium*, l. II, c. xxxiv, *P. G.*, t. xxix, col. 652.
3. *Epist. III ad Serap.*, 3, *P. G.*, t. xxvi, col. 627.

### I. — Argumenta positiva

Interpretationis regula, quam Photius in explanandis verbis Christi : *Spiritus veritatis, qui a Patre procedit*, secutus est, ab eo iterum adhibetur in exponenda synodorum ac Patrum doctrina. Unde tanquam pro sua sententia facientes allegat quotquot conciliorum, Patrum vel etiam Summorum Pontificum textus invenit, in quibus simpliciter affirmatur *Spiritum Sanctum a Patre procedere*. Ubicumque enim legitur: *Spiritus a Patre procedit*, Photius semper intelligit : *Spiritus a* Patre solo *procedit*. »

Hac puerili interpretatione primo quidem haud ægre ad se trahit omnia concilia œcumenica quæ symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, prout jacet, recitaverunt ac confirmarunt, nullo pacto animum intendens ad ea, quæ in Actis vel decretis eorumdem, dogmati catholico aperte favent [1].

Ex Patribus græcis nullum testimonium positivum pro sua sententia profert. In *Epistola encyclica ad Orientales*, memorat quidem Athanasium, Gregorium, Basilium et Chrysostomum, nullum vero locum ex eorum scriptis recitat [2]. Eamdem silentii viam in *Mystagogia Spiritus Sancti* sequitur. Illi

1. *Myst. Spiritus Sancti*, 5, 80. Non paucá in conciliis œcumenicis invenire licet, quæ processioni Spiritus Sancti ab utroque vel per Filium suffragentur; ex. gr., Ephesina synodus nonum S. Cyrilli anathematismum probat, in quo Spiritus Sanctus *Filii proprius* declaratur. Item Ephesina, Constantinopolitana secunda et tertia miris prosequuntur laudibus S. Cyrillum Alexandrinum, qui dogma catholicum in suis scriptis passim docet. Constantinopolitana secunda, quæ est œcumenica quinta, de sanctis Patribus et Ecclesiæ doctoribus hæc habet : « Super hæc sequimur per omnia et sanctos Patres et doctores Ecclesiæ : Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum, et suscipimus omnia, quæ de recta fide et condemnatione hæreticorum exposuerunt. » Hardouin, t. III, col. 58. Atqui, præter Græcos hic nominatos, qui processionem Spiritus a Patre per Filium diserte docuerunt, habes Latinos nostros, Ambrosium scilicet, Hilarium, Augustinum, Leonem, qui omnes processionem ab utroque passim in suis scriptis prædicant ac explicant. In septima synodo, S. Tarasius, Photii avunculus, suam ad Orientales epistolam publice legit, in qua profitetur *Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere*, ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορευόμενον; quam epistolam Patres synodi, nullo reclamante, approbant.

2. *Epist. encyc.*, 16.

satis est hanc exclamationem bis jactare : « *Quis unquam nostrorum gloriosorum Patrum ad verbum* κατὰ λέξιν, *dixit Spiritum a Filio* ἐκπορεύεσθαι[1]? Revera hactenus inventus non est locus alicujus ex Patribus græcis, cui ad verbum, κατὰ λέξιν, ferat : Τὸ Πνεῦμα παρὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται. At quam multi sunt textus in operibus Græcorum, in quibus dicitur : *Spiritus Sanctus ex Filio est, prodit, effulget, provenit, profunditur, accipit*, etc. »; quæ omnia eumdem sensum fundamentalem præ se ferunt, et de quibus Photius noster prorsus silet !

Latinis Patribus, præsertim Ambrosio, Hieronymo et Augustino, quos theologi occidentales tanquam pro se facientes jure laudabant, Photius longam paparum seriem opponit, quos deprehendit simpliciter dixisse : *Spiritus qui a Patre procedit*, vel symbolum Nicæno-Gonstantinopolitanum sine additione recitasse aliquove modo opprobasse. Summi Pontifices ad quos provocat sunt sequentes : Damasus, Cælestinus, Leo Magnus, Vigilius, Agatho, Gregorius Magnus et Zacharias[2], Adrianus I, Leo III (vel potius Leo IV), Benedictus III, Joannes VIII, Hadrianus III[3]. Ex hac enumeratione satis patet illum plane ignorasse scripta Pontificum quos recenset, præsertim Leonis Magni et Gregorii Magni, qui tam diserte processionem ab utroque docent.

### II. — Argumenta negativa

Aliter agit Photius cum Patribus latinis, aliter cum græcis. Non audet quidem in dubium vocare quosdam Latinos, ut Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, pro-

1. *Myst.*, 5, 91. Quare Photius ad auctoritatem Theodori Mopsuesteni vel Theodoreti, qui Spiritum Sanctum suam a Filio habere exitentiam, ὕπαρξιν, negare visi sunt, non provocat? Quia symbolum Theodori a synodo Ephesina damnatum fuit, et quia scripta Theodoreti contra Cyrilli anathematismos item non semel in synodis œcumenicis reprobata sunt. Cæterum animadvertendum est Photium propensiori animo fuisse in Theodoretum, a quo non minus quam triginta duas exegeticas solutiones mutuatus est. Item Jobus monachus valde illi placet, forsan ob hanc de trutina comparationem, de qua supra locuti sumus.

2. Citat Gregorium et Zachariam ob quendam locum *Dialogorum* sancti Gregorii, quos græce reddidit Zacharias. De hoc loco vide ea quæ in nota 2, p. 252, infra dicimus.

3. *Mystag. Spiritus Sancti*, 78-89.

cessionem Spiritus Sancti ab utroque revera docuisse; sed mira cum versutia, diversorum sophismatum ac effugiorum ope, ab eorum auctoritate se expedit :

*a*) « Unde, inquit, fides haberi, potest, post tot annos elapsos, horum Patrum scripta non fuisse per malitiam depravata [1] ? »

*b*) Doctrina Christi et Apostolorum dictis Patrum latinorum est anteponenda. Hi vero excusandi sunt, si quid dominicæ voci contrarium protulerint [2].

*c*) Si decem, vel etiam viginti e Patribus hanc vocem [= *a Filio procedit Spiritus*] emiserunt, sexcenti vero ac innumeri non dixerunt, nonne illos qui numero superant alios audire debemus [3]?

*d*) Patres homines erant, et in errorem labi potuerunt, sive ex ignorantia, sive ex negligentia, sive etiam per dispensationem seu indulgentiam (= οἰκονομία) erga auditores vel erga hæreticos, quos ad fidem allicere intendebant; nunquam vero in errore obstinati vel contumaces inventi sunt. Hujus autem dispensationis seu οἰκονομίας quædam exempla Photius affert : « Paulus, inquit, Judæis factus est tanquam Judæus, ut illos lucraretur; iis vero qui sine lege erant factus est ut qui sine lege, ut eos lucrifaceret. Sanctus Basilius divinitatem Spiritus Sancti prædicare quandoque omisit, ut tempore opportuno, validiore voce, id quod tacuisset, publicaret, etc., etc. [4] »

*e*) Cæterum, quorumdam Patrum doctrinam Ecclesia aperte rejecit, quin illos probro afficeret; v. g., quædam opera a Clemente Romano conscripta non suscepit [5]; Dionysius Alexandrinus, dum contra Sabellium fervide disputat, Ario propemodum protendit manum; Methodius Patarensis censet angelos passionibus et sensualitati obnoxios esse; Pantænus, Clemens Alexandrinus, Pierius, Pamphilus, Theognostus quædam dixerunt, quæ non admittuntur hodie. Idem dicendum de quibusdam Patribus occidentalibus, v. g.,

1. *Myst.*, 71. Nota hanc exceptionem ad nostra usque tempora a polemistis anticatholicis ad satietatem repeti.
2. *Epist. ad Aquil.*, 16-18; *Mystag.*, 66-68.
3. *Ad Aquil.*, 16.
4. *Ad Aquil.*, 16-20; *Myst.*, 68, 72-74, 77.
5. Agitur de scriptis pseudo-clementinis.

de Irenæo Lugdunensi episcopo et Hippolyto ejus discipulo [1].

*f*) Si Latini pneumatomachi suos Patres vere diligerent probos Noe filios imitarentur, silentioque tegerent ipsorum defectus, dum e contra Chamo nunc pejores fiunt, Patrum turpitudinem evulgando et in hac audacia gloriando [2].

Ex his constat Photium unanimitatem ac continuitatem traditionis latinæ plane ignoravisse. Cautius certe loqui debuisset de iis, quæ non bene noverat.

Ad græcos autem Patres quod attinet, non tantam in eos audaciam ostendit, sed occulte ac subdole eorum doctrinam impugnat.

Primum quidem silentio, ut jam diximus, præterit quæcumque hi Patres dogmati catholico suffragantia scripserunt. Ut autem alicujus prætextus velo silentium hujusmodi apud lectores excusaret, hæc in fine *Mystagogiæ Spiritus Sancti* posuit :

« Quod si quando Dominus nobis direptos libros atque amanuenses restituat, fortasse habebis, sanctissimo Spiritu nobis afflante atque annuente, etiam testimonia quæ proferunt novi isti Spiritus inimici, imo totius summe bonæ ac trinæ in personis Deitatis hostes furiosi (nihil enim in ea omiserunt, quod suis vesaniis non injuria afficerent); necnon habebis confutationem ipsorum ex testimoniis, quæ ipsimet producunt, deductam, imo et ipsorum in his rebus dolos ac fraudes; itemque beatissimorum sapientissimorumque nostrorum Patrum testimonia constantissima atque irrefragabilia, quibus confunditur et impietatis arguitur istius apostasiæ sententia [3]. »

Num morte præventus, Photius promisso stare non potuerit? Difficilius credam, saltem quod ad doctrinam Patrum græcorum attinet. Hanc enim optime noverat. Unde cum Hergenröther sine temeritate affirmare licet hominem, « qui græcorum Patrum opera, quæcumque sibi comparare poterat nocturna diurnaque versarat manu, ea omnia astute dissimulasse, quæ adversariorum causæ in iis favebant, nonnulla fortasse minus diserta testimonia suum in sensum trahi

1. *Myst.*, 75; *Epist. ad Aquil.*, 21, ubi loco Hippolyti venit Papias Hierapoleos. Alludit ad errorem chiliasmi.
2. *Ad Aquil.*, 16, 17; *Mystag.*, 67, 69, 70.
3. *Myst.*, 96.

posse existimantem, alia clariora veluti theologica ἀκριβείᾳ destituta parvipendentem, magnopere vero in Latinorum confidentem ignorantia ac penuria virorum græcis litteris imbutorum, minime vero ea plane ignorantem. Illius in hac controversia fidem non bonam vidit et castigavit sedulus operum ejusdem scrutator Joannes Veccus [1]. »

« Qui circa veritatem maligne non cæcutit, inquit ille, discernet non id ex rerum earum ignoratione Photio contigisse; sed cum adversus sanctorum Patrum sententias, ipso sole clarius veritatem ostendentes, sese opponere non auderet, suam ex vindictæ desiderio ortam improbitatem, pravis interpretationibus, quibus propriam amaritudinem emollire existimabat, complevit; quæ autem sciebat adversariis robur addere, quasi ea nesciret, præteriit [2]. »

Hæc autem speciatim profert Veccus, ut photiani silentii de effatis Patrum græcorum circa Spiritus Sancti ex Filio et per Filium *progressum*, *effusionem*, *emissionem*, *proventum* (δι' Υἱοῦ καὶ ἐξ Υἱοῦ προϊέναι, καὶ προχεῖσθαι, προέρχεσθαί τε καὶ ἐκπέμπεσθαι) rationem reddat. Verum Photius de hujusmodi locutionibus non omnino tacet, sed eas satis aperte carpit ac damnat, quamquam Patres græcos non nominat, dum Spiritum Sanctum tam immediate ac proxime quam Filius, a Patre prodire contendit, doctrinamque Latinorum in hoc reprehendit, quod medium Filium inter Patrem et Spiritum ponere videtur [3].

Hanc Filii mediationem non uno in loco suorum operum e medio tollere nititur novator, atque, ut hoc efficiat, quasdam Patrum locutiones et comparationes perversa atque hæretica interpretatione inficit. Sic, Patres græci dixerant Spiritum Sanctum esse Filii imaginem, quemadmodum et Filius Patris imago est, hac comparatione innuentes non solum perfectam personarum consubstantialitatem, verum etiam originis nexum, qui unamquamque earum cum altera conjungit [4]. Quid Photius? Patristicæ similitudinis sensum retinet qui-

1. Hergenröther, *Animadversiones in Photii Mystagogiam*, 6.

2. *Ad Theodorum Sugdææ episcopum*, lib. III, XII. *P. G.*, t. CXLI, col. 338.

3. Vide ea quæ supra, p. 201, ad sextum Photii axioma diximus.

4. Εἰκὼν τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱός, καὶ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα : Joannes Damascenus, post alios Patres, *De fide orthodoxa*, I, XIII. *P. G.*, t. XCIV, col. 856 B.

dem pro Filio relate ad Patrem; pro Spiritu autem relate ad Filium ejusdem significationem arbitrario truncat ac restringit, ita ut *Spiritus*, *imago Filii* nonnisi utriusque personæ consubstantialitatem designet :

« Imago Patris, inquit, dicitur Filius, et quia ad illum ut causam refertur, et quia in seipso Patrem ostendit et figurat; qui olim Philippo dicebat : *Qui videt me, videt et Patrem meum.* Spiritus autem est imago Filii, non quod id illum referatur, absit; sed quod possibile non est Filium aliter agnoscere, nisi Spiritus Sanctus ut conductor et cooperator sumatur [1]. »

Item, ultimum fundamentum consubstantialitatis divinarum personarum in relatione originis inter eas vigenti Patres græci communiter reperiunt. Photius vero hanc doctrinam non recipit nisi pro Filio et Spiritu Sancto relate ad Patrem, aliamque rationem consubstantialitatis Spiritus Sancti relate ad Filium e suo penu profert :

« Quando dicimus Spiritum esse Patris ac Filii, consubstantialitatem quidem ejus cum utroque ex vocibus istis colligimus; *scimus autem Spiritum consubstantialem esse Patri, quia ex ipso procedit, atque consubstantialem Filio, non quia procedit, absit! — nam nec Filius consubstantialis est Spiritui propter generationem — sed quia ex una indivisaque causa ab æterno simul eodemque ordine prodiit* [2]. »

Juxta eorumdem Patrum communem conceptum, ordo relationum personarum Trinitatis ad creaturas ordinem processionum ad intra imitatur ac repræsentat; unde apud eos hæc tritissima formula : *Pater omnia operatur per Filium in Spiritu Sancto* : διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. Apud Photium vero novus loquendi modus occurrit, novo diagrammati Trinitatis aptatus. Pater dicitur operari, creare *per Filium et per Spiritum Sanctum*, διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ διὰ τοῦ Πνεύματος [3].

1. *Quæst.*, CCXXXV, *ad Amph.*, *P. G.*, t. CI, col. 1029 A.

2. ὁμοούσιον μέν ἐστι τῷ Πατρί, διότι ἐξ αὐτοῦ ἐκπορεύεται· ὁμοούσιον δὲ τῷ Υἱῷ, οὐχ ὅτι ἐκπορεύεται, ἄπαγε... ἀλλ'ὅτι ἐξ ἑνὸς καὶ ἀμερίστου αἰτίου πρὸ αἰώνων τε καὶ ὁμοταγῶς ἑκατέρῳ ἡ πρόοδος. *De Myst. Spir. Sancti*, 53. Cf. § 91 : καὶ γὰρ ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, διότι ἐκπορεύεται, οὐ διότι δὲ ὁμοούσιον, ἐκπορευτόν.

3. Πατὴρ διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος αὐτοῦ πάντα ὑπέστησεν ἐκ μὴ ὄντων. *Contra Manichæos*, III, 17. *P. G.*, t. CII, col. 168 B. Ὁρᾷς πῶς δημιουργῶν ὁ Πατήρ, διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ Πνεύματος δημιουργεῖ. *Quæst. Amphil.* CLXXXVIII. *P. G.*, t. CI, col. 909 B.

Spiritus Sanctus Filio non amplius subordinatur ac postponitur, sed separatim ab eo agit creaturasque attingit, sicut et separatim ab eo existit et a Patre procedit.

Patres dicebant : « Filius manifestat Patrem; Spiritus Sanctus Filium manifestat. » Non sic Photius, sed *ex una personarum*, inquit, *manat cujuslibet earumdem manifestatio atque comprehensio...* Jam quibus pure atque perspicue unam ex his beatis creatricibusque personis cognoscere datum est, iisdem reliquarum quoque cognitio peracta est [1]. »

In *quæstione* CXC *ad Amphilochium*, Photius rursum a Patrum doctrina recedit, dum ordinem divinarum personarum, prout in forma baptismi et in precibus Ecclesiæ occurrit, explicare conatur. Concedit quidem Patrem nominari primum, quia est principium aliarum personarum; cur autem Filius Spiritui Sancto anteponatur, non aliam rationem invenit quam rationem mere extrinsecam ac temporalem : quia, inquit, Filius, ante Spiritum Sanctum, in notitiam hominum venit :

« Pater principium est ex se dimanantium, unius quidem per generationem, alterius vero per processionem; qui sane ad eum tanquam ad principium suæ connaturalis productionis referuntur. *Atqui hæc ipsa relatio perbelle ostendit præponendum esse ab ipso procedentibus Patrem; non tamen eadem demonstrat præponendum Spiritui Filium.* Ratio autem communior hujus numerationis personarum in Trinitate ea est quæ ex manifestatione et cognitione uniuscujusque personæ desumitur. Primo enim hominum cognitioni occurrit Pater, deinde Filius, et per Filium Spiritus Sanctus [2]. »

Unde, secundum Photii doctrinam, nihil impedit quominus processionem Spiritus Sancti ante Filii generationem mente concipere possimus; neque ulla intrinseca ratio obstabat quin Spiritus Sanctus in forma baptismi secundo loco, ante Filium, poneretur; imo in *quæstione ad* XXVIII *Amphilochium*, ubi quasdam Trinitatis similitudines apud Patres vulgatas suo modo explanat, aliquam præcedentiam Spiritui Sancto relate ad Filium tribuere videtur. Dicit enim :

1. *Quæst. Amphil.* CXC, *P. G.*, *ibid.*, col. 917 A.

2. *P. G.*, t. CI, col. 916 CD. Cf. *Myst. Spir. Sancti*, 27. Jobus monachus ipse nullum momentum tribuit ordini personarum relate ad processiones ad intra. *P. G.*, t. CIII, col. 788 sq.

« Ex ipso humano ore tum verbum, tum vox profunduntur, et parvo quidem discrimine per eadem organa formantur et proferuntur. Profecto, dum cætera sunt communia, *verbum quidem a summitate linguæ, vox autem potius ab ejus radice creatur;* quodque majus est, et magis mirandum, verbum, sine voce, prodire non potest; imo etiam verbi formam in ipsa ejus conformatione suffulcit ac sustinet vox, quæ simul advenit atque profertur [1]. »

In hac comparatione, ut patet, os designat Patrem, verbum Filium, vox Spiritum Sanctum. Certe Photius aliquem hic primatum Spiritui super Filium tribuere conatur, nedum Spiritum Filio posteriorem cogitet. Quam autem longe sint hæc a mente Patrum græcorum, ille probe noverit qui in eorum scriptis etiam mediocriter versatus erit [2].

Ex his omnibus concludere possumus Photium non solum Patribus latinis, quos imperfectissime noverat, verum etiam, et forsan apertius, Patribus græcis contradixisse. Fuit ergo veri nominis in fide novator, atque novæ hæreseos adinventor.

## ARTICULUS VIII

### De cæteris Photii criminationibus contra Occidentales.

Ut jam supra diximus, criminationes photianæ contra Occidentales decem numero fuerunt; verum illæ octo de quibus nobis dicendum remanet, nullius fere momenti fuerunt, earumque Photius mox oblitus est; imo ipse eas indirecte retractare visus est, dum in suo concilio Sanctæ Sophiæ (879-880) sequens decretum approbandum curavit :

« Unaquæque sedes habuit quasdam antiquas consuetu-

1. καὶ τὸ μεῖζον, καὶ θαυμασιώτερον, ὡς οὐδ' ἂν προέλθοι λόγος ἄνευ φωνῆς, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ διαμορφώσει ὑπερείδει τε καὶ ὑπερανέχει τὴν τοῦ λόγου μορφὴν ἡ φωνὴ συνυφεστῶσά τε καὶ προάγουσα. *P. G.*, t. CI, col. 209 CD.

2. Cf. de Régnon, *op. cit.*, t. IV, p. 153-162. Patres græci Spiritum Sanctum vocant *flatum, spirationem Filii :* Verbum (ὁ λογος) habet spiritum, ait Gregorius Nyssenus, *P. G.*, t. XLV, col. 17. — *Spiritus Sanctus est spiratio Filii,* πνοὴ Υἱοῦ, ait. S. Athanasius, *P. G.*, t. XXVI, col. 628. — Spiritus Sanctus est *sermo Filii,* ῥῆμα Υἱοῦ, sicut Filius est *verbum Dei,* Θεοῦ λόγος, dicit S. Basilius, *P. G.*, t. XXIX, col. 732.

dines sibi traditas, nec oportet de his invicem contendere ac litigare. Observat enim romana Ecclesia consuetudines suas; et hoc convenit. Observat autem et constantinopolitana Ecclesia suas consuetudines, quas ab antiquo accepit; similiter et sedes orientales [1]. »

Ergo schismaticus, post primum irarum æstum, ad saniorem circa differentias mere disciplinares vel liturgicas reversus est sententiam, quam jam in sua secunda epistola ad Nicolaum papam diserte expresserat, antequam ab hoc condemnaretur. Neque pueriles hujusmodi criminationes rursum jactare ausus est, postquam a romanis Pontificibus, synodo Sanctæ Sophiæ rejecta, iterum excommunicationi subjectus est. Solum tunc de processione Spiritus Sancti controversiam resumpsit [2]. Utinam Michael Cærularius aliique Byzantini, qui post ipsum fuerunt, hanc Photii circa discrepantias disciplinares animi æquitatem imitati essent! Sed infeliciter in illis potissimum institerunt, hac agendi ratione separationis sensum in rudium animos penitus immitentes.

## ADNOTATIONES AD CAPUT SECUNDUM

### I. — De primatu romanæ Ecclesiæ in versione veteroslavica Nomocanonis a sancto Methodio facta.

Bis supra, p. 111 et p. 115, mentionem fecimus de diserto testimonio circa primatum Petri apostoli et romani Pontificis, quod in versione veteroslavica Nomocanonis quinquaginta titulorum a sancto Methodio, Moravorum apostolo, (vel ab ejus discipulis), ad suum Slavorum neoconversorum facta, occurrit. Hoc primum publici juris fecit celeberrimus

1. Ἕκαστος θρόνος ἔσχεν ἀρχαῖά τινα παραδεδομένα ἔθη, καὶ οὐ χρὴ περὶ τούτων πρὸς ἀλλήλους διαφιλονεικεῖν καὶ ἐρίζειν· φυλάττει μὲν γὰρ ἡ τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησία τὰ ἔθη αὐτῆς, καὶ προσῆκόν ἐστι· φυλάττει δὲ καὶ ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν Ἐκκλησία ἴδιά τινα ἔθη, ἄνωθεν παραλαβοῦσα· ὡσαύτως καὶ οἱ τῆς Ἀνατολῆς θρόνοι. Hardouin, t. VI, col. 132.

2. Quando suam ad Orientales encyclicam epistolam iterum edidit, admodum verisimile est, imo certum videtur, illum ex ea expunxisse quæcumque ad processionem Spiritus Sancti non spectabant; in multis enim codicibus encyclica occurrit sub hoc titulo : Ἑτέρα ἔκδοσις περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος· ἐξεδόθη ἐν τῷ πατριαρχείῳ μετὰ τὴν ἐπάνοδον ἐκ τῆς ἐξορίας. Cf. Hergenröther, *op. cit.*, t. II, p. 644, et ea quæ supra diximus, p. 189.

canonista russus A. Pavlov in *Vizantiiskii Vremennik*, t. IV, 1897, p. 143-154, qui multiplici argumento illud ad pristinam versionem Nomocanonis L titulorum seu Joannis Scholastici pertinuisse demonstravit. Fuit autem nobis in duobus codicibus slavicis veteris *Kormtchaiae Knighæ* (= Πηδάλιον seu collectio canonica Græcorum) asservatum, videlicet, in codice *413* monasterii Solovetsiani, sæculo XV exarato, et in codice *207* monasterii Sancti Sergii prope Mosquam, sæculo XVI transcripto.

Textus hujusmodi non est nisi quædam adnotatio ad canonem 28 Chalcedonensem, qui inserebatur cuidam capiti *de privilegiis sanctissimæ Sedis Constantinopolis*, per modum supplementi, jam ante sæculum VIII ad Nomocanonem Joannis Scholastici addito. Hæc adnotatio, in versione veteroslavica, scholio schismaticæ indolis subjungitur, de quo in primo capite p. 62, locuti sumus. Quisnam autem illam scripserit, utrum aliquis monachus græcus sæculi VIII, ut vult F. Grivec [1], an Methodius ipse, ut conjicio, dictu difficile est; nullus enim textus græcus hactenus repertus est, qui ei respondeat [2].

Hujus adnotationis idiomate veteroslavico scriptæ versionem gallicam primum in *Bessarione*[3] dedimus; hic autem versionem latinam subjicimus, versioni gallicæ, paucis exceptis, plane consonam; in qua conficienda non tam ad verba quam ad sensum animum attendimus :

« Sciendum est autem hoc decretum [id est, canonem 28 Chalcedonensem], a beato papa Leone, Veteris Romæ Sedem tunc regente, approbatum non fuisse; neque illum in hoc

1. *Doctrina byzantina de primatu et unitate Ecclesiæ*, Liublianæ, 1921, p. 85 : « Scholia de divina romani primatus origine probabiliter sæculo VIII exeunte jam scripta atque inserta sunt nonnullis Nomocanonis exemplaribus, quæ in monasteriis adhibebantur. »

2. Prototypus græcus Nomocanonis L titulorum, quem sanctus Methodius slavice vertit, in quodam codice bibliothecæ Mediceæ Laurentianæ Florentiæ, sæculo XII exarato (cujus descriptionem lege apud Bandini, *Catalogus codd. mss. græcorum biblioth. Medic. Laurent.*, t. I, p. 45) asservatur. In hoc codice quidem, caput *de privilegiis Sedis Constantinopolitanæ* una cum scholio schismaticæ mentis : Δεῖ εἰδέναι, κτλ., invenitur; non autem occurrit adnotatio de primatu romano. Et hæc præcipua ratio cur Methodium ipsum illius primum auctorem fuisse credam.

3. *Le plus ancien recueil canonique slave et la primauté du pape*, in *Bessarione*, 1918, p. 47-55.

cum sancta synodo Chalcedonensi consensisse. Synodo enim rescripsit se talem novitatem accipere non posse, quam dubius Anatolius, urbis Constantinopolis episcopus tunc existens, molitus erat; cui, cæterum, non pauci episcopi, de his qui synodo interfuere, subscribere renuerunt. Neque hoc stat, quod canon iste asserit, sanctos Patres scilicet Seniori Romæ primatum ideo tribuisse, quod caput esset imperii; sed desuper, ab initio, ex divina gratia, hic primatus originem duxit. Nam propter fidei suæ gradum, Apostolorum princeps Petrus hæc verba ex ipso ore Domini nostri Jesu Christi audire meruit : *Petre, amas me? Pasce oves meas.* Ideo, inter præsules præcipuum locum primamque sedem obtinuit. Etenim, si, ut asserunt præcedentis regulæ auctores, Vetus Roma honorem possederit, quod imperium teneret, utique Constantinopolis, quæ nunc urbs regia est, hunc honorem hæreditate acceperit.

« Norunt autem omnes Mediolanensem Ravennatensemque civitates, quanquam in his commorati sunt imperatores, quorum adhuc ibi consistunt palatia, talem honorem non ideo esse consecutas. Ordinis enim sacerdotalis dignitas atque præeminentia non principum favore, sed electione divina atque auctoritate apostolica constituta est. Si vero sancti Patres, Hierosolymitanam civitatem honorare volentes propter Regem regum Dominum nostrum Jesum Christum ejusque passionem omni laude venerandam, gradum quidem metropoleos ei confirmarunt, privilegia autem patriarchalia nequaquam ipsi contulerunt, quia terminos a veræ fidei præconibus positos mutare omnino impossibile erat, quomodo propter terrenum imperatorem divina charismata privilegiaque apostolica loco amovere fideique immaculatæ statutis novitates inserere liceat?

« Privilegia ergo Senioris Romæ ad finem usque inconcussa manent, neque ullo pacto transferri possunt. Quia autem omnibus Ecclesiis præsidet ejus episcopus, propter hanc excellentiam, ad sancta œcumenica concilia ipse conveniat necesse non est; at vero sine ipsius per quosdam legatos participatione, concilium œcumenicum stare non potest; ipse enim est qui in concilio locum præsidis obtinet. Si qui autem sint, qui dictis contradicere velint, quasi non ita res se habuerint, litteras perlegant sanctissimi papæ Leonis, quas tum ad Marcianum et Pulcheriam piæ memoriæ, tum ad

dictum episcopum Constantinopolitanum Anatolium direxit, atque ex his veritatem discant. »

Ejusdem documenti versionem omnino ad litteram quanquam forsan a sensu in quibusdam locis tantillulum recedentem edidit F. Grivec, quam ob oculos lectoris ponere juvat :

« Sciri vero oportet. quod hic canon non accipietur a sancto papa Leone, tunc Veteris Romæ thronum administrante. Nec consensit hac in re sancto Chalcedonensi concilio, sed (et) scripsit concilio, nihil tale se accipere [posse], et quidem propter novitatum ambiguitatem episcopi Constantinopolitani illius temporis, Anatolio tunc episcopo (existente). Quam ob rem episcopi nonnulli, in concilio præsentes, non subscripserunt huic canoni. Nec sicut hic canon dicit, « quia regnat vetus Roma, [ideo] honorem ipsi [Romæ] tribuerunt sancti Patres. » Sed desuper ab initio gratia divina, propter fidei gradum, id est,supremo Apostolorum, Petro [honor collatus est]. Nam Domino Jesu Christo vocem audiens : « Petre, amas me? Pasce oves meas, » honorem præcedentium in sacerdotibus, ordinem et primam sedem obtinuit. Si enim, sicut dixerunt, scholion antecedens componentes, « quia regnavit Vetus Roma, et honorem obtinuit, nunc quidem Constantinopoli regnante, hæc [Constantinopolis] successit honori.

« Notum sit, Mediolani et Ravennæ (in urbibus) imperatores constitisse, quorum palatia usque ad hunc diem stant [manent], tamen hisce urbibus honor ideo non est collatus. Sacerdotalis enim ordinis honor principatusque non mundi gratia [confertur], sed divina electione atque apostolica potestate honoratus est [sacerdotum ordo]. Si enim sancti Patres Hierosolymam urbem propter regem regnantium, Deum Dominum nostrum Jesum Christum crucique affixam ejus passionem honoraturi, metropolis honorem ipsi firmaverunt, non autem patriarchale privilegium contulerunt, quia non potuerunt terminos amovere, quos veræ fidei prædicatores posuerunt; quomodo possibile est, ut propter imperatorem terrestrem dona divina atque apostolici honores transferantur, fideique immaculata præcepta mutentur? Immobiles enim usque ad finem sunt Veteris Romæ honores. Ideo quia et præsidet omnibus Ecclesiis ejus episcopus, propter

honorem non cogitur, ut conveniat ad sancta universi mundi concilia. Ast sine ejus consensu, per nonnullos ab ipso missos suo throno subditos [legatos] universi mundi concilium non existebat; et quia ipse disponebat præsidium (præsidere) in concilio. Si autem quidam contradicunt huic sermoni, non ita rem se habere, exquirat ab eodem sanctissimo papa Leone scriptum (epistolam) Marciano et Pulcheriæ in finem piis, quod etiam [= item] ad dictum, episcopum Constantinopolitanum Anatolium, atque ex his veritatem discat [1]. »

Quanti momenti sit hæc tam diserta primatus romani prædicatio in ore strenui Slavorum apostoli, ex eo colligitur, quod recentes quidam auctores perfectam sancti Methodii orthodoxiam mentemque catholicam in dubium vocaverant, illumque fuisse photianum plus minusve occultum insinuaverant. Atqui versionem Nomocanonis ad usum suorum discipulorum confecit Methodius post festum sancti Demetrii, id est, post vigesimam sextam diem mensis octobris anni 884; mortuus est autem, die sexta Aprilis, anno 885 [2]. Retinuit ergo immaculatam, usque ad vitæ finem, fidem catholicam; atque dum Constantinopoli, Photius suum contra Romanam Sedem in synodo Sanctæ Sophiæ reportatum triumphum agebat, sanctus Slavorum apostolus, invidiæ ac variis persecutionibus objectus et ab omnibus pæne derelictus, principio schismatis in vigesimo octavo canone Chalcedonensi

1. F. Grivec, *op. cit.*, p. 96, 97.

2. In vita slavica sancti Methodii, dicta *Legenda Pannonica*, cap. xv, hæc leguntur : « Post ista autem, relicto tumultu et dolore suo Deo commendato, Methodius, prius ex discipulis suis duobus presbyteris constitutis, qui valde velociter scribebant, vertit brevi tempore omnes libros [Scripturæ] plene, exceptis Machabæis, ex græca lingua in slavonicam, intra sex menses, a martio mense inchoans usque ad vicesimam sextam diem octobris mensis. Opere vero finito, debitas gratias et laudem Deo egit concedenti talem gratiam atque eventum, et sanctam elevationem mysteriosam cum clero suo [laudibus ex] tollens, fecit memoriam sancti Demetrii. Psalterium enim tantum et Evangelium cum Apostolo et electis officiis ecclesiasticis cum philosopho sancto [Cyrillo, fratre suo] antea converterat. *Tunc nomocanonem quoque, id est regulam legis, et patericon transtulit.* » Ginzel, *Geschichte der Slaven Apostel Cyrill. und Method, und der slavischen Liturgie,* Vindobonæ, 1861, p. 30.

latenti invicto animo reclamabat divinamque primatus romani originem alta voce prædicabat[1].

### II. — De primatu romanæ Sedis ex Actis synodi photianæ in templo Sanctæ Sophiæ anno 879-880 habitæ.

Ut supra, p. 142, diximus, in Actis synodi photianæ anni 879-880, de cujus existentia dubitandi solida ratio non exstat[2], primatus romanæ Sedis simul diserte affirmatur, et in derisum vertitur. Tota narratio speciem præ se fert cujusdam comœdiæ ac fabulæ a Photio ejusque sociis magna cum solertia concinnatæ, cujus scopus est, ut Photius glorificetur et exaltetur detrimento ac dedecore Sedis Apostolicæ aliarumque sedium patriarchalium Orientis, quæ, anno 869-870, in concilio œcumenico octavo schismaticum damnaverant. Cum autem non pauci falso imaginentur Photium aperte negasse primatum romanæ Sedis, hancque doctrinam tanquam impiam hæresim ac novitatem in fide rejecisse, quemadmodum faciunt moderni polemistæ græco-russi, non abs re erit ob oculos lectoris ponere ea omnia quæ Actis hujusmodi synodi primatum romanum vel disertis verbis exprimunt, vel implicite subaudiunt. Ne autem hujusmodi affirmationes exaggerentur, eisque nimium momentum tribuatur, adjiciemus etiam ea quæ in hujusmodi Actis schisma redolent, dignitatique ejusdem romanæ Sedis plus minusve derogant. Audiamus ergo primum ea quæ catholice sonant.

#### I. — De iis quae in actis synodi photianae primatui romanae Sedis favent

*Actiones prima et secunda.*

1° Inter actiones synodi, Photius Joannem papam passim vocat sanctissimum fratrem et comministrum *ac spiritualem Patrem suum*, τὸν ἁγιώτατον ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργὸν καὶ πνευματικὸν

1. De orthodoxia sancti Methodii etiam circa processionem Spiritus Sancti, vide F. Grivec, *De orthodoxia sanctorum Cyrilli et Methodii*, Liublianæ, 1921, p. 28-43.

2. Quidam, ut Allatius, contenderunt hanc photianam synodum omnino fictitiam fuisse; quorum rationes æqua lance perpendit Hergenröther, *op. cit.*, t. II, p. 528-540.

πατέρα ἡμῶν [1]. Item, in actione prima, unus ex episcopis photianis, Procopius Cæsariensis papam appellat *spiritualem Patrem nostrum* [2].

2° In fine actionis primæ, et etiam actionis quintæ, Joannes acclamationibus excipitur ante Photium [3].

3° In sessione secunda, Petrus, Apostolicæ Sedis legatus, coram synodo, nullo reclamante dixit : *Basilius, Leo et Alexander, piissimi imperatores, ob pacem, quæ nunc est, concordiamque Constantinopolitanæ Ecclesiæ, miserunt ad Matrem Ecclesiarum magnam urbem Romam semel iterumque litteras,* εἰς τὴν μητέρα τῶν Ἐκκλησιῶν μεγαλόπολιν Ῥώμην [4].

4° In eadem actione, lectæ sunt coram synodo litteræ Joannis VIII ad imperatores et ad Photium, prout ab ipso Photio interpolatæ ac falsatæ fuerant. In illis reliquit falsarius disertas de primatu romanæ Sedis attestationes. In epistola ad imperatores hæc legimus :

« Quamobrem hanc ipsam concordiam in vestra etiam Ecclesia conspici ac vigere desiderantes, sanctam romanam Ecclesiam per vestros apocrisiarios et per divinas litteras vestras adiistis, certo persuasi adjutricem vobis ad id quod optatis consortemque operis impigram fore. Neque ipsi primum cœpistis hoc consilium capere *sed consuetudini Majorum, qui pie imperium administrarunt, cedentes et obsequentes. A quo autem docti magistro sic institueritis agere, dignum est quærere. Perspicue certe a principe Apostolorum Petro, quem caput omnium Ecclesiarum Dominus constituit, dicens : Pasce oves meas; neque hoc tantum, sed ex sanctis synodis et constitutionibus* [5]. »

Et paulo infra : « Tametsi Vestra Pietas viro vim prius attulit, restituendo eum ante nos, hoc est, antequam nostri legati illuc advenirent; nos tamen hoc indulgemus, *non ex nostra auctoritate, tametsi hoc faciendi potestatem habemus,* sed

1. Hardouin, t. VI, col. 217 E, 220 B, 251 B, 269 E, 316 C, 324 D, 337 D.

2. *Ibid.*, col. 226 C.

3. Col. 229 E, 329 E. Notandum est tamen in quibusdam codicibus nomen Photii ante nomen Joannis occurrere. Cf. Hergenröther, t. II, p. 514, nota 115.

4. Col. 232 B.

5. Col. 232 E.

ex apostolicis constitutionibus et Patrum decretis documenta sumentes [1]... *Quandoquidem enim hæc Apostolica Sedes, accipiens claves regni cælorum a primo et magno Pontifice Jesu Christo, per principem apostolorum Petrum, dicente eo :* « *Tibi dabo claves regni cœlorum; et quemcumque ligaveris super* « *terram, erit ligatus et in cœlis; et quemcumque solveris super* « *terram, erit solutus in cælis,* » *potestatem habet universe ligandi atque solvendi;* et secundum Jeremiam prophetam, evellendi atque plantandi : *idcirco et nos auctoritate principis Apostolorum Petri* utentes, cum universa nostra sancta Ecclesia, denunciamus vobis, et per vos sanctissimis fratribus et comministris nostris patriarchis Alexandriæ, Antiochiæ, Hierosolymorum, ceterisque episcopis et sacerdotibus, et toti universitati Ecclesiæ Constantinopolitanæ, concordes nos esse et consentientes vobis, imo ipsi Deo, in omnibus quæ petistis... Qui Photium non suscipit, is manifeste neque nostra neque sanctæ romanæ Ecclesiæ de ipso decreta suscipit; *neque is nobis bellum indicit, sed sanctissimo Petro Apostolo, imo verius Christo Dei Filio, qui sic honorificavit et glorificarit Apostolum suum, ut dederit illi potestatem ligandi atque solvendi* [2]. »

Lecta hac epistola, synodus illam approbavit, excipiendo tantum ea quæ ad jurisdictionem in Bulgariam spectabant [3].

1. Papa hic memorat casus appellationis ad Sanctam Sedem ex parte Orientalium episcoporum ac patriarcharum, necnon potestatem dispensandi super statutis synodorum in casu necessitatis : « *Apostolica hæc Sedes etiam orthodoxis episcopis et patriarchis ad ipsum confugientibus (quemadmodum etiam nunc facit reverentissimus Photius) et auxilium ejus implorantibus opem tulit. Nostis omnes Magnum Athanasium episcopum Alexandriæ, Cyrillum et Polychronium Alexandrinos;* Joannem, quem Vestra Caritas Chrysostomum appellat, et Flavianum Constantinopolitanum. Hos enim a synodo depositos et excommunicatos et ad sanctam romanam Ecclesiam confugientes hæc Apostolica Sedes confirmavit, et in pristino honore restituit. » Col. 236 A B.

2. Καθάπερ γὰρ ὁ ἀποστολικὸς Θρόνος οὗτος, λαβὼν τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν παρὰ τοῦ πρώτου καὶ μεγάλου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου, εἰπόντος πρὸς αὐτὸν· σοὶ δώσω τάς κλεῖς, κτλ... ἔχει ἐξουσίαν καθόλου δεσμεῖν τε καὶ λύειν, col. 236 C, 237.

3. « Quæcumque pertinent ad commendationem et præconium Ecclesiæ et Photii sanctissimi nostri patriarchæ, suscipimus; quæ vero spectant ad imperatorem et ad imperatoriam dispositionem, ei aucto-

Lecta est etiam epistola Joannis ad Photium, in qua non obscure primatus romanæ Sedis his insinuatur verbis :

« Ne turpe ducas in synodo prædicare Dei erga te misericordiam et opem, et *sanctissimæ romanæ Ecclesiæ patrocinium*, τῆς ἁγιωτάτης τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησίας τὸν ὑπερασπισμόν, et laborem, quem pro tenero suo affectu et amore erga te sustinuit. Et *sicut ipsa consuevit opem ferre omnibus injuste patientibus, neque tu tali ipsius auxilio caruisti, sed adjuvante Deo et hujus Ecclesiæ labore et cura, in sedem tuam es restitutus* [1]. »

Post lectam epistolam, Petrus legatus romanus Photio dixit : « Suscipisne omnia quæ scripta sunt in hac epistola? » Photius respondit : « Cuncta fausto ac legitimo sermone concluduntur... *et dignam censemus epistolam quæ diligatur et suscipiatur*, καὶ στοργῆς καὶ ἀποδοχῆς ἄξιαν νομίζομεν [2]. »

Postquam autem Photius propriam apologiam pronuntiavit, idem Petrus presbyter et cardinalis dixit : « Flavianum Constantinopolitanum, Joannem Chrysostomum, Cyrillum Hierosolymorum et Polychronium similiter, ut vestra novit sanctitas, *sancta romana Ecclesia suis sedibus pulsos propria potestate iterum restituit.* Et sanctus Gregorius Dialogus e Dalmatia cum expulisset episcopum ob quamdam calumniam, rursus eumdem in propriam restituit sedem. Et cum papa Nicolaus reverentissimum Zachariam deposuisset [3], rursum papa Hadrianus propriam ei sedem reddidit : quem et nunc sanctissimus papa Joannes bibliothecarium fecit. Non est ille certe inferior aut papa Hadriano aut papa Nicolao in rebus illis administrandis, quæ ad utilitatem Ecclesiæ spectant [4]. »

His suffragata, synodus in laudem Joannis papæ prorupit[5].

ritatem administrationis circa hæc potestatemque tribuimus. » Col. 246 BC.

1. Col. 248 D.

2. Col. 250 D.

3. Agitur de illo Zacharia Ananiensi episcopo qui, anno 861, ut legatus in causa Ignatii Constantinopolim missus, ad Photii partes deflexerat.

4. Col. 258 CD.

5. « In hoc enim majorem adipiscitur laudem quod Christum imitatur primum Pontificem. » Col. 258 D.

Photius vero hæc addidit : « Gratias Christo referimus, vero Deo nostro primoque et magno Pontifici, deinde et sanctissimo papæ Joanni, qui adversus omnem schismaticum errorem stetit, *qui omnium concordiam Ecclesiarum suscepit*, qui abstulit virgam peccatorum a sorte justorum [1]. »

Quando autem ad causam Thomæ, Tyriorum antistitis, ventum est, qui in concilio œcumenico octavo contra Photium suffragium tulerat, ipse Photius erga papam obsequentissime se gessit : « Quantum in nobis est, inquit, fratres, maxime vero quoniam pontificales Orientis Sedes pro eo usi sunt prece, absolutum eum a lapsu et peccato contra nos commisso habemus. Si vero et sanctissimus papa Romæ Joannes, spiritalis frater, et comminister et *pater noster* assentiatur hujus absolutioni, hoc melius. »

Cui legati romani responderunt : *Neque in hoc sanctissimus et œcumenicus papa Joannes vult a vestra sanctitate dissentire; sed in hoc etiam vestrum judicium confirmare*, τὴν ὑμετέραν ψῆφον ἐπικυρῶσαι ἔχει [2]. »

*Actio tertia.*

In actione tertia, lecta est epistola Joannis papæ ad clericos Constantinopolitanos et ad patriarchas episcoposque Orientis, prout a Photio recognita et emendata fuerat. Ibi etiam invenimus expressam de primatu romano attestationem :

« Valde sollicita vestra in bono æmulatio imploravit caritatem per declarationem beati principis apostolorum Petri, ut Photium sanctissimum patriarcham in finibus provinciæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ restitutum amplecteremur, et simul vobiscum susciperemus. Hoc vere alacri ac perlubenti animo implevimus, *custodientes quod in Evangelio dictum est primo pastori*, τῷ πρωτοποιμένι, *cui Dominus ait : Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos. His enim excitati divinis eloquiis, et potestatem habentes plenissimam*, καὶ ἐξουσίαν ἔχοντες ἐνδυναμουμένην, etc [3]....

« Sanctissimus ac religiosissimus frater noster Photius

1. Col. 260 A.
2. Col. 270 E.
3. Col. 280 AB.

patriarcha ne turpe ducat coram synodo gratiam et favorem nostrum, seu potius *viscera Ecclesiæ romanæ prædicare*, quemadmodum etiam nos gratiam in illum fraternam contulimus, patriarcham ipsum agnoscentes legitimum et secundum canonem constitutum, *consortem beati Petri Apostoli; et omnis Ecclesia romana exhibuit erga eum paterna viscera, exemplum secuta aliorum prædecessorum nostrorum, in primis vero beatissimi Innocentii et Gelasii et multorum sanctorum Pontificum Romæ. Oportet enim quæcumque ad communem salutem conferunt, ea propenso animo fieri. Multi enim Pontifices suas sedes injuste amittentes et ex iisdem ejecti, Apostolica dispositione proprias sedes receperunt* [1]. »

Hanc Joannis epistolam etiam approbavit synodus [2], et romano Pontifici *tanquam concordi et suscipienti unionem Ecclesiæ Dei* gratias retulit; solummodo excepit ea, quæ ex arbitrio imperatoris pendebant, id est, quæstionem de jurisdictione in Bulgariam [3].

In commonitorio, quod papa suis legatis tradidit quodque Photius sicut et cætera documenta pontificia, interpolavit, suprema auctoritas romani Pontificis in universam Ecclesiam clare prædicatur. Caput quartum hujus commonitorii sic se habet :

« Sicut scripsit imperator, ut propter pacem Ecclesiæ susciperemus sanctissimum patriarcham Photium fratrem ac comministrum nostrum, exaudivimus preces vestras; *Et jubemus ut coram vobis veniat ad synodum, et suscipiat eum omnis Ecclesia juxta dispositionem litterarum nostrarum ;* suscipietis eum et vos consortem et comministrum; et ut gratiarum actionem referat, et misericordiam commendet Ecclesiæ romanæ [4]. »

Et in capite quinto ejusdem hæc occurrunt :

« Surgentes, dicite ei [Photio] : *Jubet dominus noster sanc-*

1. Col. 282 BC.

2. Synodus epistolam Joannis vocat, τιμιωτάτην. Col. 282 E.

3. « Quæcumque sunt ad gloriam Ecclesiæ Dei, hæc et fecimus et suscepimus, et suscipimus, et immutabiles in eo proposito in æternum permanebimus. Quæcumque vero pendent ex imperatoris administratione et judicio, hæc ipsius curæ ac providentiæ remittimus. » Col. 283 A.

4. καὶ κελεύομεν ἵνα ἐνώπιον ὑμῶν ἔλθῃ εἰς τὴν σύνοδον... καὶ εὐχαριστίαν καὶ ἔλεος τῆς Ἐκκλησίας τῶν Ῥωμαίων προσφέρῃ. Col. 293 D.

*tissimus papa*, ut omnes qui in diversis locis sunt exsules, sive episcopi, sive presbyteri, sive alii quilibet, qui noluerunt hactenus communicare vobiscum, vestro labore uniantur Ecclesiæ Dei [1]. »

Notemus etiam hæc verba capitis sexti :

« Considentibus vobis in synodo cum prædicto sanctissimo patriarcha et legatis Orientis, cum reliquis archiepiscopis et metropolitis, et omnibus sacerdotibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, primum legantur litteræ ad imperatorem missæ; et interrogetur synodus an illas suscipiat, an et custodiant prescriptiones, quas epistola continet. Respondentibus illis dicite : *Dominus noster sanctissimus papa omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerens* (πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν φροντίδα ποιούμενος) *et vestræ saluti et unitati pacique consulens, misit nos servos, ut dispersos congregemus, et dissidentes conciliemus* [2]. »

Hoc commonitorium universa synodus una cum ipso Photio disertis verbis approbavit ac laudavit, legatisque romanis dixit :

« Perspicue cernimus vos voluntatem Dei et Pontificis, qui misit vos, adimplere [3]. »

Photius autem hæc adjecit :

« *Videt nobiscum Vestra Sanctitas quod secundum voluntatem et mandatum sanctissimi papæ omnia convenerunt*, ὅτι κατὰ τὸ θέλημα καὶ τὴν ἐντολὴν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα πάντα συνῆλθεν, neque quidquam adversatur; et concurrit cum illius judicio ipse rerum status [4]. »

*Actio quarta.*

In actione quarta, lectis litteris Theodosii patriarchæ Antiocheni ad Photium, Petrus cardinalis dixit :

« Omnes agnoscitis, reverendi fratres et comministri, quod propter pacem et unitatem hujus sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, et ob susceptionem Photii, sanctissimi patriarchæ, huc venimus. Et ecce animadvertimus sedes orientales velut ex compacto idem sentientes, misisse litteras commendatitias. *Et gaudemus ea de re, quoniam in talem concor-*

1. *Ibid.*
2. Col. 296 A.
3. Col. 298 B.
4. *Ibid.*

*diam pontificales omnes assentiuntur sedes domno et domino nostro œcumenico papæ*, μετὰ τοῦ κυρίου καὶ δεσπότου ἡμῶν τοῦ οἰκουμενικοῦ πάπα.. *Ipse enim est caput omnium Ecclesiarum; et quod debuerunt facere, sequi nimirum sanctissimam romanam Ecclesiam, hoc fecerunt, comprobante Spiritu Sancto*[1]. »

Huic apertissimæ declarationi supremæ auctoritatis romani Pontificis nullus ex photianis episcopis reclamavit; imo tota synodus illi non obscure suffragata est, dum legati verbis assentiens, dixit :

« Si quis de omnium concordia et consensione non gaudet et gratias agit Deo, indignus est et gaudio et salute... Si quis non suscipit Photium legitimum et canonice electum pontificem Dei, ut legitime et canonice promotum, quemadmodum clamant omnes pontificiæ sedes, sit iste anathema a Christo[2]. »

### *Actio quinta.*

In actione quinta, Photius a synodo mirifice glorificatur et extollitur. Non solum patriarchæ orientales, verum etiam ipse papa illi concedunt ac tradunt omnem, quam habent ipsi, potestatem, ita ut omnium decoratus auctoritate appareat, et romano Pontifici quadamtenus æqualis incedat. Attamen, ex Actis patet hanc æqualitatem Photium a seipso non habere, sed a papa accepisse ; insuper hæc æqualitas adventitia non est absoluta, sed relativa tantum. Audiamus legatos romanos coram synodo dicentes :

« Apostolicus papa Joannes præcepit nobis hæc quæ prænuntiavimus et jam diximus : nimirum, ut dejiciamus et absolvamus quoscumque Photius patriarcha sanctissimus aut dejiciendos censuerit aut absolvendos, ipso vobisque consentientibus nobis; et ut quoscumque habuerit sanctissimus et œcumenicus papa Joannes canonice depositos, in quocumque ordine et loco, habeat ipsos etiam Photius sanctissimus patriarcha depositos. Similiter et quoscumque habuerit Photius sanctissimus patriarcha depositos aut absolutos, habeat ipsos etiam sanctissimus et œcumenicus papa Joannes damnatos aut absolutos. Et si placet sanctitati vestræ,

1. Καὶ γὰρ ἐκεῖνος (ἐκείνη, apud Hardouin) ἐστὶ κεφαλὴ πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν, καὶ ὅπερ ὤφειλον ποιῆσαι καὶ ἐξακολουθεῖν τῇ ἁγιωτάτῃ τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησίᾳ, τοῦτο πεποιήκασι. Col. 304 C.

2. Col. 304 D.

ut etiam canonis loco proposita hypothesis admittatur :

*Canon :* « Decrevit sancta et œcumenica synodus, si qui ex Italiæ clericis aut laicis, aut episcopis, in Asia vel Europa vel Libya commorantes, sub vinculo aut depositione aut anathemate sint a sanctissimo papa Joanne, ut sint isti etiam a Photio sanctissimo patriarcha Constantinopolis eidem pœnæ obnoxii, hoc est, aut depositi, aut anathematizati, aut communione privati. Et quos item Photius sanctissimus noster patriarcha clericos, aut laicos, sive pontificalis sive sacerdotalis ordinis, in quacumque dioecesi excommunicaverit, deposuerit, aut anathematizaverit, ut habeat etiam illos etiam sanctissimus papa Joannes, et quæ est pœnes illum romana Ecclesia, eidem pœnæ subjectos; *privilegiis quæ Sanctissimæ Sedi conveniunt Ecclesiæ romanæ, aut ipsius antistiti, nullo modo immutatis, sive modo, sive in posterum,* μηδὲν τῶν πρεσβείων τῶν προσόντων τῷ ἁγιωτάτῳ θρόνῳ τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας, μηδὲ τῷ ταύτης προέδρῳ τὸ σύνολον καινοτομουμένων, μήτε νῦν, μήτε εἰς τὸ μετέπειτα[1]. »

Hic canon, quoad sensum, canoni quinto Nicæno connexus, in hoc ab alis decretis synodalibus differt, quod directe personas Joannis papæ et Photii, non vero sedes respicit. Ad hoc autem tendit, ut privilegium speciale in signum amicitiæ ac honoris a Joanne papa Photio conferatur, *salvis tamen privilegiis romanæ Sedis*, ergo salvo etiam jure appellationis pro universa Ecclesia sive modo sive in posterum. Unde, quamvis Photio tribuat aliquam cum Joanne æqualitatem, expresse tamen primatum romanum servat.

Postquam hic canon ab omni synodo approbatus fuit, de causa Metrophanis Smyrnensis aliorumque episcoporum, qui cum Photio communicare recusabant, actum est. Legati romani, de hac interrogati, dixerunt :

« *Hanc potestatem sanctissimus papa Joannes Photio sanctissimo patriarchæ adjecit* (ταύτην τὴν ἐξουσίαν προσανέθετο), *ut posset ipse etiam revertentes suscipere, et non pœnitentes communione privare... Œcumenicus et apostolicus papa Joannes, qui hanc potestatem a principe apostolorum Petro accepit, dedit et sanctissimo patriarchæ Photio eamdem potestatem ligandi atque solvendi.* Metrophanes autem per tales

1. Col. 320 B.

excusationes vult effugere imminentem sibi condemnationem; sed non poterit eam declinare. *Cum enim habeat datam sibi potestatem a sanctissimo papa Joanne* sanctissimus patriarcha Photius, etiam absque nostra præsentia convenientem ei condemnationem inferet [1]. »

## II. — De iis quæ in synodo photiana in romanæ Sedis detrimentum ac irrisionem cedunt

Postquam ea, quæ in actis synodi photianæ pro romanæ Sedis primatu faciunt, retulimus, etiam ea, quæ ad ejus detrimentum et irrisionem vergunt, transcribere debemus.

1° Primum quidem notandum est Photium dignitati romanæ Sedis in hoc derogasse, quod synodo ipse præfuerit, et nonnisi secundum locum legatis Joannis VIII, contra morem illatenus in conciliis œcumenicis receptum, reliquerit [2].

2° Cavillationes, illusiones, ludificationes in romanam Ecclesiam illiusque Pontificem in actis passim occurrunt. Sic Photius aperte irridet Joanni papæ per falsationes et interpolationes litteris ejus insertas [3]. Ludificatio aliqua detegitur in his verbis, quæ initio actionis primæ veterator ille pronuntiavit :

« Vere in hoc [papa Joannes] imitatus est Christum Deum nostrum, primum magnumque Pontificem. Nam quemadmodum ille non satis habuit a cælestibus ordinibus coli, qui puram et expertem maculæ caritatem erga eum servabant,

1. Ταύτην τὴν ἐξουσίαν ἐκ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου εἰληφὼς, δέδωκε καὶ τῷ ἁγιωτάτῳ Φωτίῳ πατριάρχῃ τὴν αὐτὴν ἐξουσίαν δεσμεῖν καὶ λύειν. Col. 321 D.

2. Initio omnium synodi actionum præter sextam, cui præfuerunt imperatores Basilius, Leo et Alexander, Hardouin, t. VI, col. 332 A, hæc verba legimus : « Προκαθεσθέντος Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, *Præsidente Photio sanctissimo et œcumenico patriarcha.* Notum est legatos romani Pontificis in octo primis conciliis œcumenicis, præter secundum et quintum, quibus non interfuit Papa neque per seipsum neque per suos legatos, primas obtinuisse, et ante omnes alios episcopos subscripsisse. Cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des conciles*, t. I, p. 41-58.

3. Præsertim dum in ore Joannis ponit concilii œcumenici octavi condemnationem et abrogationem, aperta mendacia circa Nicolai papæ et Hadriani II agendi rationem erga Photium, immoderatissimas laudationes in Photium, etc., etc.

sed semetipsum exinaniens, et usque ad formam servi subiens exinanitionem, attraxit ad se errabundum et ab eo alienatum nostrum humanum genus; *sic et imitator illius, noster spiritalis pater, non satis habuit Ecclesiam suam pace perfrui; sed per reverendos suos legatos... inspicere voluit, num essent aliqui qui non crederent veritati; et convenientem adhibere adhortationem* [1]. »

In eadem actione, Zacharias, metropolita Chalcedonensis, legatos romanos sic allocutus est, postquam hyperbolicas laudes Photio texuit :

*Vos eo consilio adestis, ut a vobis amoveatis criminationes et accusationes, quas in vos propemodum universi inferunt, de his quæ adversus nos... commissa nefarie sunt. Ac, si vera loqui vobis oportet, pro vobis coacta est hæc synodus; pro vobis, fratres patresque, et pro sanctissima romana Ecclesia, pro vestro honore; ne schismaticorum reliquiæ vos insectentur velut dissidiorum et tumultuum auctores* [2].

Daniel autem, metropolita Ancyranus, legatos eosdem operariis qui circa undecimam horam venerunt, comparare ausus est :

« Sanctissimus dominus noster et œcumenicus patriarcha [Photius], inquit, Christum verum Deum nostrum imitatus, *etiam eos qui circa undecimam venerunt cum primis adnumerat; et primos perfrui facit honore quo digni sunt, et facit unum omnia, et erga omnes pariter paterna aperit viscera* [3]. »

3° In actione secunda, nimiæ laudes quæ Photio tribuuntur, præeminentiæ romani Pontificis indirecte detrahunt. Audi patriarcham Alexandrinum Michaelem de Photio talia proferentem :

« Photium, sanctissimum patriarcham, *hominem lucidum et lucis effectorem*, φωτοειδῆ καὶ φωτοποιὸν ἄνθρωπον, *sacerdotii perfectionem*, τῆς ἱερωσύνης τὴν τελειότητα, *normam veritatis inconcussam*, τὸν γνώμονα τῆς ἀληθείας, *sapientiæ hospitium, rerum optimarum venerandum thesaurum, abundantem eleemosynæ dexteram...*

1. Col. 220.

2. εἰ δεῖ τ'ἀληθὲς εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς, ὑπὲρ ὑμῶν ἐστιν ἡ παροῦσα σύνοδος. ὑπὲρ ὑμῶν, ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, καὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγιωτάτης Ἐκκλησίας, ὑπερ τῆς ὑμετέρας τιμῆς. Col. 224.

3. Col. 225.

« O qui ex luce nomen habes et lucem affers, *et Ecclesiæ Dei archipastor*, καὶ τῆς Ἐκκλησίας Θεοῦ ἀρχιποιμήν,... Nos, *o sacrum caput et archipastor rationalium ovium Christi*, καὶ ἀρχιποιμὴν τῶν λογικῶν προβάτων τοῦ Χριστοῦ, secuti exemplum decessoris nostri... et consentimus et assentimus tibi in omnibus [1]. »

Theodosius, Hierosolymorum patriarcha, Photium appellat *Ecclesiæ magnum propugnatorem*, τῆς τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας μέγα πρόβολε, *caput sacrum corporis Ecclesiæ*, *civitas Dei animata super alteram civitatem*, ὦ ἱερὰ κεφαλὴ τοῦ τῆς Ἐκκλησίας σώματος, καὶ ὡς πόλις ὢν Θεοῦ ἔμψυχος ὑπὲρ ἑτέρας πόλεως [2].

Theodosius Antiochenus illum vocat *patrem sanctum*, πάτερ ἅγιε [3], et Abramius, Amidarum metropolita, *sanctissimum patrem*, ὦ πανάγιε πάτερ [4].

4° In actionibus tertia et quarta, auctoritas romanæ Ecclesiæ parvipenditur et contemnitur, dum canon Sardicensis de promotione laicorum ad episcopatum præter romanorum Pontificum interpretationem explicatur a Procopio Cæsariensi et a Zacharia Chalcedonensi [5], atque contra mandatum Joannis papæ, consuetudine contraria abrogatus declaratur a legatis patriarcharum orientalium [6]. Ipsa synodus, pro capitulo romano circa promotionem laicorum, quod sic se habebat : « Nemo deinceps ex laicis promoveatur in sedem Constantinopolitanam. Nam quæ raro fiunt, quamvis valde bona sint, pro lege constitui posteris non possunt, » hanc regulam supposuit :

« Si romana Ecclesia numquam ex laicis accepit Pontificem, hunc morem custodiat; decet enim terminos Patrum non transgredi. Quandoquidem autem neque Orientales id observarunt, neque nostra Constantinopolitana Ecclesia; optamus quidem ex clericis et monachis tales ostendi, ut suffragium pontificatus in ipsos cadat; si vero in ipsis tales

1. Col. 264, 265. Vox « ἀρχιποιμήν » habet sensum relativum et non excludit primatum. Sunt in Ecclesia multi ἀρχιποιμένες.
2. Col 272 CD.
3. Col. 273 D.
4. Col. 276 E.
5. Col. 284, 285.
6. « Neque propter clericos solummodo descendit Christus in terram, neque his solis reclusit virtutis præmia, sed toti christiano populo. Hoc igitur si comprobetur, admittendumque videatur, omnes pontificales sedes in solitudinem et exitium abire necesse est. » Col. 312 B.

non sint, in laicali autem ordine magis idonei appareant, nemo, magis idoneos derelinquens et digniores, ad minus idoneos et merito inferiores suum transferet suffragium [1]. »

Hoc decreto synodus photiana abrogat canonem decimum septimum synodi *primæ-secundæ* [2]. Quod Photius, anno 861, Nicolao papæ obsequenter concesserat, hoc idem, anno 880, retractat, et Joanni papæ denegat.

Synodus etiam papæ obedire renuit quoad caput tertium, vi cujus soli clerici Ecclesiæ Constantinopolitanæ promoveri debuissent ad sedem urbis regiæ :

« Det quidem Deus, inquit ista, ut sancta Constantinopolitana Ecclesia adeo nobilitetur et illustris fiat, ut qui sunt in ea presbyteri et diaconi omnibus sacerdotibus et diaconis, qui sunt sub romano imperio et potestate præluceant, ut etiam ex ipsis solummodo in maximam pontificatus sedem provehantur; si vero tempus tales non exhibeat ex his quos habet hæc Ecclesia, qui prælucebit et virtute potior erit, is etiam regiæ urbis pontificalem dignitatem suscipiet communibus omnium suffragiis [3]. »

5° Romani Pontificis auctoritati etiam detrahitur et illuditur in causa bulgarica, dum synodus nonnisi ficte et specie in hac re papæ morem gerit, et causam integram ad imperatorem remittit [4].

1. Col. 312 CD.

2. Vide hunc canonem in *P. G.*, t. CXXXVII, col. 1077 : « Id quod raro evenit, Ecclesiæ legem nequaquam statuentes, decernimus, ut in posterum hoc minime fiat; nisi rite ordinatus per gradus sacerdotii processerit, in unoquoque ordine tempus præstitutum adimplens. » Contra decretum hujus ultimi conciliabuli, canon synodi *primæ-secundæ* (= conciliabuli anni 861, in Ecclesia constantinopolitana SS. Apostolorum habiti) vim legis in Ecclesia byzantina servavit. Photius enim ipse, anno 883, in suum Nomocanonem illum retulit, dum canonem synodi Sanctæ Sophiæ prætermisit.

3. Col. 231 DE.

4. In actione secunda, Photius abstinentiam circa hanc quæstionem affectat : « Nos semper amatores caritatis et pacis, etiam hæc omnia, si fieri potest, *et propria membra*, καὶ τὰ οἰκεῖα μέλη, cum omni alacritate et diligentia largiri volumus, nihil ex animi propensione aut inconsiderate facere soliti... Quantum ad nostram sententiam attinet, *salvis legibus antiquis, amicis propria elargiri parati sumus.* » Col. 252 AB. Procopius Cæsariensis declarationi photianæ hæc adjunxit : « Speramus per misericordiam Dei et per sanctam orationem domini ac pontificis

6° Legati romani contra propriam dignitatem faciunt romanæque Sedis primatum obscurant, dum hæc de Photio pronuntiant :

« Misericordia Dei et ejus inspiratio talem immiserunt lucem in purissimam animam sanctissimi patriarchæ, ut collustraret et illuminaret omnem creaturam. *Nam quemadmodum sol, quamvis in cælo tantummodo oberret, tamen totum illuminat terrenum orbem, sic etiam dominus noster* (ὁ δεσπότης ἡμῶν) *domnus Photius, quamvis Constantinopoli sedeat, tamen omnem etiam creaturam illuminat et illustrat* [1]. » Magis adhuc dubia sunt sequentia, initio quintæ sessionis prolata :

« Quantum in nostra potestate fuit, multum operæ posuimus, secundum mandatum magni pontificis Joannis, sanctissimi papæ Romæ, ut omnia quæ antea enata sunt in Ecclesia Constantinopolitana scandala et zizania tollerentur... Si vero est aliquid occultum, quod nos nescimus, et relictum sit, scimus posse sermone et opere sanctissimum patriarcham dominum Photium hæc recte disponere, et eos qui adhuc

nostri, fore ut omnes gentes subdantur pio imperio a Deo electorum magnorumque imperatorum nostrorum. Quo facto, tunc, sicut jusserit fortissimum eorum imperium, conscribet ordines (τακτικά), et dabit unicuique proprias diœceses immutabiles, decretum confirmante synodo quæ tunc fiet. » Et Gregorius Ephesinus dixit : « Sermo de diœcesibus non habet nunc locum, cum non in unius moris imperium non redactæ sint omnes pontificales sedes. Cum autem ea res divino nutu perfecta fuerit, ut speramus sub magno et clarissimo imperatore nostro fore, tunc de diœcesibus disceptationi locus erit; et donari et compensari unicuique pontificali sedi licet, *si proximus velit*, βουλομένῳ τῷ πλησίον. » Quibus, synodus subjunxit : « Omnes sic dicimus. Non ad distinguendas diœceses congregata hæc synodus est; hæc alio tempore exquirenda. » Col. 252. In sessione tertia, synodus hanc declarationem emittit : « Quæcumque non pendent ex nostro suffragio, sed ex magni celsissimique imperatoris nostri administratione et judicio, hæc ipsius curæ ac providentiæ remittimus. » Col. 284 A. In actione quarta, Procopius et synodus repetunt ea, quæ in actione secunda dixerant. Col. 310 CD. Nicetas Smyrnensis hæc addit : « Cum tanta sit caritas et amicitia spiritalis inter sanctissimum papam Romæ et sanctissimum patriarcham nostrum Photium, quis non aperte videt, *quod, quemadmodum habent animam unam, sic et subjectum sibi populum subjectasque provincias communes existimant, et uterque eorum proprium lucrum in proximi et amici lucro positum reputat?* » Hanc manifestam irrisionem synodus suam facit his verbis : « Eadem etiam nos scimus pariter ac dicimus. » Col. 310 E.

1. Col. 308 C, καὶ φωτίζει πᾶσαν τὴν κτίσιν.

dissident ex amentia, erudire ac docere, et admonere et Ecclesiæ sanctæ suæ coagmentare; eos autem qui insanabiliter ægrotant, cum justitia subjicere congruenti pœnitentiæ. *Quam enim potestatem etiam ante nostrum adventum habuit a Deo acceptam, hanc per mandatum sanctissimi papæ duplicavit; et sic ipsum habemus et spectamus et suscipimus, ut ipsum sanctissimum papam Joannem* [1]. »

Hæc ultima verba legatorum pugnare videntur cum iis quæ paulo ante dixerunt, scilicet :

« Hanc potestatem sanctissimus papa Joannes Photio sanctissimo patriarchæ adjecit (προσανέθετο), ut posset ipse etiam revertentes suscipere, et non pœnitentes communione privare... *Œcumenicus et apostolicus papa Joannes, qui hanc potestatem a principe apostolorum Petro accepit, dedit et sanctissimo patriarchæ Photio eamdem potestatem ligandi atque solvendi* [2]. »

Si Photius hanc potestatem a Deo acceperat ante adventum romanorum legatorum, quomodo papa Joannes eamdem illi *adjicere* potuit? Papa non potuit nisi illam duplicare. Sed si simpliciter duplicavit, Photius a Deo immediate habuit illud, quod papa nonnisi per Apostolorum principem Petrum recepit. Forsan, in sensu primatum romanum non excludente possunt hæc explicari, si dicamus Photium habuisse a Deo potestatem ligandi atque solvendi, sed non independenter a papa, Petri successore [3]. Agitur enim, in casu, de reconciliatione schismaticorum patriarchæ Constantinopolitano subjectorum, in quos ordinariam jurisdictionem ex jure divino habebat Photius, ut urbis regiæ episcopus. Sed, ut hanc jurisdictionem exercere posset, cum papa communicare et ab eo agnosci debebat. Quidquid sit, patet hæc omnia obscuriora esse et contradictioni vicina.

7° Verba legatorum romanorum mox relata cum eis, quæ

1. Col. 325 B. Ἦν γὰρ ἐξουσίαν, καὶ πρὸ τῆς ἡμῶν ἐλεύσεως παρὰ Θεοῦ λαβὼν εἶχε, ταύτην διὰ τῆς ἐντολῆς τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐδιπλασίασε. Καὶ οὕτως αὐτὸν ἔχομεν καὶ θεωροῦμεν καὶ ἀποδεχόμεθα ὡς αὐτὸν τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἰωάννην.

2. Vide supra, p. 237.

3. Notum est quosdam theologos jurisdictionem episcopalem immediate a Deo derivare, dum alii communiter docent episcopos a Deo per papam jurisdictionem accipere.

legatus Antiochiæ Basilius dixit in eadem actione quinta, conferenda sunt :

« Ut qui igitur orientalium sedium potestatem accepit, et Romanæ auctoritatis jus adeptus, ut proxime audivimus seu potius, *ut qui ex Dei jussu tanquam pontifex maximus præsit, quoscumque ligaverit Sancti Spiritus insolubili vinculo, habemus etiam nos ipsi ligatos; et quoscumque solverit, habemus et nos ipsi solutos* [1]. »

Hæc etiam ambiguitate laborant. Possunt enim significare vel Photium habere primatum, pontificem maximum esse immediate a Deo, vel eum omnium patriarcharum et ipsius romani Pontificis auctoritate a Deo proveniente vestiri, vi delegationis ab ipsis patriarchis factæ.

8° Audiamus tandem Procopium Cæsariensem, ante finem synodi, de Photio hæc incredibilia proferentem :

« *Talem decebat in veritate esse eum qui totius mundi sortitus est curam*, τὸν τοῦ σύμπαντος κόσμου τὴν ἐπίστασιν λαχόντα, *ad normam summi Pastoris Christi Dei nostri. Id quod etiam prævertens beatus Paulus descripsit, dicens :* « *Habentes ergo* « *Pontificem magnum, qui penetravit cœlos.* » Audebit enim oratio mea eo usque progredi, quandoquidem novit Scriptura deos nuncupare qui secundum gratiam vivunt [2]. »

Post hanc cum Christo, summo Pastore, assimilationem, Photii laudationi et glorificationi quid amplius addi poterat?

Nunc vero si omnia, quæ in hac synodo photiana tam pro romanæ Sedis primatu quam contra eum occurrunt, uno conspectu consideremus, et æqua lance perpendamus, ad hanc deveniemus conclusionem : Photium scilicet ex una parte non solum primatum romanum non negasse, verum etiam illum aperte agnovisse; imo ab aliis mirum in modum verbis extolli permisisse; ex alia vero parte, romano Pontifici non semel illusisse, ejus auctoritatem de facto sprevisse, et quædam actis synodi inseruisse, quæ contra privilegia romanæ Sedis facile detorqueri possunt, ad hocque tendunt, ut Constantinopolitanus patriarcha æqualis evadat romano Pontifici, ejusque jurisdictioni practice omnino se subtrahat.

1. ὡς οὖν καὶ τὴν τῶν ἀνατολικῶν θρόνων ἐξουσίαν εἰληφὼς, καὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων αὐθεντίας τὸ κῦρος προσλαβόμενος, καθὼς ἀρτίως ἠκούσαμεν, μᾶλλον δὲ προέχων ἐκ Θεοῦ ὡς ἀρχιερεὺς μέγιστος, κτλ. Col. 320 D.

2. Col. 341.

**111. — De tempore quo Ecclesia Romana additionem vocis « Filioque » ad symbolum receperit.**

Circa hanc quæstionem, hæc ex historiæ documentis affirmari possunt :

1° Tempore Photii, Ecclesia romana additionem ad symbolum nondum receperat; cujus testis est ipse Photius, qui, ut supra vidimus [1], ad auctoritatem Ecclesiæ romanæ ejusque præsulum provocat, ut suam de processione Spiritus Sancti doctrinam confirmet. Inter papas ab ipso memoratos qui symbolum sine additione recitaverunt, occurrunt Joannes VIII († 882) et Hadrianus III († 885). De quodam papa, quem quidam Nicolaum I fuisse suspicantur, alii vero Formosum verisimilius putant, profert sane novator aliqua satis obscura; quæ tamen de publica additione vocis *Filioque* ad symbolum interpretari impossibile est [2]. Neque in ipsa epistola encyclica ad archiepiscopales thronos Orientis ille expressis verbis affirmat missionarios latinos ad symbolum aliquid addidisse, sed tantummodo illos redarguit quod illud *ratiociniis spuriis et verbis subrepticiis* (interpolatis) *adulterare tentaverint*, νόθοις λογισμοῖς καὶ παρεγγράπτοις λόγοις καὶ θράσους ὑπερβολῇ κιβδηλεύειν ἐπεχείρησαν [3]; quod bene intelligi potest de explicatione symboli, non vero necessario de materiali additione vocis *Filioque*.

1. P. 217.

2. En Photii verba in *Mystagogia Spiritus Sancti*, 88 : « Quod si quis post illos lingua dolosa et venerationem simulante (non enim aperta fronte constitutiones optimas piissimasque oppugnare audebat), sub specioso titulo, quod in ore omnium symbolum illud fidei non esset circumferendum, memoratum piissimum utilissimumque opus rescindere ab Ecclesiis et abrumpere voluit (non enim est meum nomine auctorum scelesta facinora prosequi) : ipse noverit, imo acerbe jam et misere novit, pœnas inde luens subdolæ temeritatis. At ille quidem (silet enim et ipse, licet invitus) in silentii regionem projectus jaceat. » Photius hic insinuat papam cujus nomen tacet, abrogare tentasse præceptum recitandi symbolum in græca lingua sine ulla additione; quod præceptum Leonem III (vel potius Leonem IV) omnibus Ecclesiis Occidentis, imposuisse somniat. Cf. ea, quæ, p. 176, de hoc decreto suppositio diximus. Vide etiam Hergenröther, *Photius*, t. I, p. 708, 709. A. Lapôtre, *Le pape Jean VIII*, Paris, 1885, p. 69 (cf. *Etudes religieuses*, 1891, t. I, p. 252), papam de quo hic loquitur Photius Formosum esse putat. Ad ignominiosam hujus pontificis degradationem alluderet.

3. *Epist. encyc.*, 8, *P. G.*, t. CII, col. 725.

2° Non paucis annis ante schisma Michaelis Cærularii, id est ante annum 1054, additio in Ecclesia romana recepta erat, ut patet ex testimonio cardinalis Humberti de Sylva Candida, legati sancti Leonis IX, qui Græcis crimen vertit, quod vocem *Filioque* symbolo ademissent [1]; ex quo patet Romæ tunc usum invaluisse canendi vel recitandi symbolum cum vocula illa *Filioque*.

3° Omnino probabile est Romanos vocem *Filioque* symbolo addidisse, quando hoc symbolum primum intra missarum solemnia cantaverunt. Hoc autem contigit anno 1014, die 14 Februarii, quo Henricus II Germaniæ imperator coronatus est, Benedicto papa VIII (1012-1024) Petri cathedram tenente. Etenim Berno, Augiæ Divitis abbas (= Reichenau) in suo libello, *De quibusdam rebus ad missæ officium pertinentibus*, sequentia narrat :

« [Symbolum post Evangelium] Romani usque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, *me coram adsistente*, audivi eos ejusmodi responsum reddere, videlicet, quod romana Ecclesia non fuisset aliquando ullæ hæreseos fæce infecta, sed secundum sancti Petri doctrinam in soliditate catholicæ fidei permaneret inconcussa; et ideo magis his necessarium esse istud symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At dominus imperator non antea desiit, quam omnium consensu domino Benedicto persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent. Sed utrum hanc consuetudinem servent adhuc, adfirmare non possumus, quia certum non tenemus [2]. »

Canendo symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, Romani utique illud cantare debuerunt secundum formam jam in omnibus fere aliis Occidentis Ecclesiis receptam, id est cum *Filioque*. Attamen notandum est Summum Pontificem de hoc nullum edidisse præceptum, verum potius tolerasse, ut romana Ecclesia in hoc aliarum Ecclesiarum usui se conformaret. Neque ulla synodus romana additionem ad

1. *Brevis et succincta commemoratio eorum, quæ gesserunt apocrisiarii sanctæ romanæ Ecclesiæ in regia urbe. P. L.*, t. CXLIII, col. 1003, 1004.

2. Berno Augiensis, *op. cit.*, cap. II, *P. L.*, t. CXLII, col. 1060, 1061.

symbolum pristinis temporibus adprobasse legitur, ut ait Lequien [1].

De hac autem quæstione polemistæ græci triplicem sententiam protulerunt. Quidam enim contenderunt additionem in Ecclesia romana receptam fuisse tempore Christophori papæ (903); alii autem hoc contigisse sub Sergio papa III (904-911); alii demum sub Sergio II, patriarcha Constantinopolitano (999-1019). Hæc ultima opinio sat bene cum narratione Bernonis concordat, et forsan veritati consentaneum est quod affirmant isti polemistæ, scilicet, Sergium illum, qui ex Photii familia orundus erat, hanc arripuisse occasionem unionem cum Ecclesia romana disrumpendi [2].

### IV. — De epistola spuria Joannis papæ VIII ad Photium circa additionem vocis « Filioque » ad symbolum.

Post illa duo scuta argentea sancti Leonis papæ III jussu ad Confessionem B. Petri apposita, nihil est quod sæpius jactitent polemistæ photiani, quam epistolam quamdam ad Photium sub nomine Joannis papæ VIII vulgatam, in qua Summus Pontifex doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio aperte reprobat, promittitque se totis viribus conaturum, ut additio vocis *Filioque*, ad symbolum ab occidentalibus Ecclesiis quæ illum receperunt repudietur. Porro hanc epistolam esse omnino spuriam simplici ex lectione constat. Quia vero non solum plerique theologi dissidentes, verum etiam quidam catholici auctores illam ut authenticam habuerunt [3], argumenta eam a quodam Græco falsario suppositam esse probantia proferre non abs re erit. Cum autem ejusmodi argumenta quum interna sint, tum externa, ut illorum vis tota perpendatur, documenti textum utrumque, latinum scilicet atque græcum prius transcribere necesse est :

1. *Panoplia*, p. 261.
2. Hergenröther, t. III, p. 729. Cf. ea, quæ infra dicuntur, p. 266.
3. Inter Catholicos qui hanc epistolam genuinam esse concesserunt, nominandi : 1° Fleury, *Hist. eccles.*, t. XI, 494, Parisiis, 1705; 2° Pichler, in suo opere inter libros prohibitos a S. Congreg. Indicis postea relato : *Geschichte der kirchlichen Trennung zwischen Orient und Occident*, Monaci, 1864, t. I, p. 200.

## 1. — Textus græcus

Hunc primum edidit Beveridge, *Pandecta canonum*, t. II, 306; quem etiam invenies in diversis conciliorum collectionibus.

« Οὐκ ἀγνοεῖν συμβαίνει ἡμᾶς, ὥς τινες τῶν αὐτόθι οὐκ εἰρήνης ἄνθρωποι περὶ τῆς ἐνταῦθα Ἐκκλησίας, καὶ αὐτοὶ οὐ πρὸς ἀλήθειαν ὁρῶντες, κακά τινα λέγουσι καὶ τόσον, ὅτι καὶ τὴν σὴν ἀδελφότητα μικροῦ δεῖν οὐκ ἀγαθὰς ὑπολήψεις ἔχειν εἰς ἡμᾶς καὶ τοὺς ὑφ' ἡμᾶς παραπείθουσι. Καὶ ἔστί τούτοις ἡ μὲν ἀφορμὴ τοῦ σκοποῦ τούτου οὐ ψευδής· καὶ αὐτοῖς εἴποιμι ἂν ἐγὼ, ὡς καὶ ὁ λόγος προϊὼν παραστήσει, καὶ ὁ Θεὸς ἄνωθεν ἡμῖν ἐπιμαρτυρήσει. Ἀλλὰ κατὰ τοὺς τὸν οἶνον καπηλεύοντας ὕδατι, παραμιγνύουσι καί τινα ἀφ' ἑαυτῶν ψευδοπληρήσαντες. Καὶ θαυμαστὸν οὐδέν· δεῖ γὰρ τὸν ἀπ' ἀρχῆς δημιουργὸν τῆς κακίας, καὶ πρὸς τὸν Θεὸν στήσαντα ἔχθραν, εἶτα καὶ τὸν ἡμῶν προπάτορα τῆς τοῦ κτίσαντος ἀγάπης χωρίσαντα, καὶ νῦν τινας ἔχειν πρὸς ὑπηρεσίαν αὐτοῦ, καὶ διεγείρειν τοὺς τοιούτους, ὅπως ἐκβάλωσι μέσον τῆς Ἐκκλησίας σκάνδαλον. Ἀλλ' ἐγὼ πρὸς τὸν τὴν εἰρήνην δόντα Χριστὸν ἀφορῶν, ὃς καὶ τὴν ἔχθραν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ ἔκτεινεν, ὡς ἔχω δυνατὸν, σπουδάσω τὰ στόματα τῶν χαιρεκάκων ἀνδρῶν ἀποφράττειν. Καὶ διὰ τοῦτο καὶ πρὸ τοῦ ὅλως τὴν σὴν ἀδελφότητα δηλῶσαι μοί τι, προφθάνω αὐτὸς περὶ τῶν τοιούτων γνωρίζειν σοι, ἵν' εἰδὼς ὅπως ἔχει τὰ καθ' ἡμᾶς, μὴ παρέχῃς ὧτα τοῖς θέλουσι λοιδορεῖν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποσοβεῖν αὐτοὺς, καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖς μὴ ἀκούειν τοὺς λόγους αὐτῶν. Καὶ γὰρ ἡ σὴ ἀδελφότης ἐπίσταται, ὡς, ὅτε παρεγένετο πρὸς ἡμᾶς ὁ μικρῷ πρότερον ἀποσταλεὶς παρ' αὐτῆς, περὶ τοῦ ἁγίου συμβόλου ἡμᾶς ἐδοκίμασεν, εὗρεν ἀπαράτρωτον, καθὼς ἀρχῆθεν παρεδόθη ἡμῖν, διατηροῦντας, καὶ μήτε προστιθέντας τι ἢ ἀφαιροῦντας, ἀκριβῶς εἰδότας, ὡς τοῖς τὰ τοιαῦτα τολμῶσι βαρεία καταδίκη ἀναμένουσα ἀπόκειται. Καὶ πάλιν οὖν παραδηλοῦμεν τῇ αἰδεσιμότητί σου, ἵνα περὶ τοῦ ἄρθρου τούτου, δι' ὃ συνέβη τὰ σκάνδαλα μέσον τῶν Ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ, ἔχῃς πληροφορίαν εἰς ἡμᾶς, ὅτι οὐ μόνον οὐ λέγομεν τοῦτο, ἀλλὰ καὶ τοὺς πρῶτον θαρρήσαντας τῇ ἑαυτῶν ἀπονοίᾳ τοῦτο ποιῆσαι, παραβάτας τῶν θείων λόγων κρίνομεν, καὶ μεταποιητὰς τῆς θεολογίας τοῦ δεσπότου Χριστοῦ καὶ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν λοιπῶν πατέρων, οἳ συνελθόντες συνοδικῶς παρέδωκαν τὸ ἅγιον σύμβολον. Καὶ μετὰ τοῦ Ἰούδα αὐτοὺς τάττομεν, ὅτι καὶ ταύτην ἐκείνῳ τετολμήκασιν, οὐ παραδόντες εἰς θάνατον τὸ κυριακὸν σῶμα, ἀλλὰ τοὺς πιστοὺς, οἳ εἰσὶν ὡς μέλη τοῦ σώματος αὐτοῦ, διασχίζοντες καὶ διατέμνοντες ἀλλήλων, καὶ οὕτως αἰωνίῳ παραπέμψαντας θανάτῳ, καὶ μᾶλλον ἑαυτοὺς, ὡς ἐποίησεν ὁ ῥηθεὶς οὐκ ὀρθὸς μαθητὴς, ἀπόπνιξαντες.

Οἰόμεθα δὲ μηδὲ τὴν σὴν ἱερότητα ἀγνοεῖν, ὡς οὖσαν νουνεχῆ τε καὶ πλήρη σοφίας, ὅτι καὶ τὸ τοὺς λοιποὺς ἡμῶν ἐπισκόπους καταπεῖσαι οὕτω φρονεῖν, εἰς δυσχέρειαν ἡμῖν οὐ μικρὰν ἐμπίπτει, ὅτι πρᾶγμά τι θειότερον

οὕτω ταχέως μεταλαβεῖν οὐδεὶς ἂν εὐκόλως δυνηθείη, εἰ καὶ βραχεῖ χρόνῳ τὴν ἔναρξιν εἴληφε, καὶ οὐκ ἔστι παγιωθὲν ἐκ πολλῶν ἐνιαυτῶν. Καὶ διὰ ταῦτα καλῶς ἔχειν ἔδοξεν ἡμῖν, ἵνα μὴ μετὰ βίας ἀναγκασθῇ τις παρ'ἡμῖν ἐᾶσαι τὴν προσθήκην, ἣν ἔφθασεν ἐν τῷ συμβόλῳ προσθεῖναι, ἀλλὰ μᾶλλον μετὰ ἐπιεικείας καὶ οἰκονομίας παρασκεύασον τούτους, κατὰ βραχὺ παραινῶν αὐτοὺς ἀποστῆναι τῆς βλασφημίας· ποιμαίνετε γὰρ τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον οὐκ ἀναγκαστῶς, ἀλλ'ἐπιεικῶς, οὐδ'ὡς κατακυριεύοντες τοῦ κλήρου, ἀλλ'ὡς τύποι γενόμενοι, ὁ ἄκρος τῶν ἀποστόλων Πέτρος ἔφη. Τοίνυν οὕτως ἡμῶν κατηγοροῦντες, ὡς τοῦτο φρονούντων, οὐκ ἀληθείᾳ πρὸς τὴν κατηγορίαν ταύτην κέχρηνται. Ὅσοι δὲ περὶ μὲν τῆς ἐμῆς γνώμης τοῦτο οὐκ ἀμφιβάλλουσιν, ἄλλοις δέ τισι τετολμημένον καὶ νῦν καθ'ἡμᾶς καταγγέλλουσιν, οἱ τοιοῦτοι οὐ ψευδῶς λέγουσι. Τῇ σῇ τοίνυν ἀδελφότητι ἁρμόζει μηδέν τι ἔχειν καθ'ἡμῶν σκάνδαλον, μηδὲ ἐκκόπτειν τοῦ λοιποῦ τῆς Ἐκκλησίας ἡμῶν σώματος, ἀλλὰ μᾶλλον συναγωνίζεσθαι ἡμῖν μετ'οἰκονομίας καὶ ἐπιεικείας καὶ τοὺς λοιποὺς, ὅσοι τῆς ἀληθείας ἐξέκλιναν, πρὸς αὐτὴν ἐπανάγειν, ἵνα δὴ καὶ τὸν ὑπὲρ τούτου μισθὸν σὺν ἡμῖν αὐτὴ ἀπολήψηται. Ἔρρωσο ἐν Κυρίῳ, αἰδεσιμώτατε καὶ καθολικὲ ἀδελφέ.

## 2. — Versio latina.

Hanc epistolam primus inter Occidentales ex græco vertit Baronius in suis *Annalibus*, ad ann. 879, n.54. Hæc versio in collectionibus conciliorum, ad calcem actionum synodi photianæ, occurrit, v. g., apud Mansi, t. XIII, col. 523, Hardouin, t. VI, col. 342; Labbe, t. IX, col. 235.

« Non ignoramus esse quosdam illic non homines pacis, qui de Ecclesia quæ hic est, etiam ipsi ad veritatem non respicientes, mala quædam dicunt; in tantum, ut parum absit, quin tuæ etiam fraternitati non bonas habere de nobis suspiciones, et de iis qui nobis sunt subditi, persuaserint. Et est illis quidem occasio talis propositi falsa : et ipsis ego affirmaverim, quemadmodum et in progressu hujus orationis ostendam, et Deus superne nobis testimonium reddet. Verum, ut qui vinum aqua adulterant, miscent illi quædam ex seipsis, quæ falso comminiscuntur. Neque vero quidquam illic mirum. Oportet enim eum qui ab initio mali opifex fuit, et adversus Deum constituit inimicitias, et postea nostrum etiam primum parentem a conditoris amore sejunxit, etiam nunc quosdam habere in suo ministerio, quos excitet, ut in medium Ecclesiæ scandalum inferant. At ego intuens in largitorem pacis Christum, qui etiam *inimicitias in carne sua interfecit*, quantum possum, dabo operam, ut ora homi-

num obstruam, qui delectantur malis. Propterea et antequam omnino fraternitas tua significet mihi quidquam, ipse præveniens volo de his te certiorem facere; ut cum rescieris quomodo se res nostræ habeant, non præbeas aures his qui reprehendere volunt; quin potius hos repellas prohibeasque ne alii horum sermones audiant.

« Novit enim fraternitas tua quod, quando accessit ad nos qui paulo ante a te missus est, *de sancto symbolo nostram sententiam perscrutatus est*, et invenit nos illud illæsum servare, quemadmodum nobis a principio traditum, nihil addentes, nihil auferentes : quippe qui recte noverimus quod qui talia audent, hos gravis condamnatio manet. *Iterum igitur tuæ Reverentiæ significamus, ut de hoc articulo, ob quem suborta sunt scandala inter Ecclesias Dei, certam persuasionem de nobis habeas, quod non solum illum non dicimus, sed etiam eos qui primum ausi sunt sua insipientia hoc facere, prævaricatores esse censemus divinorum oraculorum, theologiæ Domini Christi mutatores necnon Apostolorum et ceterorum Patrum, qui synodice convenientes tradiderunt sanctum symbolum. Hos cum Juda collocamus, quoniam idem ac ille scelus ausi sunt admittere, non quidem morti tradentes corpus dominicum, sed fideles, qui sunt membra corporis ejus, discindentes ac dissecantes invicem, et sic in sempiternam mortem illos deducentes, vel seipsos potius, ut fecit prædictus perversus discipulus, strangulantes.*

« Arbitramur autem tuam sanctitatem non ignorare, cum sit prudens et plena sapientiæ, quod reliquos episcopos nostros persuadere ut sic sentiant, non parvam præ se fert difficultatem. Rem enim adeo celeriter immutare nemo facile potest, *quamvis haud ita pridem inceperit, nec sit a multis annis firmata. Propterea optimum nobis visum est, ut per vim nemo cogatur a nobis addimentum illud dimittere, quod jam ad symbolum adjunctum est*, sed potius, ut cum moderatione et tolerantia, ad hoc faciendum hujusmodi homines præparentur, et *sic a blasphemia abstineant. Pascite enim*, etc. (Pet., v, 2), inquit princeps apostolorum Petrus. Qui igitur nos ita accusant, quasi sic sentiamus, non veritate nituntur in hac accusatione. Quicumque autem de mea sententia non ita dubitant, sed ad vos referunt quod alii ausi sunt talia committere, hi certe non mentiuntur. Tuæ igitur fraternitati

convenit, ut nullum habeas adversus nos offendiculum, neque scindas reliquum Ecclesiæ nostræ corpus, sed potius nobiscum certes cum prudentia et lenitate etiam reliquos, quicumque a veritate declinarunt, ad eam reducere, ut etiam pro hac re mercedem nobiscum ipsa recipiat. Vale in Domino, reverendissime et catholice frater. »

Nunc autem ad probationes, quibus clare evincitur hujus modi documentum cujusdam falsarii esse commentum, veniamus. Et primo quidem criticæ internæ ope hoc præstemus.

### 3. — Argumenta interna

1. Hæc epistola græcitatem potius quam latinitatem redolet [1]; neque textus græcus indolem præ se fert versionis ex originali latino; siquidem, quædam a latino more litteras scribendi penitus abhorrent [2], dum, e contra, alia photiano dicendi modo necnon Actis synodi photianæ cognata sunt [3].

2. Sententiæ indoli Joannis papæ VIII omnino repugnant. Quomodo enim romanus Pontifex suæ dignitatis conscius tam demisse erga Photium se habuisset, hujus legato inquirenti suæ fidei rationem reddidisset, ad ipsum *sponte* verbis humillimis propriam apologiam misisset, Occidentalibus fere omnibus, qui tunc additionem ad symbolum in missa cantabant, maledixisset, illosque cum prævaricatore Juda collocasset, apertum mendacium protulisset, asserendo additamentum ad symbolum inter Occidentales recens esse; insuper, quomodo Ecclesiæ romanæ fidem tam indigne negasset, Photiumque, quem nonnisi pro Ecclesiæ pace et sub certis conditionibus, ut legitimum patriarcham Constantinopolis agnoscere declaravit, socium sibi assumpsisset ad impugnandum dogma catholicum de processione Spiritus a Patre

1. Hoc jam notaverat Gregorius Mammas : πολὺ τὸ ὕποπτον ἔχουσαν διὰ τὸ εἶναι ὅλην δι' ὅλου ἑλληνικὴν τὴν γραφήν, καὶ μηδὲν ἔχειν ἐν ἑαυτῇ ἰδίωμα λατινικόν. *Apologia contra Marci Ephesini confessionem*, cap. xv. *P. G.*, t. CLX, col. 92.

2. V. g., appellatio quæ in fine legitur : αἰδεσιμώτατε καὶ καθολικὲ ἀδελφέ.

3. V. g., pericope : καὶ μετὰ τοῦ Ἰούδα αὐτοὺς τάττομεν, sæpe occurrit in synodo photiana. Locutio « μεταποιηταὶ τῆς θεολογίας τοῦ δεσπότου » est specifice græca. Vide alia exempla apud Hergenröther, t. II, p. 548, in notis.

et Filio, et ad vulgandum dogma photianum de processione a Patre solo? Si Joannes VIII hoc fecisset, utique contra se totum Occidens christianum concitasset. Nec poterat hic papa additionem vocis *Filioque* ad symbolum considerare tanquam veram causam schismatis photiani, atque scribere propter hanc *suborta esse scandala inter Ecclesias Dei.* Optime enim noverat dissidium Ecclesiarum ob Photii usurpationem accidisse, quippe qui Hadriani II archidiaconus fuerat. Notandum est, præterea, illum de Græcis satis sinistre sensisse. In epistola enim ad Bulgarorum principem, data die 16 aprilis 878, hæc scribebat :

« *Ne si forte Græcos secuti fueritis, cum illi in diversas hæreses et schismata solito more ceciderint, vos quoque cum ipsis in erroris profunda ruatis...* Non autem dicimus, quod non sit una fides, unum baptisma, unus Deus noster pariter et illorum; *sed quia in eis sæpe, præsule Constantinopolitano vel imperatore, aut plerumque utroque auctore facto hæreseos, plures qui sub ipsis sunt, adulatione aut certe timore illis efficiuntur consimiles; et væ tunc eis est, qui societatem sequuntur eorum.* Revertimini ergo ad beatum Petrum, apostolorum primum, quem amastis, quem elegistis, quem quæsiistis, etc[1]. »

Eodem instigante ac favente, Joannes diaconus vitam conscripsit sancti Gregorii Magni, in qua Græcis vitio vertitur quod locum quemdam *Dialogorum* ejusdem Gregorii, processionem Spiritus Sancti ab utroque diserte exprimentem interpolassent [2]. Atqui suum opus Joanni VIII auctor dedicavit,

1. Joannis papæ VIII *epist.* LXXV, Mansi, t. XVII, col. 62, 63.

2. « *Quamvis astuta Græcorum perversitas in commemoratione Spiritus Sancti a Patre procedentis, nomen Filii suaptim radens abstulerit* ». *Vita Gregorii*, lib. IV, LXXV, *P. L.*, t. LXXV, col. 225. Alludit auctor ad quemdam locum *libri secundi Dialogorum* S. Gregorii, ubi in textu originali legitur : *Cum enim constet, quia Paracletus Spiritus a Patre semper procedat et Filio, P. L.*, t. LXVI, col. 204. Translatio autem græca a sancto Zacharia papa facta (741-752) sic se habet : Φανερὸν οὖν ὑπάρχει, ὅτι τὸ Παράκλητον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς προέρχεται, καὶ ἐν τῷ Υἱῷ διαμένει. Non pauci critici conjecerunt textum originalem in diversis codicibus quasdam variationes præ se tulisse; verum hæc hypothesis est omnino gratuita. Etenim *Codex B. 159 Ambrosianus*, vivente adhuc papa Zacharia, scriptus circa annum 747, textum receptum habet, ut nobis anno 1908, dum Bibliothecæ Ambrosianæ adhuc præerat, S. S. Pius papa XI comiter rescripsit. Ad versionem autem græcam quod attinet, interpolatio probari nequit; quin imo certum videtur Zachariam papam

eoque adhuc inter vivos degente, ad finem perduxit. Certe de præfata falsatione Græcos non tam vehementer reprehendisset, si Summum Pontificem processioni ab utroque contraria sentientem cognovisset. Notandum insuper Joannem diaconum, in secundo libro, cap. II, sui operis [1], fidei professionem transcribere, a sancto Gregorio pontificatum auspicante recitatam, in qua hæc leguntur : *Credo in Spiritum Sanctum de Patre et Filio procedentem.* »

### 4. — Argumenta externa

1. Si epistola de qua agitur, a Joanne papa scripta fuisset, inter epistolas istius Pontificis ab a. 878 ad 882 conscriptas, quarum collectionem completam possidemus, occurrere deberet. Atqui nullum vestigium in codicibus deprehenditur textus latini hujusmodi epistolæ, quam ex græco tantum novimus [2].

2. In codicibus græcis solitaria apparet; cum actis synodi photianæ anni 879-880 nunquam conjungitur. Codices plerique qui acta istius synodi continent illam non habent; qui autem illam referunt — et hi non sunt sæculo XV vel sæculo XVI antiquiores — continent præsertim opera polemica Marci Ephesini, qui expressis verbis ad eam provocavit.

3. Ante dimidium sæculi XIV, hujus documenti nulla mentio occurrit apud græcos auctores. Joannes Veccus ipse, qui tum Acta synodi photianæ, tum librum de *Mystagogia Spiritus*

ex industria verba latina in græcum eo vertisse modo, quo nunc legimus, quidquid Joannes diaconus in contrarium dixerit, quidquid etiam alii post ipsum imaginati sint, ad explicandam discrepantiam inter textum primigenium et textum translatum. Etenim in *codice Vaticano græco 1666*, anno 800 exarato, textus græcus est omnino idem ac ille quem supra retulimus; quem etiam laudat Photius in sua *Mystagogia*, § 84, *P. G.*, t. CII, col. 368, 369. De hoc loco *Dialogorum* gregorianorum, vide ea quæ scripsimus in *Échos d'Orient*, t. XI, p. 321-331. Joannes VIII expresse approbavit primum librum *Vitæ Gregorii*. Potuit etiam legere tres alios libros, quos, *ipso incentore, ipso præceptore, ipso fautore*, *P. L.*, t. LXXV, col. 61, auctor perfecit, ipsique Joanni dicavit. Gratis omnino quidam polemistæ græci contenderunt locum *Vitæ Gregorii*, in quo Joannes diaconus Græcos increpat, fuisse a Latinis posterioribus interpolatum.

1. *P. L.*, t. LXXV, col. 87, 88.
2. Probatio utique non apodictica, digna tamen quæ notetur.

*Sancti* præ manibus habuit, hoc ignorat. Etiam Jobum Jasitem latet, quamvis in argumentationem hujus polemistæ maxime conduxisset [1]. Primi theologi qui hanc epistolam citaverunt fuerunt Nilus Rhodiensis [2] et Nilus Thessalonicensis [3].

4. Quod maximi momenti est, Photius de ea prorsus silet. Si ante synodum anni 879 scripta fuisset, Actis hujus synodi eam usurpator certe inseruisset, præsertim Actis sextæ sessionis, in qua expresse de mutationibus in symbolo fidei sermo fuit. Atqui in nullo codice antiquo hoc loco apparet. Si vero, post synodum, a papa missa fuisset, Photius tum in *epistola ad archiepiscopum Aquileiensem*, tum in *Mystagogia Spiritus Sancti*, quas post mortem Joannis conscripsit, ad illam provocasset, ut tam explicito documento probaret *suum Joannem*, ut dicit, cum eo omnino sensisse circa processionem Spiritus Sancti. Atqui, ut hoc ultimum stabiliat, unum tantum testimonium affert tum in *epistola ad Aquileiensem*, tum in *Mystagogia*, scilicet quod papa *per manus suorum legatorum* decreto subscripserit quo omnis mutatio, additio vel detractio in symbolo prohibetur [4]. Hujus silentii Photii nulla probabilis ratio assignari potest [5], ita ut argumentum negativum ex hoc petitum pro positivo jure habendum sit.

1. Cf. Hergenröther, t. II, p. 542.

2. Nilus Rhodi archiepiscopus post annum 1379 mortuus est. Epistolam Joannis laudat in sua synopsi *de synodis*. Cf. Mansi, t. XVII, col. 371, 372. Fabricius-Harles, *Bibliotheca græca*, t. XII, p. 356.

3. Nilus Cabasilas, Thessalonicensis archiepiscopus (†1363), citat hanc epistolam in suo longo tractatu de processione Spiritus Sancti contra Latinos, nondum edito : *Responsio ad argum. quadragesimum nonum Latinorum*. Cf. Allatium, *De octava synodo photiana*, p. 162, 163.

4. *Epistola ad archiepiscopum Aquileiensem P. G.*, t. CII, col. 820 : τοῦ ἐν ἁγίοις Ἰωάννου πάπα τοποτηρηταὶ, ὡς αὐτοῦ παρόντος ἐκείνου καὶ συνθεολογοῦντος ὑμῖν τὴν εὐσέβειαν..., ὡς ὁμόφρονες, καὶ φωνῇ καὶ γλώσσῃ καὶ ἰδιοχείρῳ γραφῇ καθυπεσημήναντο. — *De Mystagogia Spiritus Sancti*, 89, *ibid.*, col. 380 : οὗτος ὁ κεχαριτωμένος τῆς Ρώμης ἀρχιερεὺς διὰ τῶν αὐτοῦ.... τοπορητῶν... ἀποδεχόμενος σύμβολον γνώμῃ καὶ γλώσσῃ καὶ χερσὶν ἱεραῖς τῶν εἰρημένων... ἀνδρῶν ὑπέγραψέ τε καὶ ἐπεσφραγίσατο. Cf. ea quæ supra, p. 190, dicta sunt.

5. Ea quæ Pichler protulit nullius roboris sunt, ut ostendit Hergenröther, t. II, p. 543, 545, 547, qui totam hanc quæstionem optime elucidat, *ibid.*, p. 541-551. Pichler contendit Joannem VIII jurisdictionem in Bulgaros omnibus aliis prætulisse, et in additione vocis *Filioque* veram causam schismatis detegisse; Photium vero ex ipsa epistola Joannis

### 5. — Hujus epistolæ origo probabilis

Tres hypotheses circa originem hujus epistolæ fingi possunt :

1. *Joannes papa VIII revera scripsit quamdam epistolam ad Photium circa additionem vocis « Filioque » ad symbolum, in qua de hac eodem fere modo loquebatur, quo jampridem Leo III ad Caroli Magni legatos. Photius vero hanc epistolam falsavit, sicut falsavit alia documenta pontificia.* Hæc hypothesis nullam veram probabilitatem præ se fert. Etenim contra eam faciunt pleraque argumenta, quæ supra attulimus contra epistolæ authenticitatem.

2. *Photius illam ex integro confinxit.* Sic Lequien in sua *Dissertatione I Damascenica*, cap. xxi. Hæc suppositio verisimilitudine non destituitur, præsertim si dicatur Photium illam fuisse commentum post Joannis papæ mortem. Eodem prorsus modo jam prius quamdam Nicolai papæ epistolam confecerat, qua Summus Pontifex eum ab antea factis absolvebat, et Ignatium ad reconciliationem invitabat [1]. Sed in hac hypothesi, difficile explicatur defectus omnis mentionis vel allusionis in scriptis Græcorum, usque ad sæculum xiv.

3. *Multo probabilius est hanc epistolam non esse sæculo* xiv *antiquiorem, et ab aliquo polemista photiano primi dimidii hujus sæculi fuisse excogitatam, ad excusandam palinodiam Photii circa quæstionem de processione Spiritus Sancti aliasque criminationes ab ipso contra Latinos prolatas.* In sua enim synodo (879-880), unionem cum Ecclesia romana instauravit sine ulla prævia elucidatione quæstionis de processione Spiritus Sancti, quamquam doctrinam Latinorum, anno 867,

tantum comperisse additionem ab Occidentalibus, romana Ecclesia excepta, recipi; hanc autem Joannis epistolam silentio præterivisse, ne sibi ipsi contradicere videretur; quippe qui, anno 867, romanæ Ecclesiæ (sicut et cæteris Ecclesiis Occidentis) crimini verterat quod hæc symbolum fidei adulterasset. Hoc ultimum argumentum est certe ingeniosum, verum non multum valet. Photius enim non semel sibi ipsi contradixit; qui, si talem epistolam a papa accepisset, voluptati eam laudandi in suis operibus, quæ post Joannis mortem conscripsit, ægre utique restitisset.

1. Cf. Hergenröther, t. i, p. 524.

tanquam impiam hæresim Orientalibus omnibus, denuntiaverat [1].

### V. — Joannes Scotus Erigena et Photius de processione Spiritus Sancti.

Tempore Photii, in aula Caroli Calvi, Francorum regis degebat Joannes Scotus Erigena, qui solus forsan ex Occidentalibus coætaneis in græcorum Patrum theologia sat bene versatus erat; quippe qui Clementis Alexandrini, Origenis, Cappadocum trium, Chrysostomi, Epiphanii, Maximi, Pseudo-Dionysii opera (quædam saltem) legerat; immo sancti Maximi *Dubia* et Pseudo-Areopagitæ scripta latine reddiderat [2]. Is quidem, sicut et alii theologi occidentales, scripta photiana penitus ignoravit; mirum tamen est, quod, ante Photium ipsum, quædam e suo penu protulerit, quæ photianismum in quæstione de processione Spiritus Sancti redoleant.

Quidquid in contrarium auctores quidam asserere visi sint [3], non fuit ille Photii discipulus veri nominis, cum duobus annis antequam Photius suam encyclicam epistolam ad Orientales mitteret, id est, anno 865, Joannes suum de *divisione naturæ* opus, ubi de processione Spiritus Sancti agit, absolverit. Neque duplicitatis vel contradictionis proprie dictæ illum, post E. Rand, arguere ausimus; sed neque ortho-

1. Apud Demetrakopulum, Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, p. 52, ubi sermo est de operibus ineditis cujusdam Matthæi Angeli Panareti, qui vivebat in secundo dimidio sæculi XIV, hæc leguntur : Ἰωάννου πάπα ἐπιστολὴ πρὸς τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Φώτιον πεμφθεῖσα διὰ τοπορητῶν.... Εὑρέθη δὲ ἡ τοιαύτη ἐπιστολὴ ἐν βιβλίῳ ἁγιορειτικῷ τῆς Μονῆς τοῦ Βατοπεδίου· εὑρέθη καὶ ἐνταῦθα, ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἐν βιβλίῳ παλαιῷ : *Joannis papæ epistola ad sanctissimum patriarcham Photium... Inventa est autem talis epistola in libro haghioritico monasterii Vatopediensis. Inventa est etiam hic, Constantinopoli, in codice veteri.* Opera Panareti continentur in codice *430* Bibliothecæ Nanianorum, Venetiis. Vide etiam *Cod. 258, Theol.* Bibl. Vindobonensis. Suspecta omnino nobis apparet hæc inventio. Num ipse Angelus Panaretus illam confixerit? De Panareto quædam infra dicimus, p. 446-448.

2. Ejus opera, cum præviis doctis introductionibus, invenies in *P. L.*, t. CXXII. De processione Spiritus agit in libro II operis, *De divisione naturæ*, § 30-35, col. 600-615.

3. Cf. Slipyi, *op. cit.*, p. 84, 87, 88; Hergenröther, *Photius*, t. I, p. 637; E. K. Rand, *Johannes Scottus* Monaci, 1906.

doxiæ libellum ei, post Slipyi [1], trademus. Dogma quidem catholicum pluries verbotenus professus est, et etiam, quantum conjicere possumus, tenere semper intendit; at vero ab eo, dum aliquam illius explicationem dare aggressus est, aliquatenus recessit, photianismique fines attigit.

Primum quidem ille probe novit catholicam fidem esse Spiritum sanctum a Patre et Filio vel per Filium procedere [2]; in hac autem doctrina plures detegit difficultates, quarum prima hæc ipsissima est, quam Photius etiam atque etiam urget contra Latinos, scilicet : Si Spiritus Sanctus a Patre procedit et Filio, duas causas [3], sive duo principia suæ processionis videtur habere :

« Non clare considero, ait discipulus in dialogo [4], utrum solus Pater causa est Spiritus Sancti, an Pater et Filius, ut, quemadmodum fides fatetur catholica, a Patre et Filio eum procedere, ita etiam credamus duas suæ processionis causas possidere. Si enim ex duabus personis, seu, ut Græci dicunt, ex duabus substantiis (ὑποστάσεσι) Spiritus Sanctus procedit, quid mirum, aut veræ religioni contrarium ex duabus causis ipsum procedere fateri [5]? »

Ad hæc Magister respondet :

« Vere, vere; densissima caligo est, et non solum te, sed et

1. *Op. cit.*, p. 88.

2. « *Fides catholica profitetur Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere.* » *De divisione naturæ*, t. II, p. 31, col. 601 B. — *Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere catholica fides prædicat. Ibid.*, p. 32, col. 609 C. — *Spiritum Sanctum ex Patre et Filio vel ex Patre per Filium procedere fides catholica nos præcipit confiteri. Ibid.*, p. 33, col. 611 B. — Item in *Commentario in Boetium*, post opus *De divisione naturæ* conscripto, hæc occurrunt : *Alicujus, scilicet Patris et Filii, licet Græci dicant a solo Patre procedere Spiritum Sanctum. Sed convincuntur auctoritate. Hæc autem hæresis nuper orta est, tempore scilicet Nicolai papæ, et, ut fertur, causa invidiæ inventa. Prædictus enim papa Bulgros, qui sunt Græcis vicini, misso episcopo Formoso, convertit ad fidem Christi. Quare Græci, ducti invidia, nescientes qualiter Romanis aliter derogarent, invenerunt hanc hæresim, fidei catholicæ repugnantes, quasi Spiritus Sanctus a solo Patre procedat. Quam refert ipse papa in epistolis, quas per Gallias mittens, Græcos, utpote hæreticos, damnavit.* E. Rand, *op. cit.*, p. 25.

3. Nota Joannem Scotum terminologiam Græcorum usurpare; pro *principio* enim ponit *causa*, αἰτία.

4. Opus *de divisione naturæ* in formam dialogi inter discipulum et magistrum redactum est.

5. *Loc. cit.*, col. 601 BC.

meipsum involvit... Ad cumulum quoque obscuritatis augetur, quod symbolum catholicæ fidei secundum Græcos a Nicæna synodo traditum, *a Patre* solummodo [1] *Spiritum Sanctum procedere fateatur*, teste Epiphanio Cypri episcopo in libro suo de fide; juxta vero Latinos, a *Patre et Filio;* quamvis in quibusdam Græcorum expositionibus eumdem Spiritum a *Patre per Filium* procedere reperiamus. Ex duabus causis unam causam confluere rationi non facile occurrit, præsertim in simplici natura, et plus quam simplici, et, ut verius dicatur, in ipsa simplicitate omni divisione et numerositate carente; ab una autem causa multas causas erumpere multis exemplis potest approbari [2]. »

Præ hac objectione, discipulus dicit :

« Filium ex una causa, id est ex Patre suo nasci, nullus fidelium dubitat; Spiritum vero Sanctum utrum ex una causa, Patre videlicet, an ex duabus, hoc est ex Patre et Filio procedat, nec affirmare, nec negare temere ausim. Ac per hoc rectæ fidei professionibus non convenire non satis video, cum Spiritum Sanctum Patris et Filii Spiritum dici frequentissime invenerim. Est enim Spiritus amborum, quoniam ex Patre per Filium procedit, et est donum utriusque, quoniam ex Patre per Filium donatur, et est amor utriusque, Patrem et Filium jungens, ut sanctus edocet Augustinus... Trinitatis imaginem in humana natura mirabili indagatione quærens [3]. »

Quid tandem Magister? Ostendere conatur Patrem esse

1. Hoc *solummodo*, si ad verbum *procedere* referatur, interpretationem phoţianam, quæ omnino falsa est, redolet; non vero, si referatur ad verbum *profiteatur*.

2. Col. 601, 602. Photius eamdem difficultatem movet : « Ex eadem, inquit, hypostasi diversas prodire operationes ac virtutes, præsertim in supernaturalibus nostramque mentem excedentibus, facile est intellectu, argumentisque innumeris declaratur; hypostasin vero quæ in diversas causas referatur nunquam reperias, quin simul cum differentia causarum ipsa quoque a se differat ac discindatur. » *Myst. Spir. Sancti*, 63. *P. G.*, t. cii, col. 341 B. Item in *Epistola ad arch. Aquil.*, 12-13, *P. G.*, *ibid.*, col. 805 BC : « Filii multi sæpenumero ex uno eodemque utero, et simul, et seorsim cernuntur in lucem edi; eademque manus et cædit et scribit, et beneficia præstat, et ad Deum tenditur : scriptionem autem cum manus tum similiter pedis tanquam integrum opus videre... nemo sanæ mentis puţaverit. »

3. *Ibid.*, col. 602, 603.

solam causam, solum principium Spiritus Sancti, formulamque utramque quum Græcorum : *a Patre per Filium procedit*, tum Latinorum : *A Patre et Filio procedit*, ita explicat, ut Filius a processione Spiritus Sancti in ratione principii excludi videatur :

« Num tibi videtur, inquit, ex igne radium nasci, et ex radio splendorem procedere... Numquid ergo cogemur, ut ipsum splendorem, qui per nascentem radium ab igne procedit, duas causas habere dicamus? Quamvis enim ab igne per radium procedat, ignis tamen solummodo causa ipsius est, non radius. Sicut enim ipse radius per se non subsisteret, si de causa sua, quæ est ignis, non nasceretur, ita splendor per radium non esset, nisi prius ex ipsius radii causa procederet. Vides itaque nullam rationem exigere, ut splendor ex duabus causis procedat, quamvis ex igne per radium manare intelligatur, verum ex una eademque causa et radium nasci et splendorem procedere, ac per hoc et splendorem ex igne radioque procedere natura ipsa magistra non tacet.

« Et adhuc virtutem ejusdem exempli intentus perspice. Radius ipse ex igne nascens non ita nascitur, ut gignentem se ignem deserat, aut aliquo modo relinquat ; sed ita gignitur, ut virtus ignea, quæ eum gignit, semper et ubique inseparabiliter et immutabiliter in eo permaneat, tota in tota, et totus in tota, et unum duo, et duo unum. Et quamvis videatur splendor de radio exire, non tamen ex ipso radio, inquantum radius est, sed ex ipsa virtute procedit, ex qua radius nascitur, et quæ tota et totum radium et totum splendorem penetrat atque implet... Et quamvis Sanctum Spiritum a Patre per Filium credamus et intelligamus procedere, non tamen duas causas eumdem Spiritum habere debemus accipere, sed unam eamdemque causam, Patrem scilicet, et nascentis de se Filii, et procedentis ex se per Filium Spiritus Sancti. Ut enim propterea splendorem ex igne per radium procedere dicimus, quoniam ignis ipse totus in toto radio subsistit, ex quo per radium splendor emittitur, ita et Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere catholica fides prædicat, *quoniam ipse Pater, qui principalis causa est et* SOLA *processionis Sancti Spiritus*, totus in toto Filio est, sicut et totus Filius in toto Patre, ex quo per Filium Spiritus Sanctus procedit... Et vide quomodo ipse Filius Spiritum Sanctum

ad solum Patrem, unicam quippe sui causam, refert, dum dicit : *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Non enim dixit : quem mitto in nomine meo, sed quem mittit Pater in nomine meo, quamquam et alibi seipsum mittere Spiritum dicit, dum ait : *Si ego abiero, mittam eum ad vos.* Missio ejus processio ejus est; *processio autem ejus a Patre solummodo est substantialiter...* verumtamen in nomine Filii, quoniam Spiritus Patris et Filii est [1]. »

Ex his explicationibus apparet Joannem Scotum a doctrina catholica recedere, dum Patrem prædicat unicam causam sive unicum principium Spiritus Sancti, Filio autem solummodo relinquit partes instrumenti seu canalis inertis, per quem virtus spirativa transit, sicut virtus ignea per radium. Non enim affirmat quod orthodoxia exigit, scilicet virtutem spirativam, quæ virtuti igneæ in ejus comparatione respondet, Patri et Filio esse communem, sed illam soli Patri vindicat, *a quo solo,* juxta ipsum, Spiritus Sanctus *substantialiter procedit.* Quamvis comparationem augustinianam ex mente humana desumptam noverit, illam tamen non ad mentem Augustini intelligit. Dicit enim :

« Mens et notitiam sui gignit, et a seipsa amor sui et notitiæ suæ procedit, quo et ipsa et notitia sui conjunguntur; et quamvis ipse amor ex mente per notitiam sui procedat, *non tamen ipsa notitia causa amoris est, sed ipsa mens, ex qua amor inchoat esse, et antequam ad perfectam notitiam sui mens ipsa perveniat. Nam et mens amat seipsam cognoscere, priusquam cognitionem suam de seipsa pariat velut prolem suam* [2]. »

Certe Joannes Scotus aliquam præcedentiam Spiritus Sancti præ Filio hoc loco innuere videtur, sicut Photius facit, dum comparationem ex ore, verbo et voce petitam explanat [3]. Hoc autem a mente sancti Augustini doctorumque catholicorum omnium alienissimum est.

Erronea nostri theologi conceptio ex duabus sequentibus difficultatibus, quas sibi solvendas proponit, adhuc magis patefit.

« Utrum, inquit, quemadmodum Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere credimus, symbolum romanæ

1. Col. 608-610.
2. Col. 610 C.
3. Vide supra, p. 223.

linguæ sequentes, ita Filium ex Patre nasci per Spiritum Sanctum profiteri valeamus, quamvis hoc in ipso symbolo nec secundum Græcos, nec secundum Latinos scriptum reperiamus, nec in divina Scriptura aperte promulgatum, ut æstimo? »

Cui respondet :

« Filium a Patre per Spiritum nasci, nec in illo symbolo utriusque linguæ, nec in alia scriptura reperi. Et cur hoc, nec per meipsum adhuc quæsivi, nec ab alio quæsitum et inventum legi... Inquisitor sollicitus sacræ theologiæ Spiritum Sanctum a Patre per Filium audiens procedere, mox divino studio admonitus, quærit et dicit : Si ergo Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit, cur non similiter Filius a Patre per Spiritum Sanctum nascitur? Si autem Filius a Patre per Spiritum Sanctum non nascitur, cur Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedere diceretur? Nam quod de Spiritu Sancto catholice creditur, cur non etiam de Filio similiter crederetur? Nisi forte quis dixerit, prædictarum naturalium similitudinum virtutem considerans, ab igne per radium splendorem procedere videmus, non autem ab igne per splendorem radium nasci. Similiter ab animo per rationem sensum interiorem mitti, non autem per ipsum sensum rationem ab animo gigni, naturalis theoriæ edocet ordo. Sed de divinarum substantiarum [1] generatione et processione suadenda seu affirmanda fortassis exempla naturæ non sunt idonea. Ac per hoc quod in sancto symbolo secundum Græcos canitur, hac quæstione liberum omnino est atque absolutum. Dicit enim Filium ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα, hoc est, ex Patre genitum, Spiritum vero ἐκ τοῦ Πατρὸς πορευόμενον (sic), id est, ex Patre procedentem. *Sed si quis sanctos Patres, qui in latino symbolo addiderunt de Spiritu : « qui ex Patre Filioque procedit », consuleret, rationabiliter, ut credo, responderent, et causam ipsius additionis non tacerent. Et fortassis consulti sunt et responderunt; sed quid eis visum est de hac re, nondum in manus nostras pervenit. Atque ideo de hujusmodi quæstione nil temere conamur definire, nisi forte* quis dicat; non immerito hoc additum est, quoniam multis sacræ Scripturæ locis appro-

1. Nota Joannem Scotum nomine substantiæ designare personam seu ὑπόστασιν.

batur. Nam et ipse Dominus dicit : *Quem Pater mittit in nomine meo.* Videtur enim Filius mittere Spiritum, quem Pater mittit in nomine ejus; ipse quoque Filius Spiritum veritatis Spiritum Sanctum vocat; Filius autem veritas est, ipso testante : *Ego sum via, veritas et vita.* Si ergo Spiritus veritatis est, profecto Spiritus Sanctus Spiritus Filii est... Item Apostolus : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, in quo clamamus : Abba Pater.* Item Psalmista : *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* His itaque atque hujusmodi testimoniis quis catholicorum non possit approbare Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere[1] ? »

Post hæc magistri verba, discipulus veram ejus sententiam per modum conclusionis hoc modo aperit :

« De hac quæstione non nimium hæsito. Quoquo enim modo quis ecclesiasticum symbolum pronuntiaverit, sine naufragio sanæ fidei recipio, *hoc est, sive Spiritum Sanctum a Patre solummodo procedere dixerit, sive a Patre et Filio, salva illa ratione, qua et credimus et intelligimus eumdem Spiritum ex una causa, id est ex Patre substantialiter procedere. Est enim Pater causa nascentis de se Filii, et procedentis ex se Spiritus*[2]. »

Tertia quæstio, quam movet Joannes, tertium axioma photianum in memoriam reducit :

« Adhuc velim, a te quærere, inquit discipulus, ex essentiane Patris, an substantia [id est, persona] et Filius natus et Spiritus Sanctus procedens est? »

Data autem utriusque termini, essentiæ scilicet (οὐσία) et substantiæ (ὑπόστασις) significatione, magister ad hanc vere photianam devenit conclusionem :

« Dixisti te dubitare, ex essentiane, an ex substantia Patris et natus Filius et procedens Spiritus Sanctus. Ac si aperte diceres, utrum ex una atque communi essentia vel natura trium substantiarum vel personarum nascitur Filius

1. Col. 612.

2. *Ibid* Animadverte discrepantiam inter Augustinum et Joannem. Augustinus dicit : « *Spiritus Sanctus, quamquam ab utroque, a Patre tamen principaliter* (id est, originaliter seu primordialiter) procedit »; Joannes Scotus vero docet : « Spiritus Sanctus, quamquam a Patre et Filio procedere catholice dicitur, tamen a solo Patre, qui sola causa est in Trinitate, *substantialiter* (id est vere ac realiter, seu tanquam a persona) procedit; a Filio autem non procedit nisi instrumentaliter ac improprie, sicut splendor per radium ab igne effulget. »

et procedit Spiritus Sanctus, an ex propria substantia Patris vel persona. Essentia siquidem divinæ bonitatis neque propria substantia est Patris, neque Filii, neque Spiritus Sancti, sed una atque communis substantiarum trium natura; Pater autem suam propriam habet substantiam (= ὑπόστασιν), similiter et Filius, similiter et Spiritus Sanctus suas possident substantias. Si igitur divina essentia, quia una est atque eadem, neque Pater est, neque Filius, neque Spiritus Sanctus, sed communis eorum natura, sequitur non ab ea nasci Filium, neque Spiritum Sanctum procedere... Non *igitur ex essentia, sed ex substantia Patris et Filius nascitur et Spiritus Sanctus procedit.* Nam et apud homines non dicimus ex communi natura, sed ex propria natura nasci filios; propriam autem naturam dico uniuscujusque personæ individuam substantiam. Nam si ex communi natura homines nascerentur, nullus pater proprium filium, sic nullus filius proprium patrem possideret [1]. »

Latet ergo Joannem Scotum distinctio inter *principium quod* et *principium quo;* sublata autem hac distinctione, ad photianismum devenire necesse est. Si enim Spiritus Sanctus a sola persona Patris procedit, et non etiam a natura divina, quatenus a Patre possidetur, quo modo etiam a Filio et a natura divina, quatenus in Filio est, procederet? Cæterum, nota sententiam Joannis Scoti symbolo Nicæno aperte contradicere. In hoc enim de Filio dicitur : *Natum ex Patre, hoc est, de essentia Patris*, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός. Nec minus contraria est hæc doctrina dictis Patrum græcorum sæpe sæpius asserentium Spiritum Sanctum a Filio, sicut et a Patre, substantialiter seues sentialiter, οὐσιωδῶς, prodire, ab essentia Patris et Filii esse.

Optimo sane consilio Joannes Scotus utramque formulam : *a Patre per Filium procedit*, et *a Patre Filioque procedit*, explicare aggressus est, atque utriusque defectus sat acute vidit; at ejus tentamina omnino infelicia evaserunt, et non minus a Græcorum, ad quos manifestam propensionem habet, quam a latinorum Patrum doctrina recessit, photianusque bonæ fidei ante Photium fuit, quamquam verbotenus orthodoxus remansit.

1. Col. 613, 614.

# CAPUT TERTIUM

## DE BYZANTINI SCHISMATIS CONSUMMATIONE SUB MICHAELE CÆRULARIO

Hoc tertium caput in sex articulos dividimus, quorum primus erit : *De societate inter utramque Ecclesiam inde a Photio iterum deposito usque ad Michaelis Cærularii impetum contra Latinos;*

Secundus: *De ejusdem Cærularii agendi ratione cum romano Pontifice ejusque legatis, necnon de horum cum illo;*

Tertius : *De primatu Petri apostoli et romani Pontificis apud Byzantinos, sæculis* x-xi *;*

Quartus : *De doctrina processionis Spiritus Sancti apud eosdem per idem tempus;*

Quintus : *De controversia circa usum panis azymi in Ecclesia latina, tempore Michaelis Cærularii;*

Sextus : *De cæteris criminationibus Græcorum contra Latinos sæculo* xi *prolatis.*

## ARTICULUS I

### De societate inter utramque Ecclesiam a Photio iterum deposito usque ad Michaelis Caerularii impetum contra Latinos.

Post secundam Photii depositionem (an. 886), unio inter utramque Ecclesiam, romanam scilicet et byzantinam, non fuit statim instaurata. Discidium perseveravit usque ad pontificatum Joannis papæ IX (898-900). Ex certis enim documentis colligitur legatos Joannis IX Constantinopolim advenisse circa annum 899-900, Antonio II Caulea patriarchalem sedem occupante (893-901), pacemque Ecclesiarum renovasse [1].

1. Hoc colligitur : 1° ex *Vita Euthymii patriarchæ Constantinopolitani*, ed. de Boor, Berolini, 1888, cap. x, p. 34, ubi Antonius Cauleas, die 12 februarii, anno 901, obiisse dicitur *post Ecclesiarum unionem;* 2° ex *Kletorologio* protospatharii Philothei, anno a condito mundo 6408,

Unio autem iterum soluta est sub patriarcha Nicolao Mystico secunda vice thronum tenente (an. 912), propter quæstionem de tetragamia. Hoc autem novum schisma mox exstinctum est, scilicet paulo post synodum Constantinopolitanam *de unione* dictam, quæ anno 920 habita est.

Circa finem sæculi x et initio sæculi xi, tempore scilicet patriarcharum Constantinopolis Nicolao II Chrysoverge (984-996), Sisinnio II (996-998) et Sergio II (999-1019), certum videtur Ecclesias denuo fuisse separatas. Tunc enim primum *Synodico* Dominicæ Orthodoxiæ insertæ sunt sequentes acclamationes, quibus concilium œcumenicum octavum pessumdatur, et Photio schismatico infamia detrahitur : Φωτίῳ τῷ πατριάρχῃ ὀρθοδόξῳ αἰώνιος μνήμη. — Τὰ λαληθέντα καὶ γραφέντα κατὰ Ἰγνατίου καὶ Φωτίου, τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, ἀνάθεμα : *Photio patriarchæ orthodoxo æterna memoria. — Dictis et scriptis contra Ignatium et Photium, sanctissimos patriarchas, anathema*[1]. Sub pontificatu autem Joannis papæ XVIII

tertia indictione, mense Septembri, Leone Sapiente imperante (id est, anno Christi 900, mense Septembri) conscripto, in cujus tertio capite, hæc leguntur : Ἐτιμήθησαν δὲ οἱ ἀπὸ Ῥώμης ἐλθόντες διὰ τὴν ἕνωσιν τῆς Ἐκκλησίας ἐπὶ Λέοντος τοῦ φιλοχρίστου δεσπότου, οἷον ὁ ἐπίσκοπος Νικόλαος καὶ καρδινάλιος Ἰωάννης, ἐπάνω πάσης τῆς τάξεως τῶν μαγίστρων. *P. G.*, t. cxii, col. 1353 : *Honorati sunt præ toto ordine Magistrorum qui e Roma, propter Ecclesiæ unionem, venerunt sub Leone amico Christi domino, Nicolaus scilicet episcopus et cardinalis Joannes.*

1. Historia compertum est aulam byzantinam electioni antipapæ Franconis ( = Bonifacii VII), anno 974, suffragatam esse. E Roma pulsus, Franco Constantinopolim aufugit. Verisimile est hac occasione separationem Ecclesiarum iterum accidisse. Anno 984, Franco Romam repetiit, sed mox e vita cessit. Ab anno 985 ad annum 996, Joannes papa XV Apostolicam Sedem tenuit. Cum autem factioni germanicæ, præsertim post mortem imperatricis Theophano (anno 991), suffragaretur, imperatores autem byzantini factioni Crescentii potius faverent, communionis intermissio per totum id tempus perdurasse videtur. Ad hanc communionis intermissionem alludere videtur Arnulphus, Aurelianensis episcopus, in oratione quam habuit coram synodo monasterii S. Basoli prope Rhemos, mense junio anni 991 : « Post imperii occasum, inquit, hæc urbs (Roma scilicet) Alexandrinam Ecclesiam perdidit, Antiochenam amisit, et, ut de Africa taceamus atque Asia, ipsa jam Europa discedit. *Nam Constantinopolitana Ecclesia se subduxit*, interiora Hispaniæ ejus judicia nesciunt. Ipsa quoque Roma jam pene sola a seipsa discedit, dum neque sibi neque aliis consulit. » Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, t. iii, p. 660; Mansi, t. xix, col. 107 sq. Acclamatio : *Photio patriarchæ orthodoxo æterna memoria* tomo unionis

(1003-1009), unio jam instaurata fuerat, ut constat ex testimonio Petri, patriarchæ Antiocheni, qui anno 1009 propriis oculis nomen papæ vidit inscriptum in diptychis Magnæ Ecclesiæ [1].

Jam inde a sæculo XII ineunte, a pontificatu utriusque Sergii, Sergii scilicet papæ IV (1009-1012) et Sergii II Constantinopolitani (999-1019), originem schismatis Byzantini communiter repetierunt. Huic sententiæ favet quædam recensio libelli Nicetæ chartophylacis Nicæni *de schismatibus inter Constantinopolitanam Ecclesiam et romanam* : « Sub Sergio, qui patriarcha fuit, imperante Bulgaroctono (= Basilio II), schisma factum est, eo quod papa hujus temporis, Sergius et ipse nuncupatus, in sua commendatitia epistola scripsit additionem ad symbolum. Schisma hactenus perseveravit [2]. »

(τόμος τῆς ἑνώσεως) anni 920 sub Sisinnio II primum adjecta est; deinde (probabiliter sub Sergio II, Photii cognato) hæc acclamatio, una cum anathemate supra dicto, *Synodico* inserta est. Ferunt etiam quidam historici Sisimium et Sergium encyclicam Photii contra Occidentales de novo edidisse; quod ex quorundam codicum inscriptionibus confirmatur. Cf. Hergenröther, *op. cit.*, t. III, p. 727.

1. Petri Antiocheni *epistola ad Michaelem Cærularium*, *P. G.*, t. CXX., col. 800. Ad firmandum testimonium Petri Antiocheni adduci non potest sequens epitaphium, quod quidam Joannis XVIII esse falso putarunt :

Doctrinis comptus sacris et dogmata clarus,
Per patrias sancta semina fudit ovans.
Nam Graios superans, eois partibus unam
Schismata pellendo reddidit Ecclesiam.

Certum est hoc epitaphium Joannem XVIII non spectare. Juxta De Rossi, *Inscriptiones christianæ urbis Romæ*, t. II, p. 215, Marinum papam I respiceret.

2. « Ἐπὶ Σεργίου τοῦ πατριάρχου τοῦ ἐπὶ τοῦ Βουλγαροκτόνου, σχίσμα διὰ (τὸ) τὸν τότε Πάπαν, Σέργιον κακεῖνον καλούμενον, ἐν τῇ συστατικῇ αὐτοῦ ἐπιστολῇ γράψαι τὴν προσθήκην τοῦ συμβόλου· ὃ καὶ διήρκεσεν ἕως τοῦ νῦν. » Sic in *cod. Monacensi 256*, fol. 444 a. In textu a Mai edito, *Nova Patrum bibliotheca*, t. VI, pars 2, p. 416 sq., et *P. G.*, t. CXX, col. 713 sq., habetur : Καὶ ἐπὶ Σεργίου, τοῦ ἐπὶ τοῦ Βουλγαροκτόνου πατριαρχεύσαντος, λέγεται πάλιν σχίσμα γενέσθαι, κατὰ δὲ ποίαν αἰτίαν ἀγνοῶ· δοκεῖ γὰρ διὰ τοὺς θρόνους. In *cod.* autem *Vatic. 1150*, fol. 109b, qui juxta quosdam, textum originalem refert, lectio est : Ἐπὶ Σεργίου πατριάρχου... σχίσμα· εἰ μὲν διὰ τὰ σφάλματα τὰ ῥωμαϊκὰ, πῶς ἀνεξέταστα ταῦτα παραδραμόντες οἱ πρώην ἡνῶνται; εἰ δὲ διὰ τὴν τῶν προνομίων καὶ τῶν ῥωμαικῶν δικαίων ὑφαρπαγὴν, πολυπραγμονείτω ὁ βουλόμενος. Lectioni codicis Monacensis favent et

Ex *Historiis* autem Rodulfi Glabri, monachi Cluniacensis [1], necnon ex *Chronico* Hugonis, abbatis Flaviniacensis [2], comperimus patriarcham Constantinopolitanum Eustathium (1020-1025) et Basilium II imperatorem (963-1025) ad Joannem papam XIX legatos cum muneribus misisse, qui ab eo postularent, ut titulum patriarchæ œcumenici ratum haberet, atque patriarchæ Constantinopolitano jurisdictionem in totum Orientem agnosceret. Qui circa papam erant suadebant ut petita Græcis clanculo annueret. Cum autem res per Italiam et Galliam ventilata esset, reclamationes ad Summum Pontificem undique pervenerunt, ita ut Græci nihil profecerint. Porro certum omnino videtur, ab hoc tempore, communionem interruptam fuisse nomenque papæ e diptychis Sanctæ Sophiæ expunctum fuisse; quod apparet tum ex pluribus locis epistolarum sancti Leonis papæ IX, tum ex aliis documentis [3]. Unum saltem extra omne dubium est, Michaelem Cærularium scilicet, sui patriarchatus initio, anno 1043, epistolam enthronisticam Romam de more non misisse, neque ante dimidium anni 1053 Leoni papæ scripsisse. Imo Michael Cærularius, Petro Antiocheno anno 1054 scribens, asserere non dubitavit romanum Pontificem, inde a concilio œcumenico sexto *sub papa Vigilio* (sic), ab Ecclesia byzantina abscissum fuisse, et exinde ejus nomen in

Euthymius Zigabenus, in compendio *Mystagogiæ* photianæ (cf. editionem ab Hergenröther factam, p. 117), et alii polemistæ sæculi XII.

1. Glaber, *Hist.* IV, 1. *P. L.*, t. CXLII, col. 670-672.

2. Hugo Flav., *Chronicon Virdunense. P. L.*, t. CLIV, col. 240. 241.

3. In *Epistola ad Michaelem Cærularium*, papa sequentia scribit : « Scripta tuæ honorandæ fraternitatis tandem ad nos pervenerunt... *quatenus post nimium longas ac perniciosas discordias, filia ex propriæ matris reconciliatione exsultet...* Plurimum tuæ fraternitati congratulamur in Domino, quoniam summum desiderium nostrum anticipasti. » *P. L.*, t. CXLIII, col. 773. Idem eadem repetit in *Epistola ad Constantinum Monomachum :* « Tu enim, *post nimium longas et perniciosas discordias, primus pacis et concordiæ monitor, portitor et exoptatus exactor efficeris.* » *Ibid.*, col. 777. Cf. J. Gay, *L'Italie méridionale et l'empire byzantin*, Paris, 1904, p. 427 et 491-500. Alia hujus separationis indicia in diversis scriptis occurrentia nuperrime collegit. A. Michel : *Bestand eine Trennung der griechischen und römischen Kirche vor Kerullarios?* in *Historisches Jahrbuch*, t. XLII (1922), p. 1-11. Ad separationem alludit ipse Petrus Antiochenus in *epistola ad Cærularium*, 21. Will, *Acta et scripta quæ de controversiis Ecclesiæ græcæ et latinæ sæculo XI composita exstant*, Lipsiæ, 1861.

diptycha Magnæ Ecclesiæ relatum amplius non fuisse [1]; quod Antiochenus in sua responsione probe refutavit [2].

## ARTICULUS II

### Michael Cærularius et cardinalis Humbertus.

#### I. — Michael Cærularius contra Latinos.

Ut ex supra dictis satis constat, Michael Cærularius communionem cum Ecclesia romana proprio marte non abrupit primus, ut vulgo asseritur; sed in hoc ejus culpa constitit, quod omni conatu adlaboravit, ut instaurationem unionis, jam a tempore Eustathii patriarchæ intermissæ, impediret. Cum enim comperisset Argyrum, ritu latinum et illius partis Italiæ meridionalis comitem quæ Byzantinis adhuc subjiciebatur, fœdus politicum cum Leone papa IX contra Nortmannos meditari, et ad suum propositum imperatorem Constantinum jam attraxisse, subito, sine ulla prævia probabili causa, Ecclesiam latinam ejusque fidem, ritus ac usus vehementer impetivit.

Primum quidem, eo instigante, circa mensem junium anni 1053, Leo, archiepiscopus Achridæ in Bulgaria, epistolam misit ad Joannem, episcopum latinum civitatis Tranensis in Apulia, et per eum, ut fert ipsa epistolæ inscriptio, *ad universos episcopos Francorum et monachos et populos et ad ipsum reverendissimum papam*, in qua ille carpit Latinos ob azymorum usum in conficienda Eucharistia, ob jejunium sabbati tempore Quadragesimæ, suffocatorum esum et omissionem cantici Alleluia per Quadragesimam [3]. Auctor verbis durioribus et arrogantibus admonet episcopos occidentales, ut perversis suis consuetudinibus sine mora valedicant [4].

Interim, monachus quidam Studita, nomine Nicetas Stethatus seu Pectoratus, ejusdem Cærularii jussu, libellum

1. *Epistola ad Petrum Antiochenum*, *P. G.*, t. CXX, col. 788.
2. *Epistola ad Michaelem Cærularium*, *ibid.*, col. 798-800.
3. *P. G.*, t. CXX, col. 835-844.
4. *Hi qui sabbata cum azymis servant, et se esse christianos dicunt, neque Judæi, neque Christiani sunt, sed similes sunt leopardo, sicut dicit magnus Basilius, cujus capilli nec nigri sunt, nec omnino albi... Cur tantum errorem circa talia non aspicitis nec intelligitis, neque corrigitis populos et vosmetipsos; de quibus a Deo judicandi estis?* Col. 838, 842.

contra Latinos per totum Orientem vulgabat, in quo non solum azymorum usum et sabbati jejunium, verum etiam cælibatum clericorum et omissionem ritus præsanctificatorum in Quadragesima Latinis exprobrabat. En exempla amœnitatum Pectorati :

« Qui azymorum adhuc participant, sub umbra legis sunt, et Hebræorum mensam comedunt, non autem rationalem et vivam Dei mensam... Animadvertite et attendite quia in azymis nulla est vivens virtus; mortua enim sunt... *Unde vobis et ex quibus hæ horribiles infirmitates supervenerunt, o viri Romanorum sapientissimi et omnium aliorum gentium nobilissimi? Aestimo quod quidam ex Judæis in tempore apostolorum credentes, vana lucra cupientes et pecuniarum amatores reperti, volentes multos fidelium abstrahere ab Evangelio,* etc. [1]. »

Demum, ipse Michael Cærularius propria auctoritate Latinorum ecclesias, quæ Constantinopoli erant, clausit, monachisque latinis denuntiavit, ut secundum instituta Græcorum viverent; quod cum facere renuissent, illos appellavit *azymitas* [2]. Imo, ejus sacellarius Nicephorus hostias consecratas Latinorum pedibus conculvavit, quasi merum azymum judaicum essent.

Usus azymorum, jejunium sabbati, esus suffocatorum, omissio cantici Alleluia et ritus præsanctificatorum, cælibatus clericorum : en prima crimina quæ Cærularius Latinis exprobravit. Multa vero alia quum in suo *edicto synodali* contra legatos romanos, tum in sua *prima epistola ad Petrum Antiochenum* recensuit. *In Edicto synodali*, mentionem facit rasuræ barbæ, additionis *Filioque* ad symbolum, doctrinæ de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio. *In Epistola* vero *ad patriarcham Antiochenum*, alias criminationes omnino futiles profert :

« Monachi latini, inquit[3], carne, adipe et corio suillo vescun-

1. *P. L.*, t. CXLIII, col. 973, 975, 982.
2. *Ibid.*, 764, 1004.
3. Super quo Petrus Antiochenus lepide illi respondet : « Quam suave obsonium est, honoratissime domine, rostrum porci, auresque et extrema pedum, itemque lens et faba cum adipe suillo coctæ; quæ in cibum semper assumerem, si oleo etiam optimo inspersa non essent, et laboriosæ digestionis continuis telis non essem confixus. » *P. G.*, t. CXX, col. 804

tur [1]; lacticiniis utuntur in prima Quadragesimæ hebdomada, carne, feria quarta, caseo et ovis, feria sexta; quolibet sabbato jejunant. Apud ipsos, duo fratres duas sorores ducunt. In missa, tempore communionis, ministrantium unus azyma comedit, et alios osculatur. In missa dicunt : *Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloriam Dei Patris per Spiritum Sanctum.* Episcopi annulos in manibus ferunt, quasi uxorum loco Ecclesias duxerint. Iidem ad bellum progrediuntur, et sanguine manus inquinant. In baptismo divino celebrando, ut nonnulli nobis affirmarunt, unam tantum immersionem peragunt, et baptizatorum ora sale implent. Sanctorum reliquias venerari nolunt, neque sacris imaginibus cultum impendunt. Sanctos et magnos Patres nostros doctoresque, Gregorium inquam Theologum, magnum Basilium, divinumque Chrysostomum aliis sanctis non adnumerant. Et alia quædam agunt, quæ laboriosum esset particulatim recensere [1]. »

Mirum est in hoc longo discrepantiarum catalogo non occurrere primatum romani Pontificis. Michael Cærularius et ejus asseclæ de hac quæstione altum silentium servant. Non verbis sed factis Cærularius primatum romanæ Sedis ejusque infallibile magisterium impugnavit. Siquidem seipsum considerabat a papa omnino independentem, et ut hanc independentiam tueretur, immixtionique romani Pontificis in Ecclesiam Constantinopolitanam viam occluderet, hos rabidos impetus in usus fidemque Occidentalium sponte excitavit. Pacem tamen cum Leone IX forsan consensisset, si papa illum expressis verbis tanquam primatem independentem patriarchamque œcumenicum totius christianitatis Orientis agnovisset. Hoc colligere licet ex epistola, quam, suadente vel potius jubente imperatore, ad Summum Pontificem scripsit, paulo postquam Latinis per Leonem Achridanum bellum indixerat.

In hac epistola, cujus summa ex responsione papæ tantum dignoscitur, schismatis fautor de azymis aliisque

1. *Epist. ad Petrum*, col. 792, 793, Hæc *alia*, ad quæ alludit Cærularius, invenimus sigillatim notata in *Tractatu contra Francos*, ab Hergenröther edito : *Monumenta ad Photium pertinentia*, p. 62-71, ubi enumerantur triginta quatuor discrepantiæ. Cf. p. 367.

discrepantiis prorsus tacebat [1]. Romanum Pontificem ad bonum concordiæ et unitatis amplectandum hortabatur, illique dicebat : *Si una Ecclesia romana per te habet nomen nostrum, omnes Ecclesiæ per totum orbem terrarum dispersæ per me habebunt nomen tuum* [2]. » Quibus perspicue innuebat se ad unionem esse paratum, si papa illum suum æqualem habere vellet.

Cæterum ejus reluctantiam adversus auctoritatem romani Pontificis in epistola prima, quam Petro Antiocheno scripsit, invenimus expressam his verbis :

« Quod omnium gravissimum est ac prorsus intolerabile, eorumque amentiam maxime declarat, istud est : dicunt nempe [legati] se huc non accessisse, ut docerentur, aut disceptarent, sed potius ut docerent ac persuaderent nos tenere sua dogmata ; idque aiunt cum imperio et impudentia immodica [3]. »

Notandum est tamen Cærularium nunquam papam directe ac manifeste impetivisse vel condemnasse, sed hoc fecisse solum indirecte ac velate. Sic, quando bellum in usus latinos inire voluit, per alium hoc paravit. Legatos a sancto Leone Constantinopolim missos ut veros papæ legatos habere noluit, sed finxit illos non a papa, sed ab Argyro missos fuisse [4];

1. Hoc scimus ex *Responsione Petri Antiocheni ad Michaelem*, qui ad eum miserat epistolam *humilitate plenam* (sic) papæ a se scriptam. Petrus respondet. « Legi exempla litterarum, quas misisti ad beatissimum papam, necnon ipsius rescriptum, beatumque te in Deo prædicavi ob tantam humilitatem ac mansuetudinem. Verum inseri debuerant dissidii causæ, quandoquidem de concordia et unitate scribebatur: πλὴν ἐντετάχθαι τούτοις ἔδει καὶ τὰ τῆς διαστάσεως αἴτια.» *P. G.*, t. CXX, col. 813.

2. *Leonis IX epist. ad Michaelem. P. L.*, t. CXLIII, col. 776. Papa Michaelis superbiam his verbis retundit : « Quid hoc monstri est, frater charissime? Romana Ecclesia, caput et mater Ecclesiarum, membra et filias non habet? Et quomodo potest dici caput aut mater? Credimus enim, propter quod est loquimur, atque constanter profitemur : Romana Ecclesia adeo non est sola, vel, sicut tu putas, una, ut in toto orbe terrarum quæcumque natio dissentit superbe ab ea, non sit jam dicenda vel habenda Ecclesia aliqua, sed omnino nulla; quin potius conciliabulum hæreticorum aut conventiculum schismaticorum et synagoga Satanæ. » *Ibid.*

3. *P. G., t. cit.*, col. 796.

4. Cf. *Ibid.*, col. 784, 785, et *Edictum synodale, ibid.*, col. 741 : αὐτοὶ ἀφ' ἑαυτῶν ἀφικόμενοι καὶ μήτε παρὰ τοῦ Ἁπα ἀποσταλέντες, ἀλλὰ καὶ

item, litteras Leonis ad se missas spurias declaravit, atque ab eodem Argyro falsatas. Ipsum *Edictum synodale* non dirigitur contra papam, sed contra legatos — quos suppositos et ab Argyro subornatos existimare pergit — et contra illos omnes, qui illis adjutores quocumque modo fuerunt in ferenda formula excommunicationis supra altare Sanctæ Sophiæ, die 16 julii, anno 1054, deposita. Quare hanc cautam agendi rationem erga romanum Pontificem tenuit Cærularius? Quia, ut nobis videtur, sciebat alios tres patriarchas orientales romanæ Sedis communionem retinere, nolebatque eos offendere, in primam Sedem apertius rebellando; sed ad suum schisma amplectendum illos gradatim adducere meditabatur [1].

### II. — Legatorum Romanorum cum Michaele agendi modus.

Cum a Leone Achridano litteras, de quibus supra, accepisset Joannes, Tranensis episcopus, illas ad romanum Pontificem transmittere non distulit. Leo IX, tunc temporis, contra Nortmannos decertabat, et forsan jam ab illis victus

τὰ γράμματα, ἃ ὡς ἀπ'ἐκείνου δῆθεν ἐπεφέροντο πλασάμενοι. Τοῦτο γὰρ ἀπό τε ἄλλων διεγνώσθη πολλῶν καὶ ἀπὸ τοῦ τὰς τῶν γραμμάτων σφραγῖδας νενοθευμένας φανερῶς φωραθῆναι.

1. A. Michel in codice Vindobonensi theol. græco *247* nuper detegit collectanea locorum patristicorum a Michaele Cærulario ejusque theologis paratam, ad refellenda argumenta studiosorum unionis. Ad quæstionem de nomine papæ in diptycha referendo sic respondet : « Ἀκουέτωσαν καὶ οἱ λέγοντες ἡμῖν· τί κωλύει ἡμᾶς μένοντας εἰς τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα καὶ εἰς τὰ ἕτερα ἀρχαῖα ἔθη ἡμῶν, ἀνακηρύττειν τὸν πάπαν; Καθάπερ μένοντος καὶ αὐτοῦ ἐν τοῖς αἱρετικοῖς ἔθεσι καὶ μνημονεύειν αὐτὸν ἐν τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις, ἔχειν δὲ αὐτὸν καὶ ἔγκλητον, τὰ μὲν οὖν πρὸς αὐτοὺς, ὅτι τοῦτο ὑποτίθεσθαι ἢ ὅλως ποιῆσαί με ἀδύνατον, ἀψευδῆ τὴν παραδεδομένην ἡμῖν τήρησιν καὶ ἀσφάλειαν διαφυλάττων τῆς εὐσεβείας : « Audiant et qui nobis dicunt : Quid prohibet nos, in dogmatibus pietatis et in cæteris antiquis nostris consuetudinibus perseverantes, papam alta voce nominare? Hæc nos ad eos : Papam in sacris diptychis memorare et illum simul, dum in hæreticis consuetudinibus perstat, reum habere, hoc animo fingere vel efficere prorsus nequeo, utpote qui munus accepi fideliter custodiendi et tutam servandi pietatem. » A. Michel, *Der Autor des Briefes Leos von Akrida. Eine Vâtersammlung des Michael Kerullarios*, in *Byzantinisch-neugriechische Iahrbücher*, 1922, p. 49-66. Nota Cærularium primatum romani Pontificis non directe negare, sed papam hæreseos arguere, hocque velamento suum schisma tegere.

et captus fuerat in pugna Civitellæ habita, die 17 Junii 1053 [1]. Mox litteras tum imperatoris Constantini, tum ipsius Michaelis Cærularii recepit, in quibus sermo tantum erat de concordia Ecclesiarum necnon de fœdere politico contra Nortmannos pascicendo. In suis responsis, sanctus Leo alludit ad criminationes contra Latinos eorumque azyma a Leone Achridano et a Michaele prolatas. Sat acriter reprehendit Michaelem Cærularium ob suam audaciam et superbiam, dum pietatem et zelum imperatoris pro bono religionis et pacis miris effert laudibus, illumque ad imitandum Magnum Constantinum exhortatur [2]. Has litteras una cum tertia epistola longiori ad Michaelem Cærularium *adversus ejus et Leonis Achridani episcopi inauditas præsumptiones et nimias vanitates* [3], Papa tribus legatis commisit, scilicet cardinali Humberto, Sylvæ Candidæ episcopo, Petro, Amalfitanorum archiepiscopo, et diacono Frederico, Ecclesiæ romanæ cancellario. Hi, Constantinopolim profecti, ab imperatore, ad quem directe legabantur (non vero ad patriarcham) magno honore excepti sunt. Cærularius vero illos tanquam romani Pontificis legitimos legatos agnoscere noluit, et eorum monitis obtemperare omnino recusavit. Interim, Humbertus libellum Nicetæ Pectorati contra Latinos acriori stylo confutavit, suumque adversarium tam injuriis quam argumentis obruit. Etenim jam in procœmio his verbis illum aggreditur :

« Væ tibi, Sarabaïta, qui nulla cœnobitali examinatus disciplina, voluntate ac voluptate ductus propria, contra sanctam et romanam et apostolicam Ecclesiam, et omnium sanctorum Patrum concilia horribiliter latrasti; stultior asino, frontem leonis et murum adamantinum frangere tentasti! In quo utique conatu, non es victor erroris, sed victus errore; nec presbyter, sed inveteratus dierum malorum, et puer centum annorum maledictus ; potius dicendus Epicurus quam monachus. Nec credendus es degere in monasterio Studii, sed in amphitheatro aut lupanari. Qui etiam vere prænominaris *Pectoratus*, quoniam cum serpente antiquo super pectus tuum

1. Leo Nortmannorum captivus Beneventi remansit a die 23 juni 1053 usque ad initium anni 1054. Obiit, die 19 Aprilis ejusdem anni.

2. Utraque epistola ad Michaelem et ad imperatorem, in *P. L.*, t. CXLIII, col. 773-781.

3. *Ibid.*, col. 744-769.

graderis. Quod, sicut quidam Patrum dixit : *Quicumque vult, intrat, et solvit asinum* [1]. »

Tam vehementibus increpationibus Nicetas mox cessit, legatisque romanis coram imperatore et proceribus ejus in monasterio Studii laudabiliter se submisit [2]. « Insuper anathematizavit cunctos, qui ipsam sanctam romanam Ecclesiam negarent primam omnium Ecclesiarum esse, et qui illius fidem semper orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere », ut narrat ipse Humbertus [3]. Hæc fuit legatorum unica victoria, quam Constantinopoli reportarunt. Cum enim per mensem integrum Michaelis Cærularii contumaciam frangere in vanum conati essent, de illo ejusque asseclis anathemate plectendis cogitarunt [4]. Itaque, die 16 julii, anno 1054, hora tertia, excommunicationis chartam in Michaelem, Leonem Achridanum, sacellarium Constantinum (seu Nicephorum) eorumque sequaces, supra principale altare Magnæ Ecclesiæ posuerunt, *sub oculis præsentis cleri et populi. Inde*

1. *Responsio in libellum Pectorati*, *P. L.*, t. CXLIII, col. 983.
2. Utrum ex corde, an coacte, lector conjiciat.
3. Brevis et succincta commemoratio, *P. L.*, *ibid.*, col. 1001.
4. Ut ex iis, quæ nuperrime edidit A. Michel, apparet, cardinali, Humbertus, antequam ad excommunicationis sententiam devenirets alias controversias cum Græcis unioni adversantibus habuit, et ante diem 24 junii Constantinopoli conscripsit libellum de processione Spiritus Sancti, ad imperatorem. Constantinum Monomachum directum. Hunc libellum hactenus prorsus, ignotum, cui titulus : *Rationes de Sancti Spiritus processione a Patre et Filio scriptæ per manus Humberti... et Petri Amalfitanorum archiepiscopi, et Frederici diaconi cancellarii, contra Michaelem Constantinopolitanum patriarcham errantem de Spiritu Sancto, tempore papæ Leonis et Constantini Monomachi, an. D. 1054, e cod. lat. Bruxellensi 1360*, sæculi XII, publici juris fecit A. Michel, *Humbert und Kerullarios*, 1ª pars, Paderborn, 1925, p. 97-111. Opusculum in duas partes dividitur : 1º Testimonia græcorum Patrum de processione Spiritus Sancti ab utroque; 2º Testimonia Latinorum de eodem argumento. Initio, auctor quosdam textus S. Scripturæ laudat. In argumentis seligendis et evolvendis, præstat quidem suis antecessoribus latinis qui contra Photium decertarunt. Ejus tamen dissertatio quibusdum erroribus historicis fœdatur; v. g., confundit Cyrillum Alexandrinum cum Cyrillo Hierosolymitano; Græci incusantur quod processionem a Filio e symbolo fidei absciderint. Cæterum theoriam Græcorum de processione temporali Spiritus Sancti a Filio ad sanctificandam creaturam verbis sancti Augustini optime refellit. Omnino verisimile est Cærularium sua collectanea patristica, de quibus mox diximus, confecisse, ut libello Humberti responderet.

*mox egressi, etiam pulverem pedum, suorum excussere in testimonium illis* [1]. »

De hac sententia excommunicationis notandum est : 1° Illam respicere solummodo Michaelem et eos omnes qui illis consentiunt, et romanæ Ecclesiæ fidem ususque reprehendunt, non vero imperatorem, clerum, senatum populumque Constantinopolitanæ urbis, quæ declaratur a legatis *christianissima et orthodoxa civitas;*

2° Quædam in ea inveniri, quæ non plene veritati consonant. Cardinalis enim Humbertus, etiam hic, modum aliquantum excedit, dum Cærulario non paucas exprobrat hæreses, quas ille nunquam propugnavit [2]; et certe errat, quando contendit Græcos, *abscidisse a symbolo Spiritus Sancti processionem a Filio ;*

3° Illam non fuisse conscriptam, neque, ut videtur, approbatam a romano Pontifice; non a sancto Leone IX, qui jam

1. *Brevis commemoratio, loc. cit.*

2. « Sicut simoniaci, donum Dei vendunt; sicut valesii, hospites suos castrant, et non solum ad clericatum, sed insuper ad episcopatum promovent; sicut ariani, rebaptisant in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos, et maxime Latinos; *sicut donatistæ, affirmant, excepta Græcorum Ecclesia, Ecclesiam Christi et verum sacrificium atque baptismum ex toto mundo periisse*; sicut nicolaitæ, carnales nuptias concedunt et defendunt sacri altaris ministris; sicut pneumatomachi vel theomachi, absciderunt a symbolo Spiritus Sancti processionem; sicut manichæi, inter alia, quodlibet fermentum fatentur animatum esse; sicut nazareni, carnalem munditiam Judæorum adeo servant, ut parvulos morientes ante octavum a nativitate diem baptizari contradicant, et mulieres in menstruo vel in partu periclitantes communicari, vel si paganæ fuerint, baptizari prohibeant, et capillos capitis ac barbæ nutrientes, eos qui comam tondent et secundum institutionem romanæ Ecclesiæ barbas radunt, in communione non recipiant... Michael, abusivus patriarcha neophytus, et solo humano timore habitum monachorum adeptus, nunc etiam criminibus pessimis diffamatus, atque cum eo Leo Achridanus episcopus dictus, et sacellarius ipsius Michaelis, Constantinus, qui Latinorum sacrificium profanis conculcavit pedibus, et omnes sequaces eorum in præfatis erroribus et præsumptionibus, sint anathema, Maranatha, cum simoniacis, valesiis, arianis, donatistis, nicolaitis, severianis, pneumatomachis et manichæis et nazarenis, et cum omnibus hæreticis, imo cum diabolo et angelis ejus, nisi forte resipuerint. Amen, amen, amen. » *P. L.*, t. CXLIII, col. 1003-1004. Hæc sententia, circumstantiis attentis, parum consulta apparet, machinationibusque schismaticis Cærularii mirum in modum favit.

obierat, die 19 Aprilis 1054; neque ab ejus successore Victore II, qui fuit electus mense aprili anni 1055; neque ab aliis Pontificibus sæculi XI. Saltem historia de hac re silet. Et certe omnino mirum est ac notabile, quod Sedes romana vacavit per totum tempus, quo legati romani Constantinopoli morati sunt, in causa Cærularii occupati.

### III. — Cærularii edictum synodale. Ejus schismatici conatus tristisque exitus.

Manifestam victoriam de legatis Cærularius mox retulit. Vix enim ab urbe regia illi discesserant, cum, instigante patriarcha, maxima populi seditio contra imperatorem facta est, ita ut Constantinus, ad servandum diadema, partes Cærularii adversariorumque unionis amplecti coactus fuerit, atque ad superbum patriarcham scribere debuerit epistolam, qua Michaeli juberet publice comburere sententiam excommunicationis a legatis supra altare Sanctæ Sophiæ positam, illique nuntiaret se punivisse Argyri asseclas, ac imperasse ut gener et filius ejus in carcerem conjicerentur [1]. Hoc pergrato nuntio accepto, Michael Cærularius, die 20 Julii, in tribunali patriarchatus (ὁ μέγας Σεκρέτος), metropolitarum ac episcoporum synodum coegit, in qua, coram missis imperatoris, anathemate subegit sententiam excommunicationis Romanorum, illius auctores, et eos qui ad illam ferendam auxilium quocumque modo præstitissent. Vicesima vero quarta die ejusdem mensis, anathema coram populo renovatum est.

In principio edicti synodalis, Cærularius longum locum Encyclicæ Photii ad archiepiscopales thronos Orientis ad verbum transcribit, in quo schismatis pater loquitur de hominibus e *tenebris, id est ex Occidente ortis, qui tanquam aper irruerunt in civitatem pietatis cultricem, ex qua, tanquam ex alta et eminente specula, orthodoxiæ fontes erumpunt, et fluviorum instar, animas, quæ sub sole sunt omnes, piis dogmatibus irrigant.* Postea, mentio fit de *impiis legatorum romanorum dogmatibus*, (τὰ δυσσεβήματα), scilicet *de rasura barbæ, de clericorum cælibatu, de additamento ad symbolum necnon de ipsa doctrina processionis Spiritus Sancti a Patre*

1. Vide hanc epistolam *Edicto synodali* insertam, in *P. G.*, t. CXX, p. 745

*et Filio*. Sequitur brevis refutatio harum quatuor impietatum latinarum. Rasura barbæ convellitur verbis Scripturæ : *Non radetis barbam* (Lev., XIX, 27). Contra cælibatum clericorum adducuntur canon 5 concilii Gangrensis et canon 13 synodi Trullanæ. Doctrina de processione Spiritus Sancti a Filio confutatur dominico eloquio : *Spiritus veritatis, qui a Patre procedit*, necnon duobus vel tribus axiomatibus photianis. His dictis, sermo est de agendi modo legatorum romanorum, quos Cærularius Argyri, non autem papæ, legatos habet, declaratque illos attulisse litteras falsatas cum sigillis adulteratis. Subjungitur textus versionis græcæ sententiæ excommunicationis a cardinale Humberto conscriptæ; alluditur ad profectum legatorum e Constantinopoli, et datur tenor epistolæ imperatoris contra eos qui legatis faverunt et contra ipsam sententiam excommunicationis. Tandem anathematizantur legati eorumque cooperatores [1].

Ita consummatum est schisma inter Veterem et Novam Romam. Coævi quidem, quum Orientales tum Occidentales, momentum eorum, quæ Constantinopoli, mense Julio anni 1054, gesta fuerunt, non adverterunt; sed historia constat, post hanc mutuam excommunicationem, tentamina unionis, quæ postea ex alterutra parte facta sunt, nihil profecisse.

Michaeli Cærulario non satis fuit renovationem unionis cum romano Pontifice impedivisse; omnimodo insuper conatus est a communione Ecclesiæ romanæ distrahere alios patriarchas Orientis, qui unitati catholicæ adhuc adhærebant [2]. De his quæ acciderant Constantinopoli post adventum legatorum romanorum, ad Petrum Antiochenum bis scripsit, ut illum a communione romana amoveret. Ejus autem narratio dolosis scatet erroribus ac insinuationibus, v. g., postquam has futiles discrepantias in ritibus vel usibus, de quibus supra, recensuit, Petrum his verbis alloquitur :

« Ita ergo viventes, ejusmodi inutriti moribus, manifesto illicita, vetita, aversanda audentes, num recte sentientibus in orthodoxorum cœtu collocandi esse prorsus videbuntur? Non ego sane arbitror. Qui vero forsan eos qui ita agunt recte

1. *P. G.*, t. CXX, col. 735-748.

2. Vel *recenter adhæserant*. Ex epistolis enim Petri Antiocheni probabiliter colligitur ipsius Petri antecessores cum romana Ecclesia jamdiu non communicasse.

sentire affirmant, sortem in parte illorum accipiant [1]. » Scripsit etiam ad patriarcham Alexandrinum et ad Hierosolymitanum, suasque ad illos litteras Petro transmittendas commisit. Præterea, dubium non est quin exemplar miserit sui edicti synodalis ad Kiovienses et Russos, qui Magnæ Ecclesiæ jurisdictioni tunc subjacebant; criminationes enim Cærularianas contra Latinos Russi jam in secundo dimidio sæculi undecimi plane noverant, ut constat ex responsione metropolitæ Kioviensis, Joannis II (1080-1089), natione græci, ad litteras antipapæ Clementis III, qui illum ad unionem hortatus fuerat : Joannes quasdam e photianis et cærularianis objectationibus enumerat, azymorum usum potissimum carpens [2].

Ad patriarchas autem orientales quod attinet, hi communionem cum Ecclesia romana statim abrupisse non videntur. Post primum vero bellum Crucigerorum; quando nempe jurisdictio latina cum propriis præsulibus in patriarchalibus thronis Orientis constituta est, etiam has sedes schisma pervasit [3].

1. *Epist. I ad Petrum, loc. cit.*, col. 793. Cf. etiam secundam Cærularii epistolam ad eumdem. *Ibid.*, col. 816-820.

2. De Joanne II metropolita Russiæ quædam dicimus infra, p. 552. Ipsa *epistola I Cærularii ad Petrum Antiochenum* in slavicum idioma translata est, ab ipsis incunabulis russicæ litteraturæ. Eadem epistola, una cum *Tractatu contra Francos* slavice verso, *Corpori juris canonici* Russorum seu *Kormtchajae Knighae*, Novogrodii, anno 1280, exarato inserta fuit. Hunc textum slavicum vulgavit A Popov in suo *Conspectu histo rico et litterario veterum operum polemicorum adversus Latinos sæcul.* XI-XV *a Russis conscriptorum*, Mosquæ, 1875, p. 58-69. Adjectus est etiam idem textus editionibus *Kormtchaiæ Knighæ* inde a tempore Niconis (1650, 1653) publicatis. Cf. A. Palmieri, *Theologia orthodoxa*, t. II, p. 26, nota 1.

3. Cf. Altimura, *op. cit.*, p. 285, 286. Successor tamen Petri III Antiocheni, Theodosius III Chrysoverghis, qui circa annum 1057 ad sedem Antiochenam electus est, partibus Michaelis Cærularii adhæsit; unde valde probabile est, ab hoc tempore, communionem inter Antiochiam et Romam more solito, id est per missionem litterarum enthronisticarum, non fuisse amplius publice manifestatam. Non multo post Antiochiam a Crucigeris captam, circa annum 1100, Joannes IV Oxita, qui sedem patriarchalem tunc tenebat, Constantinopolim aufugit, ubi in controversiis sæculi XII ineuntis adversus Latinos suas partes habuit, *tractatumque contra usum panis azymi*, a B. Leib, nuperrime in *Orientalibus christianis*, t. II, 3, Romæ, 1924, editum, composuit. Cf. C. Charon, art. *Antioche, Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastique*, t. II, col. 606-611, et infra, p. 408.

Cærularius vero, sicut et ipsi Photio acciderat, in exsilio vitam miserabiliter finivit. Cum enim in Isaacum Comnenum dominari vellet, et illi minas apertas intimasset, imperator illum apprehendi jussit et in exsilium mitti. Jam ejus causam ordinabant episcopi, sententiam canonicam depositionis in eum laturi — se abdicare enim renuerat — cum repentina morte eum Madystæ obiise compertum est, anno 1059. Ut olim Photius, sic et ille Cæsaris potestate oppressus e vita cessit. Utrique sane nihil profuit successoris Petri jugum paternum detrectasse [1].

## ARTICULUS III

### De primatu Petri apostoli et romani Pontificis apud Byzantinos sæcul. X-XI.

Dum facta historica ad schisma Michaelis Cærularii pertinentia in præcedenti articulo breviter retulimus, criminationes, quas ille, sive per se sive per suos, contra Latinos protulit, etiam recensuimus. Restat nunc de hujusmodi criminationibus, saltem de præcipuis, quædam addere, ut verus Byzantinorum animus erga Ecclesiam occidentalem luculentius pateat, hocque pacto appareat, cur separatio a romana Sede tam libenter ac sine ulla cleri populive reclamatione apud eos recepta fuerit. Et primo quidem dicendum est de primatu Petri Apostoli et romani Pontificis apud Byzantinos, a Photii morte usque ad Michaelem Cærularium, necnon apud theologos sæculi XI ad finem vergentis.

Notum est per totam periodum, quæ a restitutione unionis, post schisma photianum, usque ad Michaelem Cærularium currit, romanam Ecclesiam asperos perpessam esse casus,

1. De Michaelis vita et gestis egerunt : 1° Skabalanovic, *Imperium byzantinum et Ecclesia, sæculo* XI, Petropoli, 1884, russice; cf. etiam ejusdem dissertationem in *Lectione christiana*, 1884, t. II, p. 626-656; 1885, t. I, p. 95-143; 2° L. Bréhier, *Le schisme oriental du XI^e siècle*, Parisiis, 1899; 3° Suvorov, *Papa byzantinus : de historia relationum inter Ecclesiam et Statum, Byzantii*, Mosquæ, 1902, russice : opus erudite conscriptum et a partium studio fere immune. Alias indicationes bibliographicas invenies apud Palmieri, *Theologia orthodoxa*, t. II, p. 24, 25.

qui certe ad parandam definitivam separationem non parum contulerunt. Inde enim rarius inter utramque Ecclesiam commercium; inde in Byzantinorum animis Barbarorum occidentalium major contemptus, gentilisque superbiæ incrementum; inde demum ecclesiasticæ unitatis sensus, qui jam tenuior erat, progrediens imminutio, donec penitus evanuerit. Primatus romani Pontificis, qui toties in prioribus sæculis apud Orientales sua jura exseruerat, in periodo de qua agimus, nullum fere exercitium habuit, sed obsolevit, oblivionique est traditus, ita ut Byzantini eo sensim devenerint, ut Petri successorem nonnisi tanquam unum e patriarchis habuerint. Doctrina schismatica de pentarchia, cujus prima delineamenta jam sæculo IX deprehendimus, sæculo XI mediante, ad perfectam evolutionem pervenit, illamque dilucide expressam invenimus in epistola Petri Antiocheni ad Dominicum, Gradensem patriarcham.

Cum enim Dominicus, in suis ad Petrum litteris, titulum patriarchæ Aquileiæ (seu Venetiarum) sibi sumpsisset, Antiochenus illi respondit fieri non posse, ut in Ecclesia Dei sextus patriarcha exsurgeret, præter quinque alios divinitus constitutos, qui in Christi corpore vicem gerant quinque sensuum : *Quomodo*, inquit, *sextum poterimus introducere patriarcham, non exstante, juxta quod dictum est, sexto sensu in corpore* [1] ? Quod gravius est, Petrus horum quinque patriarcharum perfectam æqualitatem docet. Scribit enim :

« Desinite [o Romani], per Deum, oro, adversus adeo manifestam veritatem repugnare [agitur de usu panis fermentati], quodque nos, Ecclesiæ alumni, faciendum accepimus, hoc vos etiam facite, *quatuor sacros patriarchas secuti, quoniam suffragium plurium prævalet*, ὅτι τῶν πλειόνων ἡ ψῆφος κρατεῖ; *unus vero nullus*, εἷς δὲ οὐδείς; boni autem duo super unum. At ubi quatuor una voce ac sententia idem sectantur, quis ambigit quin Deus inter ipsos adsit, quemadmodum ait Christus : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* [2]. »

Eumdem de Ecclesia universali conceptum apud alios

1. *P. G.*, t. CXX, col. 760.

2. *Ibid.*, col. 776. De doctrina pentarchiæ apud Byzantinos, in secundo volumine nostri operis fusius loquemur.

Cærularii coætaneos invenire est, v. g., apud Michaelem Psellum, qui in quadam ad Cærularium epistola, de patriarchis loquens, ait : *Unus ex ipsis Orientem regit, alius Alexandriam, alius Palæstinam; alius vero Seniorem Romam sortitus est* [1].

Per totum id tempus, ad Sedem romanam rarissime fit recursus. Schismate photiano vix exstincto, Leo Sapiens imperator pro obtinenda dispensatione de quartis nuptiis, papam adiit, reluctante patriarcha Constantinopolitano Nicolao Mystico, qui se abdicare coactus est. Leone autem mortuo, Nicolaus, pulso Euthymio, rursus sedem patriarchalem obtinuit, et omnes quartarum nuptiarum defensores excommunicavit, inter quos erat romanus Pontifex, cujus nomen e diptychis Magnæ Ecclesiæ expunctum est [2]. Schisma usque ad annum 923 perduravit. Nicolaus plures ad papam scripsit epistolas arrogantia plenas; non tamen expressis verbis primatum romanum negavit; imo illum verbotenus agnovit, dum scripsit Romanos, *detinere privilegium ecclesiasticæ excellentiæ*, ἀντεχομένους προνομίου ἐκκλησιαστικῆς ὑπεροχῆς [3]; et alibi dicit Romanum episcopum habere sedem principum Apostolorum Petri et Pauli [4].

Circa finem sæculi x, ut in primo hujus capitis articulo diximus, concilium œcumenicum octavum a patriarchis Nicolao II, Sisinnio II et Sergio II virtualiter saltem abro-

1. Sathas, Μεσαιωνικὴ βιβλιοθήκη, t. II, p. 509.

2. Notandum est primum quidem Nicolaum dispensationem pro quarto matrimonio ineundo Leoni libenter concedere voluisse, et contendisse se propria auctoritate hoc posse, absque interventu romani Pontificis aliorumque patriarcharum : « Quod fecit, aiebat, Athanasius pro tertiis nuptiis, quomodo ego pro quartis non possim ? Ad hoc adventum Romanorum exspectare necesse non est. » Ubi vero audivit Leonem velle eum e sede expellere, ob ejus in rebellione Andronici Ducæ participationem, sententiam omnino mutavit, illicitatemque quartarum nuptiarum mordicus propugnavit. Cf. De Boor, *Vita Euthymii*, cap. XI, 18; XII, 28.

3. *Epistola ad papam de quartis nuptiis*, *P. G.*, t. CXI, 204 B.

4. « Ubi papæ auctoritas spernitur, metuendum est ne summi Apostoli, papæ nomine sese offensos arbitrantes, iniquis te oculis aspiciant....; quos si reapse veneraris, eum utique veneraberis, qui istorum sedem occupat. » *Epistola XXVIII ad Symeonem Bulgarum*, *P. G.*, *ibid.*, col. 177. Hæc Nicolaus scribit ad Symeonem Bulgarum, ut illum deterreat a perpetrandis facinoribus et sævitiis in captivos byzantinos.

gatum est, dum anathematizarunt omnia quæ contra Photium dicta vel scripta fuerant. Tandem, patriarcha Eustathius (1020-1025), postquam jurisdictionem in totum Orientem una cum titulo patriarchæ œcumenici a Joanne papa XIX nequicquam postulavit, omnem, ut videtur, communionem cum Ecclesia romana abrupit, ita ut, sicut diximus, Cærularius, initio sui patriarchatus, Ecclesiam byzantinam in statu schismatis invenerit.

Michael autem, quamvis, in edicto synodali, necnon in epistola Leonis Achridani de privilegiis romanæ Sedis tacuerit, nihilque contra ea directe protulerit, imo Leonis IX legatos tanquam Argyri, non vero tanquam ipsius papæ missos, de industria usque in finem habuerit, infensum tamen erga romanum Pontificem nutrit animum. Quando enim ad Orientales scribit, suam schismaticam aperit mentem; v. g., Petro Antiocheno, ut illum a communione papæ retrahat, hæc scribit :

« Rumor autem quidam nostris auribus insonuit, quod memoratum papam etiam perfectio tua in sacra diptycha referat, itemque Alexandrinus et Hierosolymitanus antistites. Sed non puto tanta ignorantia teneri, maxime præ aliis tuam incomparabilem virtutem. Nosti enim a tempore sanctæ et œcumenicæ sextæ synodi, ac deinceps, relationem papæ in sacris diptychis apud nostras videlicet Ecclesias excisam fuisse, propterea quod *Vigilius* (sic) tunc Romæ papa, ad eam synodum venire noluerit, nec anathema dicere tum Theodoriti adversus rectam fidem duodecimque sancti Cyrilli capita scriptis, tum epistolæ Ibæ; atque ex eo tempore usque ad præsens, abscissum esse papam a nostra sanctissima et catholica Ecclesia. Quam ob causam, incredibilis nobis penitus visa est illa fama; non adeo circa illos præsules, quam circa multiplicem doctrinam tuam singularemque prudentiam [1]. »

In eadem epistola, suum erga Latinos odium his prodit verbis :

« Sicut apparet ex litteris eorum atque actionibus, penitus mendaces sunt et vafri. Verum recte cognoscas, quod non uno tantum jaculo, nempe circa azyma transfiguntur Latini,

1. *Epistola ad Petrum Theopolis patriarcham*, *P. G.*, t. CXX, col. 788.

illo cunctis notissimo, sed multis variisque; ob quæ necesse est, ut illos aversemur [1]. »

*Opusculum contra Francos*, in quibusdam codicibus Photio falso adscriptum [2], tempore vero Michaelis Cærularii, et forsan ejus consilio, verisimiliter editum, de papa et Latinis eadem fere habet ac ea, quæ in præfata epistola Cærularii ad Petrum Antiochenum leguntur; libellus enim ita incipit :

*Romanus Pontifex, et quotquot sunt ex parte Occidentis christiani extra sinum Ionium, Itali, Longobardi, Franci, qui et Germani, Amalphitani, Veneti et reliqui præter Calabrorum gentem, et nationes Alamannorum (ex his enim postremi quidem nihil a priscis gentilibus differunt nec religione, nec morum procacitate; Calabri autem christiani orthodoxi sunt ab initio, et apostolicæ nostræ Ecclesiæ ritibus nutriti) omnes una cum papa a multis jam annis extra catholicam Ecclesiam degunt, et ab Evangelii Apostolorum Patrumque traditionibus alieni, ob iniquos et barbaros, quos sectantur, ritus* [3].

Ex his patet Byzantinos Michaelis Cærularii coævos schismati jam esse assuefactos. Unica forsan unionem instaurandi via esset : quod Leo IX Cærulario concederet ea quæ Joannes papa XIX, anno 1024, Eustathio denegavit. Hoc indirecte innuit Cærularius his verbis jam supra relatis, quibus papam alloquitur :

« *Si una Ecclesia romana per te habet nomen nostrum, omnes Ecclesiæ per totum orbem dispersæ per me habebunt nomen tuum.* »

In hac tam arroganti significatione, renovatio petitionis Eustathii facile detegitur. Unde, sæculo XI, præcipua ac fundamentalis causa dissidii inter Romam et Byzantium est primatus jurisdictionis romani Pontificis in universam Ecclesiam. Hunc Byzantini nullo pacto agnoscere volunt; hunc jam aperte rejecerunt. Secundum eorum de Ecclesia universali conceptum, papa non est nisi patriarcha regionum occidentalium, qui jam in multis a vera orthodoxia deflexit. Ecclesia byzantina est ab ejus potestate omnino independens. Hunc præcipuum errorem bene vidit S. Leo IX, qui in sua

1. *Ibid.*, col. 790.
2. De hoc opusculo fuse agit Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 172 sq.
3. Hergenröther, *Monumenta ad Photium ejusque historiam pertinentia*, Ratisbonæ, 1869, p. 62, 63.

ad Michaelem Cærularium epistola, totus est in stabiliendis privilegiis supremaque potestate successoris sancti Petri [1]; cui cum nullis probabilibus rationibus respondere possent Byzantini, ad hanc discrepantiarum liturgicarum et canonicarum congeriem confugerunt, ut separationis murum inter utramque Ecclesiam ædificarent ac firmarent, hocque pacto plenam Ecclesiæ suæ independentiam tuerentur.

Ad primatum autem Petri apostoli quod attinet, theologi byzantini illius temporis de eo diserte impugnando nondum cogitant, neque ad nexum logicum existentem inter Coryphæi principatum et ejus in romana Sede successoris primatum attendunt. Unde, antiquorum more, hunc principatum, data occasione, in suis scriptis prædicare pergunt. Sufficiat hic pauca testimonia transcribere :

Apud auctorem quemdam anonymum, qui circa sæculum x vel xi scripsit, hæc de Petro et Joanne apostolis occurrunt: « Beata Virgo cum Petro et Joanne, theologis et coryphæis apostolorum, conversabatur; *cum illo quidem tanquam cum fundamento Ecclesiæ, cum hoc vero tanquam cum filio suo secundum gratiam* [2]. »

Petrus Antiochenus Michaeli Cærulario rescribens, de Petro apostolo dicit : « Et nos tonsuram in capite facimus in honorem coryphæi apostolorum Petri, *super quem magna Dei Ecclesia superædificata est* [3]. »

Item, Philippus, solitarius dictus, in sua *Dioptra* expresse affirmat claves regni cælorum Simoni Petro soli fuisse traditas. « Alia via mihi, inquit, benignitatem Domini considera, qua peccantibus januam aperit : *non enim regni cælorum claves alteri tradidit, quam Simoni Petro, qui ipsum pernegaverat.* Anima. — Quo judicio, quibus rationibus adductus est, ut id faceret, et cur non eas dilecto ac virgini, cur non charo fratri tradidit, Jacobo videlicet, aut ejus cognomini, sed

1. Vide hanc epistolam in *P. L.*, t. cxliii, col. 744-769.

2. Ἡ παρθένος Πέτρῳ καὶ Ἰωάννῃ τοῖς θεολόγοις καὶ κορυφαίοις τῶν ἀποστόλων συνδιῆγε, τῷ μὲν ὡς θεμελίῳ τῆς Ἐκκλησίας, τῷ δὲ ὡς υἱῷ αὐτῆς κατὰ χάριν. *Texte und Untersuchungen, tertia series*, t. iii, p. 36.

3. Καὶ ἡμεῖς γαράραν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ποιοῦμεν εἰς τιμὴν πάντως τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου, ἐφ' ὃν ἡ τοῦ Θεοῦ μεγάλη Ἐκκλησία ἐπῳκοδόμηται. *Epist. ad Michaelem Cærularium, P. G.*, t. cxx, col. 800

Petro, qui ipsum negaverat, eas committit? Caro. — Disce igitur rationem ejus quod interrogas... Ut lapsos lapsurosve aliquando liberaret, et ad pœnitentiam ex timore, turbatione et tremore ac timiditate animosiores redderet, *non alteri alicui sibi obsequentium, sed Petro potissimum, qui ter eum negaverat, claves illas cælestes dedit...* Quoniam igitur plene didicisti quam ob causam Christus Petrum tradendis ei clavibus majoris æstimavit, in eoque omnes alios discipulos præterierit, viriliter age, ne cadas animo [1]. »

Theophylactus, Bulgariæ archiepiscopus, verba Christi ad Petrum : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, interpretans, scribit :

« Plene hujus intellectus is est : *Quia te habeo ut principem discipulorum*, postquam, me negato, fleveris et ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, *qui post me Ecclesiæ petra es et firmamentum. Intelligendum est autem hoc non solum de Apostolis, quod a Petro confirmati fuerint, sed etiam de omnibus qui usque ad consummationem sæculi futuri sunt fideles.* Tu enim, Petre, conversus, bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, ut nullus credentium, in te respiciens, desperet : *qui cum apostolus fueris et negaveris, iterum tamen receperis primatum omnium et præfecturam orbis per pœnitentiam* [2]. »

Quonam autem sensu intelligenda sit hæc orbis præfectura, Theophylactus explanat in *commentario Evangelii sancti Joannis*, ad verba : *Pasce oves, pasce agnos :*

« Cum prandii finem fecisset Christus, *totius orbis ovium præfecturam Petro committit : non autem alii, sed huic tradit*, primum quidem, quia omnes præcellebat, et totius cœtus os erat; deinde, ostendens ipsi fiduciam esse

1. *Dioptra*, cap. XL, *P. G.*, t. CXXVII, col. 743, 744.

2. Ἐπειδὴ σὲ τῶν μαθητῶν ἔξαρχον ἔχω, μεθ' ὃ ἀρνησάμενός με, κλαυσεις καὶ εἰς μετάνοιαν ἔλθῃς, στήριξον τοὺς λοιπούς. Τοῦτο γὰρ προσήκει σοι, ὡς μετ' ἐμὲ ὄντι τῆς Ἐκκλησίας πέτρᾳ καὶ στηρίγματι. Νοήσειε δ' ἄν τις τοῦτο οὐ μόνον περὶ τῶν τότε ἀποστόλων εἰρῆσθαι, ὡς ἂν ὑποστηριχθῶσιν ὑπὸ τοῦ Πέτρου, ἀλλὰ καὶ περὶ πάντων τῶν ἄχρι τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος πιστῶν..... Πάλιν τὰ πρωτεῖα πάντων καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης προστασίαν λαβόντα διὰ τῆς μετανοίας. *Enarratio in Evangelium Lucæ*, *P. G.*, t. CXXIII, 1073 D.

sumendam, negatione velut deleta et oblivioni tradita [1]. »

Hæc ab antiquis Patribus, præsertim a Chrysostomo, mutuatur Theophylactus, quin de primatu romano cogitet. Byzantinis enim theologis solemne est non pauca ex antiquis Patribus in suis scriptis transcribere, quæ contra ipsorum opiniones anticatholicas faciunt.

## ARTICULUS IV

### De doctrina processionis Spiritus Sancti apud Byzantinos sæcul. X-XI.

Quid de quæstione a Photio circa processionem Spiritus Sancti excitata senserint Byzantini, post ipsius mortem, scire non parum refert. Hanc enim solam, ut vidimus, litem in ultima vitæ suæ ætate retinuit schismatis pater. Verum quidem est, in diutinis colloquiis, quæ Romam inter et Constantinopolim pro instauranda unione intercessere, utrimque de hac controversia altum servatum fuisse silentium; ex quo colligi potest non omnes Byzantinos sententiæ photianæ, saltem tanquam dogmati proprie dicto, accessisse. In dubium tamen revocari nequit quin non pauci huic novitati suffragati sint, cum Photius magni nominis professor exstiterit, illu-

1. Ἐπειδὴ τέλος εἶχεν αὐτῷ τὰ τοῦ ἀρίστου, τῷ Πέτρῳ τὴν προστασίαν τῶν τῆς οἰκουμένης προβάτων ἐγχειρίζει· οὐκ ἄλλῳ δὲ, ἀλλὰ τούτῳ ταύτην δίδωσι, πρῶτον μὲν ὅτι πάντων ἔκκριτος καὶ στόμα τοῦ χοροῦ παντός· ἔπειτα δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θαρρεῖν. *Enarratio in Evangelium Joannis, P. G.*, t. CXXIV, 309. Cf. col. 313. Nota Theophylactum agnos et oves intelligere de iis qui plus minuve in vita spirituali profecerunt. Agni sunt incipientes et minus perfecti; oves sunt perfectiores, col. 312. Ad verba vero Christi apud Matthæum, cap. XVI, quod attinet, Theophylactus interpretationi Photianorum potius favet. Scribit enim: « Claves autem intelligas quæ ligunt et solvunt, hoc est, delictorum indulgentias vel pœnas. Habent autem potestatem remittendi et ligandi, qui, sicut Petrus, episcopatus gratiam assecuti sunt, *Quamvis autem Petro soli dictum sit : Dabo tibi, omnibus tamen et Apostolis* ea potestas concessa est. Quando ? Cum dixit : *Quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur.* » *Enarratio in Evangelium Matthæi, P. G.*, t. CXXIII, col. 320. Hæc tamen in bono sensu accipi possunt, et ad mentem theologorum catholicorum reduci, cum aliunde Theophylactus verum Petri primatum tam diserte prædicet.

stresque habuerit discipulos, qui ejus doctrina penitus imbuti, in verba magistri jurarent. Cæterum ad solas conjecturas in hac re non adigimur. Certa namque testimonia habemus de immediato Photii influxu in theologos sæculi x ineuntis.

Primum quidem ex actis concilii Trosleiani, anno 909, mense Junio habiti, comperimus Sergium papam III episcopis Galliæ scripsisse, sicut antea fecerat Nicolaus I, ut de refutando errore photiano circa processionem Spiritus Sancti curarent. En verba Herivei, archiepiscopi Rhemensis, qui synodo præfuit :

« Sane quia innotuit (= notum fecit) sancta Sedes Apostolica adhuc *errores blasphemiasque cujusdam vigere Photii in partibus Orientis in Spiritum Sanctum, quod non a Filio, nisi a Patre tantum procedat*, blasphemantis, hortamur vestram fraternitatem, una mecum, ut secundum domini romanæ Sedis monita, singuli nostrum, perspectis Patrum catholicorum sententiis, de divinæ Scripturæ pharetris acutas proferamus sagittas potentis, ad confodiendam belluam monstri renascentis [1]. »

Quantum conjicere licet, Summus Pontifex doctrinam photianam inter Byzantinos adhuc vigere didicerat per suos legatos, quos circa annum 906-907, ad solvendam quæstionem de quarto matrimonio Leonis imperatoris, Constantinopolim miserat.

Nicolaus Mysticus, qui Photii discipulus fuerat, a renovanda controversia circa processionem Spiritus Sancti sedulo cavit, atque de ea in suis scriptis omnino silet [2]. At non ita Leo imperator, quem sapientem vocant.

### I. — Leo Sapiens, imperator.

Ille quidem in *Epistola ad Omarum, Saracenorum regem* dogma catholicum tueri videtur [3]. Hoc tamen extra omne

1. *Acta concilii Trosleiani*, cap. XIV. Mansi, t. XVIII, col. 304, 305.

2. In fidei professione, quam occasione suæ promotionis dedit, ne ullum quidem verbum habet, quod ad controversiam alludat. Cf. Mai, *Spicilegium romanum*, t. x, p. VIII, *in præfatione*. Item, in suis litteris unam tantum dissensionis causam cum romana Ecclesia memorat, illam scilicet, quæ est de quarti matrimonii liceitate.

3. *Ego sum Verbum de Patre, ex quibus Spiritus Sanctus procedit*, *P. G.*, t. CVII, col. 316 B.

dubium positum non est [1]. Certum autem omnino est illum in quadam homilia de Spiritu Sancto sententiam photianam diserte propugnare. En verba, quibus diagramma photianum de Trinitatis mysterio sat clare delineat :

*Pater est velut principium et radix; Filius vero et Spiritus sanctus velut rami quidam ab æterno pullularunt* [2].

Certe hic habemus non lineam rectam Patrum græcorum, sed angulum photianum, duobus ramis ex eodem trunco hinc inde exsurgentibus efformatum.

Deinde doctrinam catholicam, quam nomine νεωτεροποιΐας designat, argumentis photianis ex professo impugnat, quamvis magistri interpretationem verborum Christi : *De meo accipiet*, non retineat. Dicit enim :

« *De meo accipit :* Quomodo ex iis, quæ ille habet accipit ? Quia quæ Filius facit, ea et Spiritus facit ; sicut Filius accipit a Patre, quia quæ videt Patrem facientem, facit. *De meo accipit:* Per hæc verba non significatur communicatio quædam, cujus indigens sit, sed concordia et consensus inseparabilis. *Neque vero ea verba significant quod vult innovatio eorum, qui novam Spiritus inducunt existentiam, scilicet ex Filio Spiritum processionem accipere* [3]*;* cujus unicum principium in plura principia perperam student convertere. Non equidem novi quidnam eos in hanc sententiam perduxerit : an Filium in Spiritus processionem intrudent, ut eum simul cum Patre concausam (συναίτιον) faciant, vel hoc Patri eripiant ? Si enim Spiritus ex Filio esset, cur non et ex seipso esset, cum omne quod Patris et Filii est, Spiritus etiam sit ? Sed ulterius id etiam consequitur, non solum non esse ex Filio, verum etiam neque ex Patre. Qui enim ex seipso habet esse, quanam alia indiget causa ? »

« Rursus, si æquipotens Spiritus est, quomodo et Filius

1. Ratio dubitandi est quod Leonis epistola nobis nota est tantum ex versione latina Symphoriani Champerii. Suspicor textum originalem sic habere ; *de Patre, ex quo procedit Spiritus Sanctus.* Nota, paulo infra, col. 317 B, hæc verba occurrere : *Verbum et Spiritus, qui sunt ex Deo.*

2. Ὁ μὲν ὡς ἀρχὴ καὶ ῥίζα, Υἱὸς δὲ καὶ Πνεῦμα οἷον βλαστοί τινες συνεκτεθήλασι. *Hom.*, XIII, *de Spiritu Sancto, P. G.*, t. CVII, col. 136 B.

3. Οὔκουν οὐδ'ὅπερ ἡ νῦν νεωτεροποιΐα τῶν καινὴν εἰσαγόντων ὕπαρξιν τοῦ Πνεύματος βούλεται, τὸ ἐκ τοῦ Υἱοῦ λαμβάνειν τὴν προβολὴν σημαίνει τὰ ῥήματα. *Ibid.*, col. 145 B.

ex eo non est, sicut is est ex Filio ? Aut enim non ejusdem virtutis est, utpote accipiens et non dans, aut, si vere est, necesse est, ut Filius etiam aliquid habeat ex Spiritu, sicuti Spiritui aliquid ipse dat. Cur autem hoc tantum Spiritui aufertis, nempe quod ex seipso sit, non auferentes alia, quæ Filio sunt et Patri ? Nam vel alia quoque ipsi adimenda sunt, ut blasphemia magis pateat, vel neque id adimendum, quod ex seipso sit. Quænam enim de uno hæc tantum privatio ?

« Deinde Spiritus ex Patre et Filio *procedens*, προϊόν, et a persona Patris per proprietatem suam distinctus, quomodo minor non erit Filio, cum hic esse habeat a Patre, ille vero, alia causa superaddita, etiam a Filio, τῷ δὲ καὶ τοῦ αἰτίου Υἱοῦ προστίθεται? *Quod si quæcumque Filius habeat, a Patre accipit, ab eo etiam accipiet, quod ex ipso procedat Spiritus* [1]. Cur ergo dandum est Filio, quod ex ipso procedat Spiritus, Spiritui vero neque illud dandum, ut ex seipso procedat, neque illud, ut generationis Filii particeps sit ?

« Rursus, si major est Pater, quia Filii causa est, major erit et Filius, cum causa Spiritus sit. Patet ergo Spiritus personam imminui, Filio quidem in unam causam relato, Spiritu vero in duas. Quod si ex hoc major Spiritu statuitur Filius, major etiam in Spiritum Sanctum, quam in Filium, blasphemia censenda est. Hoc enim ipsum Servator noster docuit, nempe blasphemiam in Spiritum Sanctum neque in hoc sæculo remitti, neque in futuro.

« Ex Patre igitur et ex Filio Spiritus ? ubinam unius principii religio, ποῦ τὸ τῆς μοναρχίας εὐσεβές ? Nonne πολυαρχία locum inveniet ? Quid enim hoc modo prohibet Spiritum quoque alterius causam esse, istumque iterum alterius ? Ex quo pluralitas principiorum rursus exsurget.

« Ex Patre et ex Filio Spiritus procedit ? Quomodo ergo qui Patrem agnoscit, sicut ille Filium novit, dicit : *Spiritum veritatis qui a Patre procedit* ?

« Ex Filio procedit Spiritus ? Peto, per eamdemne processionem, an per aliam ? Si per eamdem, quid indiget processione ab ambobus, illa posita ? Si vero alia est Patris processio, et alia Filii, sileatur, quæso, quod inde consequitur.

1. Hanc consequentiam omnino admittunt Catholici, quia Christus ipse illam innuit in Evangelio. Hoc jam aperte docuerat Augustinus.

Quid enim ? Uter magis causa est, Pater, an Filius ? Si Pater, quomodo qui major est, minoris indiget ? Si Filius, jam sequitur non tantum causam esse simul cum Patre, sed ipsum solum loco Patris, Spiritus causam esse.

« Præterea, si a Filio Spiritus procedit, quomodo hoc non dat Filius ex seipso ? Et quomodo omnia accipit a Patre ? Dices : Hoc ex Patre habet, et ab eo accipit tanquam a causa ; at quomodo ipse quoque causato pariter a se Spiritui hoc non dat, ut causa sit ; ut, sicut ipse causandi privilegio gaudet, ita Spiritus hoc honore minime destituatur ? Neque enim dicent hoc Patrem prohibere, cum, ex eorum sententia, id quoque communicet Pater, quod sibi soli peculiare est [1]. »

### II. — Nicetas philosophus.

Hæc non esse nisi quamdam nugarum photianarum repetitionem jam vidit lector. Easdem fusiori stylo expressas novaque forma indutas invenimus apud alium Photii discipulum, nempe apud illum Nicetam Byzantinum, philosophum dictum, cujus capita syllogistica XXIV edidit Hergenrôther in suis *Monumentis græcis ad Photium ejusque historiam pertinentibus* [2].

Quemadmodum fecit Photius in suis ultimis scriptis, Nicetas non omnibus Occidentalibus, sed quibusdam tantum [3] tribuit doctrinam processionis Spiritus Sancti ab utroque. Hanc doctrinam, magistri instar, ut impietatem, δυσσέβημα, habet, et blasphemiam. Item, verbum ἐκπορεύεσθαι ad significandam processionem in genere usurpat, atque loco illius, alia verba, ut προϊέναι [4], ἐκλάμπειν [5], προβάλλεσθαι [6], adhibet. Diagramma photianum eadem similitudine ac Leo Sapiens describit :

*Filius et Spiritus Sanctus ex Deo Patre, ille quidem per generationem, hic autem per processionem, secumdum naturam*

1. *P. G.*, t. CVII col. 146-152.
2. P. 84-138.
3. Τινες. Et hoc etiam atque etiam repetit. Cf. p. 85, 93, 94, 102, 108, 119, 127, 132, 133, 136.
4. P. 89 : ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ μόνου πρόεισι ; 96, 108, 118, 124.
5. P. 123, 135.
6. P. 120.

*ex Patris substantia intemporaliter et æternaliter simul ceu germina ex Deo orta prodeunt* [1].

Dum Photius ad formulam græcorum Patrum a *Patre per Filium procedit*, vix alludit [2], Nicetas illud, « διὰ τοῦ Υἱοῦ » de sola missione temporali Spiritus Sancti aperte intelligit :

« Spiritus Sanctus, inquit, omnia habet, quæ habent Pater et Filius, præter innascibilitatem et generationem; ex Patre procedit, *per Filium autem communicatur et accipitur ab omni creatura*.... Quod Spiritus Sanctus ex Patre procedit et in Filio quiescit, *et per ipsum datur et ab omni creatura suscipitur*, ex solis similitudine et comparatione confirmant SS. Patres. Quemadmodum enim sol fons et causa radii ac luminis est, per radium vero *nobis* lumen communicatur, et ipsum est quod nos illuminat et a nobis participatione possidetur : ita et Deus Pater fons et causa Filii ac Spiritus Sancti est, *Spiritus vero ex Patre procedens per Filium datur et manifestatur;* unde et in discipulos sufflans Salvator, Spiritus Sancti gratiam præbuit [3].

« *Dum dicimus Spiritum ex Patre procedere, per Filium vero dari et accipi ab omni creata natura, neque causam inducimus Spiritus, neque Patris lassitudinem et imperfectionem; etsi per Filium suppeditatur et distribuitur, naturaliter tamen adest Spiritus ex Patre per Filium suppeditatio ac distributio.* Quod si obscuram quamdam hujus rei cognitionem capere desideras, eam conspice ex specie et imagine solis. Sicut enim sol fons et causa est tum radii tum luminis, naturaliter vero fit, ut per radium solis lumen distribuatur nobisque suppeditetur : sic et in Sanctissimi Spiritus ex Patre processione et per Filium suppeditatione cogitari debet, et nihil indecens

1. Ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, ὁ μὲν γεννητῶς, ὁ δὲ ἐκπορευτῶς, κατὰ φύσιν ἐκ τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας ἀχρόνως καὶ συναϊδίως ἅμα οἱονεὶ βλαστοὶ θεόφυτοι ἐξιᾶσι.

2. Cf. supra, p. 220. Photius formulam græcam obiter adhibet ad significandam missionem temporalem; v. g., in *Quæst. amphiloch.* CXC, cap. VI, *P. G.*, t. CI, col. 921 : « διὰ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τοῖς μαθηταῖς ἀπεστέλλετο. »

3. Cap. II, p. 91-92 : ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, δι' Υἱοῦ δὲ διαδιδόμενον καὶ μεταλαμβανόμενον ὑπὸ πάσης τῆς κτίσεως. Animadvertas velim quomodo Nicetas comparationem patristicam ad solam missionem temporalem Spiritus arbitrario restringat.

vel indignum Trinitati vivificæ ac superessentiali attribuitur [1]. »

Item ad missionem temporalem refert effatum : *Spiritus Filii*, dum de processione æterna interpretatur : *Spiritus Patris.*

« Quod vero in Scripturis Dei Patris Spiritus appellatur, et pariter Filii, hoc pacto intelligimus : *Patris quidem est, quia ex ipso absque tempore et coæterne ex paterna essentia prodit, et causam Deum Patrem velut spiritus,* καθὸ πρόβλημα, *agnoscit, quamobrem et per Domini vocem dicitur* ex Patre procedens; *rursum Filii Spiritus dicitur tanquam per ipsum suppeditatus ac manifestatus nobis per ipsum, et propter naturalem cum ipso conjunctionem ac veluti familiaritatem;* unde et in universis Scripturis haud reperitur eum ex Filio procedere, sed ibi Filii Spiritus dicitur eo quo diximus modo [2]. »

In capite XIII, Nicetas verba sancti Basilii : *Spiritus per unum Filium uni Patri copulatus,* Πνεῦμα ἅγιον δι'ἑνὸς Υἱοῦ τῷ ἑνὶ Πατρὶ συναπτόμενον, recitat, quæ certe ad processionem æternam referuntur, et aperte sententiæ photianæ adversantur; at theologus noster hanc contradictionem animadvertere non videtur, nullamque hujus effati sancti Basilii tradit explicationem [3]; de aliis vero Patrum locis mediationem Filii in processione Spiritus Sancti exprimentibus tacet. Unico enim capitulo, ultimo scilicet, doctrinæ photianæ ex sacris Scripturis et traditione demonstrationem complectitur in hunc modum vere photianum :

« Demum omnes qui pie sentire volunt, quando de divinis dogmatibus dicturi sunt quidpiam, vel ex divinis sacrisque eloquiis firmitatem possident, vel ex sanctis secundum Dei voluntatem in synodis congregatis confirmant, vel ex sacrosanctis Patribus iisque, quæ in eorum scriptis continentur, velut legem statuunt, vel ex communibus de Deo notionibus securitatem nanciscuntur, vel ex non scripta et mystica Ecclesiæ traditione, quæ ab iis, qui viderunt et ministri fuerunt sermonis, nobis tradita fuit, constabiliunt, atque, ut breviter dicamus, *ex quibus Ecclesia Dei per universum orbem*

1. Cap. IV, p. 99.

2. *Ibid.* Cf. cap. X, p. 110-111, ubi analogiam patristicam ex mente, verbo et spiritu desumptam, Photii instar, perperam interpretatur.

3. P. 117.

*recte sentiens veri dogmatis firmitatem suscipit* [1], ex his ipsis propriam sententiam constituunt. Qui vero Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere ut ex Patre asserere conantur, ex nullo horum capitum firmitatem et securitatem proprii dogmatis habent. Verum multo omnibus his fide dignior est ipse Dei Patris Filius ac Verbum, qui omnia cognoscit quæ sunt Patris, et quæ sunt Spiritus, qui.... Sancti Spiritus adventum discipulis promittendo dicebat : *Et alium Paraclitum vobis mittam, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* Non dixit : *Qui a Patre et ex me, Filio, procedit....* Quoniam vero non sic dictum est, sed solum : *Qui a Patre procedit*, et non adjectum est in dominico sermone : *ex ipso Filio,* manifestum utique, quod hoc decernere tentantes adversus dominica verba reliquasque sacras voces, apostolicas traditiones et communes conceptiones de Deo, sed etiam contra sanctas et universales synodos semperque memorandos Patres insurgunt : qui si, ut æquum est, ad viam veritatis redire velint, gratias Deo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; sin autem salutem suam amplecti nolunt, hoc ut fugiendos, odiosos impiosque quicumque recte sentire vult, et *cum sancta universali Ecclesia, quæ finibus usque ad fines terræ fidem recte tractat*, credere atque consistere appetit, abjiciat, et nullo eos verbo dignos adjudicet [2]. »

Qui talia profert, debuisset utique sacrorum Librorum doctrinam Patrumque, testimonia paulo fusius nobis exponere atque explanare; verum, nostro Nicetæ satis est argumenta ex *communibus de Deo conceptionibus* contexere. Communes autem de Deo conceptiones ei potissimum sunt axiomata illa photiana, de quibus supra disseruimus [3]. Hæc autem discipulum inter et magistrum adest differentia, quod Nicetas adversariorum objectiones non raro prævidet, eisque obviam ire conatur, dum Photius de eis non curat. Item Nicetas in Patre clare distinguit proprietates hyposta-

1. Nicetas passim repetit *universam catholicam et apostolicam orthodoxam Ecclesiam per universum orbem diffusam* dogma photianum profiteri. Exinde patet quam crassa fuerit ignoratio theologiæ Occidentalium apud Byzantinos.

2. Cap. XXIV, p. 137-138.

3. Omnia axiomata photiama, si tertium excipias, capitibus syllogisticis Nicetæ subjacent.

ticas paternitatis et spirationis activæ, πατρότης καὶ προβολὴ ἢ ἐκπόρευσις, atque axioma photianum secundum etiam atque etiam his verbis concipit : *Pater est solus et unicus spirator*, προβολεύς, *sicut est solus et unicus Pater*, πατήρ. Hoc axioma, quod illi est verum et proprie dictum axioma nulla indigens probatione et a priori ex fide positum, occurrit tanquam major in plerisque ejus argumentis [1]. Unde mirum non est hæc omni vi contra dogma catholicum destitui; a priori enim ponunt quod probandum esset.

Post illud secundum axioma, sæpius recurrit quartum : *Quidquid in sancta Trinitate concipitur, aut trium personarum commune est, aut personæ unius proprium* [2]. Hoc diversimode exprimit auctor. In capite xv, hoc modo argumentatur :

« Manifestum est proprietates, quatenus sunt proprietates personales, distinctionem et diversitatem declarare, quibus, et quidem solis, Trinitas esse Trinitas proprietatibus creditur; productio autem, προβολή, *cum sit personæ paternæ proprietas*, communis erit, secundum eos qui Spiritum ex Filio quoque dicunt procedere sicut et ex Patre; si vero communis, jam non proprium personæ; si non proprium, erit commune; commune autem paternæ personæ natura est Dei Patris, vel aliquid ex iis, quæ naturam consequuntur; efficitur ergo secundum adversarii rationem, processionem, προβολήν, quum sit communis Patris et Filii, vel naturam esse Patris et Filii, vel quid eorum, quæ naturam ipsorum consequuntur. Si vero hoc, communis erit et Spiritus Sancti, ac rursum Spiritus erit seipsum producens, ipse sui ipsius causa et causatus, vel aliam producet personam. Atque non hæc solum impia sequentur, verum etiam idem erunt natura et persona [3]. »

Prævidet Nicetas responsionem Latinorum ad illud quartum axioma; unde formulam photianam hoc modo corrigit :

« Omne quod de zoarchica et omni conditrice Trinitate prædicatur, aut communiter de tribus personis divinis, *eodemque modo et univoce, et non differenter* dictum reperitur, aut proprie de una, *exceptis iis quæ de duabus personis non*

1. Hoc expressis verbis invenitur in capitibus I, IV, VI, VII, XI, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XXI.
2. Cf. cap. I, III, X, XIII, XIV, XV, XVI, XIX, XX, XXIII.
3. P. 119-120.

*eodem modo dicuntur*, cujusmodi est causatum, τὸ αἰτιατόν, et similia [1]. »

Distinctionem autem allatam verbis sequentibus explicat : « Ratio quidem causati, licet communiter de Filio ac Spiritu prædicetur, non tamen *eadem modo*, ταυτοτρόπως, quoad utrumque dicitur, ita ut uterque vel ut genitus vel ut spiratus existat, quandoquidem habent diversam progressionem, πρόοδον; at spiratio, secundum vos, communis communiter et eodem modo de Deo Patre et Filio dici flagitat ; neque enim poterit quis diversam Spiritus ex Patre Filioque spirationem asserere, ne diversam confitens spirationem, compositum esse Spiritum, licet invitus, confiteatur, proindeque dissolubilem quoque et corruptibilem, et præter hæc, sexcenta alia absurda, quæ sequentur. *Quare si de duabus divinis personis communiter quid et eodem modo prædicatur, et de tertia persona prædicetur necesse est; in iis vero, quæ communiter quidem, non tamen eodem modo dicuntur, haud necesse est de tribus prædicari* [2].»

Etiam hac forma conceptum, axioma non evadit verius, et gratis omnino ponitur; quamquam huic respondere licet in hunc modum :

« Processio Spiritus Sancti non omnino eodem modo Filio tribuitur ac Patri, quia Patri tribuitur ut principio imprincipiato, Filio vero ut principio principiato. Cæterum, Pater et Filius non constituunt duo principia, sed unum tantum principium Spiritus Sancti. »

Hoc ultimum Nicetas, sicut et Photius, ignorare videtur; unde Latinis non semel duo principia exprobrat [3]. Mirum est tamen illum veram doctrinæ catholicæ conceptionem peracute per modum objectionis prospexisse. Dicit enim :

« *Si ex causa Filius habet ut sit Spiritus emissor*, προβολεύς, *ex Patre sane hoc sortitus est, quia et quod sit Filius et omnia quæcumque habet, propter Patrem habet.* Si autem hoc ex Patre habet, quæ est ista exhæreditatio et detrimentum filialis existentiæ, ut, qua Filius Filium non generet, quandoquidem Pater, qua spirator, προβολεύς, Filium rursus spiratorem Spiritus ostendat [4]?....

1. Cap. IX, p. 109.
2. Cap. I, p. 89-90.
3. Cf. cap. V, VI, XVIII, XXII.
4. Cap. VI, p. 104.

« Si quis instaret, dicens : *Quod Deus Pater genitor est ac* προβολεὺς *simul, hæc duo conjunctim sumpta non in alia divina persona reperiri debent, ne paterna persona confundatur, atque idcirco fugiat id ipsum esse quod est; quid autem prohibet, quominus* προβολή, *quæ est Patris idioma, seorsum ac separate a progressu genitoris sumatur, atque sic et Filio dicatur esse communis ? Nam si non distingueretur a Filio quatenus Pater, recte se haberet prædicta ratiocinatio* (scilicet proprietates hypostaticas esse incommunicabiles, et Patrem Filio communicare non posse suam proprietatem, videlicet innascibilitatem, seu principium et causam esse); *si vero distinguitur, quid illic absurdi, quæso* [1]? »

Huic instantiæ Nicetas theologice vanam opponit responsionem :

« Si Pater ad divinum Spiritum habet distinctionem, quatenus ejus productor est, quam ob causam non et ipse Spiritus communem cum Deo Patre sortitus est (activam) generationem, si Filius, ut Filius distinctus, communem habet cum Patre Spiritus Sancti spirationem ? Si vero hoc secundum vestram rationem sequitur, erit Spiritus vel Filio retribuens pro processione, eumque generabit, vel alteram personam gignet, ita ut Trinitas efficiatur quaternitas [2]. »

In suo capite XII, ad veritatem catholicam propius accedit, dum docet Patrem ideo a Filio et a Spiritu Sancto distingui, quia est utriusque principium seu causa; ex quo omnino logice consequitur Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere debere, ut ab eo distinguatur; hanc tamen consequentiam non animadvertit Photii discipulus :

« Pater distinguitur ac secernitur a Filio et Spiritu, eo quod hi causate ex ipso habent existentiam, alter per generationem, alter per processionem..... Igitur Pater, quatenus est principium et causa naturalis Filii et Spiritus Sancti, non potest secundum idem cum Filio et Spiritu communicare... Quod si hæc vera ostensa sunt, impossibile Filium esse causam Spiritus Sancti, ita ut ex ipso existat per processionem, sicut et ex Patre, quum tunc eveniat, ut secundum id quo Deus Pater distinguitur, secundum hoc rursus communicet [3] ».

1. Cap. XXII, p. 134.
2. Cap. XXII, p. 134.
3. Cap. XII, p. 115-116.

Admodum facile est Nicetæ respondere cum supra allata distinctione : « Pater distinguitur a Filio non quatenus est spirator, sed quatenus est genitor; unde potest cum Filio communicare in ratione spirationis seu προβολῆς; imo, omnino necesse est Filium esse προβολέα Spiritus; secus, ab ipso non distingueretur; quemadmodum et in Patre generatio activa et processio activa non realiter sed virtualiter tantum inter se distinguuntur; secus Pater et Spirator essent duæ personæ distinctæ. Si *terminus a quo* : « Pater et Spirator, » sunt una eademque persona, etiam *terminus ad quem*, id est γέννημα et πρόβλημα seu πνεῦμα, erunt etiam una et eadem persona, nisi inter γέννημα, seu Filium, et πρόβλημα, seu Spiritum, interveniat relatio originis, ita ut Filius fiat una cum Patre etiam Spirator Spiritus. »

Alia Photii axiomata cum plerisque eorum consectariis, nova tamen forma quandoque propositis, in capitibus Nicetæ reperies. Cæterum, Nicetas in hoc Photium superat, quod irenice loquitur, quod subtilius ac luculentius argumenta texit, et ad philosophiæ principia sæpius appellat; demum, quod adversariorum objectiones non semel prospicit, sibique solvendas proponit. Ejus vero defectus præcipuus idem est ac ille, cui Photius obnoxius : scilicet, quod in quæstione omnino supernaturali ac humanæ mentis vires excedente, posthabitis sacræ Scripturæ ac traditionis Patrum testimoniis, ad ratiocinia humana confugit, et pro axiomate habet illud ipsum quod probandum est. Ejus opus ut nova editio correcta et ad usum scholæ redacta *Mystagogiæ* photianæ censeri potest, nec dubium quin serium influxum in coaevos et posteros habuerit.

### III. — Euthymius, patriarcha († 917).

Hujus influxus vestigia deprehendere est non solum apud Photianos proprie dictos, verum etiam apud auctores ceteroquin bene audientes, ut apud Euthymium patriarcham sanctitatis fama illustrem († 917), qui in quodam encomio in conceptionem sanctæ Annæ, de Trinitatis mysterio hæc habet :

« Hodie ipse fons divinitatis et immortalitatis, ut qui Pater est et principium et radix ex quo principio simul carens et

coæternus Filius et Spiritus Sanctus, *veluti flores et supersubstantialia lumina et germina ex Deo nascentia*, et quæcumque sunt alia miratione digna, quæ theologorum voce prædicantur, præ nimia erga suum plasma sollicitudine, modo ineffabili, ipsius Unigeniti.... matrem efformat [1]. »

Idem, in homilia de zona Deiparæ, sequentem formulam photianismum redolentem usurpat : *Spiritus Paraclitus ex Patre quidem procedit, per Filium autem ad omnem pium mittitur*, ὡς ἐκ Πατρὸς μὲν ἐκπορευόμενον, δι' Υἱοῦ δὲ παντὶ θεοσεβοῦντι πεμπόμενον [2].

### IV. — Sisinnius et Sergius patriarchae.

Circa finem sæculi x, sub patriarchis Sisinnio II (996-998) et Sergio II (999-1019), controversia de processione Spiritus Sancti rursus exarsisse videtur. Dicunt enim Sisinnium, vel potius Sergium, ex Photii familia oriundum, encyclicam Photii epistolam ad Sedes patriarchales Orientis de novo edidisse [3]. Unde dubium non est quin, sæculo xi ineunte, doctrina photiana inter Byzantinos communis omnino evaserit et tanquam orthodoxiæ expressio recepta.

### V. — Michael Caerularius.

Verum est quidem Michaelem Cærularium hanc quæstionem primum prætermisisse tum in epistola Leonis Achridani ad Joannem Tranensem, tum in primis Nicetæ Pectorati libellis. Verum, postquam epistolam legit Petri Antiocheni ad Dominicum Gradensem, in qua Petrus totam differentiam inter utramque Ecclesiam existentem ad solum azymorum usum restringere videbatur, Occidentalesque in fide Trinitatis et Incarnationis orthodoxos prædicabat [4], tunc inter multos

1. M. Jugie, *Homélies mariales byzantines*, in *Patrologia Orientali*, t. xvi, p. 499 : « οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα καὶ βλαστοὶ θεόφυτοι. » Eamdem comparationem invenimus tum apud Leonem Sapientem, tum apud Nicetam Byzantinum. Cf. supra, p. 288 et 291.

2. *Ibid.*, p. 507.

3. Hergenröther, *Photius*, t. iii, p. 727-729.

4. Omnino benigne interpretatus fuerat Petrus epistolam Leonis Achridani mentemque Cærularii. « Non adeo præfracte, aiebat, ac scripsisti, sanctissimus patriarcha Constantinopolitanus vestram sententiam aggreditur vosque appellat cacodoxos, abscinditque a sancta Ecclesia ; sed probe cognoscens orthodoxos vos esse, idemque nobiscum

alios errores abususque, quos Latinis crimini vertit, et hanc de additione ad symbolum novitatem indicavit :

« In sancto symbolo, ex mala periculosaque sententia, hoc additamentum recitant sic se habens : *Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit* [1]. »

Postquam vero cardinalis Humbertus suum de processione Spiritus Sancti libellum ad Constantinum imperatorem conscripsit, Græcosque accusavit quod : *sicut Pneumatomachi vel Theomachi, Spiritus Sancti processionem a symbolo absciderint*, huic criminationi tum in suis *Collectaneis patristicis*, de quibus supra [2], tum in suo *Edicto synodali* obviam ivit. In hoc ultimo documento, quædam ex argumentis photianis breviter contrahit :

« Sacrosanctum Symbolum, quod omnibus synodalibus et œcumenicis decretis inconcussum atque inexpugnabile robur habet, spuriis cogitatis et sermonibus adulterinis et audaciæ excessu adulterare nolumus, nec, ut illi, ex Patre et Filio Spiritum Sanctum, o improbi dæmonis machinas! sed ex Patre dicimus procedere..... Dominus enim noster ait : *Spiritus veritatis, qui a Patre procedit.* Verumtamen novæ hujus impietatis parentes Spiritum inquiunt, *qui a Patre et Filio procedit;* non illud rursus attendentes quod proprietas Spiritus cognoscitur in hoc quod a Patre procedit, quemadmodum et proprietas Filii, in hoc quod generatur Filius; si autem, ut ipsi nugantur, et a Filio Spiritus procedit, tunc pluribus proprietatibus Spiritus a Patre discernitur quam Filius. Commune namque est Filio et Spiritui quod ab eodem Patre procedunt, κοινὸν Πνεύματι καὶ Υἱῷ ἡ τοῦ αὐτοῦ Πατρὸς ἐκπόρευσις [3], proprium vero Spiritui est, quod ex Patre

sentire circa securam theologiam vivificæ et consubstantialis sanctæ Trinitatis, necnon circa Incarnationem Domini .... in uno solo vos claudicare, nimirum in azymorum oblatione, graviter fert. *Epist. ad Dominicum Gradensem*, 7. *P. G.*, t. CXX, col. 761.

1. Ἐν τῷ ἁγίῳ συμβόλῳ τοίανδε τινὰ ποιοῦνται προσθήκην, κακῶς καὶ ἐπικινδύνως φρονοῦντες. *Epist. ad Petrum Antiochenum*, 13. *ibid.*, col. 792.

2. Cf. p. 274, nota 4.

3. Vox « ἐκπόρευσις » in sensu generico processionis hic sumitur; rarum sane exemplum apud theologos byzantinos, qui communiter τὴν ἐκπόρευσιν nonnisi de relatione Patris ad Spiritum Sanctum, et vice versa, intelligunt.

procedit, non autem a Filio [1]. Quod si pluribus differentiis Spiritus quam Filius discernitur, proximior erit paternæ substantiæ Filius quam Spiritus; et sic rursus Macedonii in Spiritum conatus emerget, eorum drama scenamque induens. « Præter jam dicta, neque illud capere omnino volunt : Omne quod commune non est omnium dominatricis et consubstantialis Triadis, unius tantummodo ex tribus esse [2]. »

Forsan de hac quæstione, initio contentionis, ideo siluit Michael, quod in scientia theologica parum versatus esset; nam, si Psello fides adhibenda, « differentiam, quæ inter naturam exsistit et personam, vix unquam perspexerat [3]. » Coætanei autem illam in symbolo fidei discrepantiam omnium gravissimam habebant. Auctor *Opusculi contra Francos* ante omnes alias differentias hanc notat :

« Cum sanctæ fidei symbolum ex verbis evangelicis compositum clare de Spiritu Sancto ita loquatur : *Et in Spiritum Sanctum, Dominum, vivificantem, qui ex Patre procedit*, hi addiderunt : *et ex Filio*, male ac periculose. Puto enim eos, ob linguæ ipsorum angustiam, *idem esse Sancti Spiritus ex Patre processionem ejusdemque per Filium ad nos missionem arbitratos esse;* nihilque discrepare missionem a processione *barbare ac inscite* cogitarunt [4]. »

### VI. — Nicetas Pectoratus.

Nicetas Pectoratus ipse, postquam duabus vel tribus dissertatiunculis quæstiones de azymis, de jejunio sabbati necnon de clericorum cælibatu absolvit, de Spiritus Sancti processione tractatum sat productum scripsit, in quo nova quædam occurrunt, majorque ad probationes positivas attentio depre-

1. Photius et Nicetas dicunt : « Processio Spiritus Sancti est proprietas hypostatica Patris. » Cærularius terminum passivum directe considerat.

2. *P. G.*, t. CXX, col. 737, 740-741.

3. Cf. Bréhier, *Le schisme oriental du XI^e siècle*, Parisiis, 1899, p. 145.

4. Οἶμαι γὰρ διὰ τὸ στενὸν τῆς αὐτῶν διαλέκτου ταὐτόν εἶναι ᾠήθησαν τήν τε τοῦ Πνεύματος ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπόρευσιν καὶ τὴν διὰ τοῦ Υἱοῦ πρὸς ἡμᾶς ἀποστολήν, καὶ κατὰ μηδὲν διαφέρειν τὴν ἀποστολὴν τῆς ἐκπορεύσεως βαρβαρικῶς καὶ ἀμαθῶς ἐνόησαν. Hergenröther, *Monumenta*, etc., p. 63.

henditur [1]. Ex novis argumentis ab hoc auctore productis hoc recitat Allatius :

« *Vidit Spiritum descendentem quasi columbam.* Undenam descendentem, et a quo, et super quem advenientem ? Annon, ut manifesto patet, ex Patre luminum, horum scilicet consubstantialium illi et sibimetipsis, Filii et Spiritus; uti dicitur : *Omne donum perfectum desuper descendit a Patre* ? Quod si dicas, etiam ex Filio, secundum eam, quæ apud vos est, vocum innovationem, ea colliges : *Advenientem manentemque super Jesum;* ni cum Nestorio duas personas decernente, unam Christi in duas subdividas, ut ita dicam, et Spiritum descendentem a Patre et Filio, et advenientem et manentem quasi super aliam personam, Jesum nempe. Vides in quantas te qualesque hæreses per parvum istud dictum præcipitat ? Fuge igitur, quantum potes; fuge; peccasti, quiesce [2]. »

Huic difficultati jamdudum obviam iverant Patres, cum contra Arium decertarent; v. gr., Athanasius, *In oratione prima contra arianos* : « Et homo factus, dicebat : *Mittam vobis Paracletum, Spiritum veritatis,.... Idem ipse est qui dat et accipit, dans ut Verbum Deus, accipiens ut homo* [3]. »

### VII. — Petrus Antiochenus.

Petrus Antiochenus primum quidem, ut mox diximus, de fide Latinorum circa Trinitatis mysterium nihil sinistri suspicabatur; accepta autem prima Cærularii epistola, tunc et ipse de additione « Filioque » ad symbolum hæc pronuntiavit :

« Malum vero, et malorum pessimum est adjectio ad sanctum symbolum, dum dicunt : *Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit.* Nam si Evangelia eadem apud nos et Latinos sunt, unde illi plus

1. Hic tractatus Nicetæ nondum editus est. Invenitur in *Cod. Vatic. 680*, fol. 407 v.-422 v., lectu non facili. *Incip.* : Τὸ περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος λέγειν περὶ Θεοῦ λέγειν ἐστίν, *Des* : οὐ γὰρ ὅμοία οὐδὲ ἡ αὐτὴ, ἀλλ'ἰδιότροπος ἑκατέρου ἡ πρόοδος καὶ μονότροπος.

2. *Vindiciæ synodi Ephesinæ*, cap. LXXIII, p. 574-575.

3. Διδοὺς μὲν ὡς Θεὸς Λόγος, λαμβάνων καὶ ὡς ἄνθρωπος. *Oratio* I *contra arianos*, 48. *P. G.*, t. XXVI, col. 112.

aliquid addiscentes, tam alienum confecere additamentum [1] ? »

Hic recitat Petrus quosdam Evangelii sancti Joannis locos ad Spiritum Sanctum spectantes, inter quos et ille occurrit : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Nulla vero data explicatione, in hunc concludit modum :

« Evangelista sic apertissime disserente, orthodoxorum quis audebit vel poterit addere vel minuere ? Nam quæ clarissime sanxit sacra Scriptura, non oportet ad calculum vocare, sed sequi. Verum, ut videtur, amiserunt Latini exemplaria Nicænæ primæ synodi, propterea quod Vandalorum gens Romæ diu dominium tenuit; a quibus forsan et didicerunt Arianorum in morem agere, ac per unam immersionem, si hoc verum est, quemadmodum significasti, baptismum celebrare. Nobis ad perfectam pietatis agnitionem confirmationemque sufficit sapientia ac salute plenum divinæ gratiæ symbolum. *Nam de Patre et Filio et Spiritu Sancto perfectam tradit doctrinam* [2], ac Domini incarnationem iis qui cum fide accipiunt, exponit.

« Ceterum convenit, ut nos ad bonam voluntatem respiciendo, præsertim ubi nec circa Deum nec circa fidem periculum est, propendeamus semper ad pacem et fratrum amorem. Illi quippe fratres nostri sunt, quamvis ex rusticitate vel imperitia contingat, ut sæpe ab eo quod decet, excidant, dum suam sequuntur voluntatem. *Neque postulare debemus in barbaris gentibus adeo accuratam disciplinam,* τοσαύτην ἀκρίβειαν, *ac a nobis in doctrina eductis exigitur. Magnum enim est, si vel apud eos recte prædicetur vivifica Trinitas, necnon incarnationis mysterium juxta nostram sententiam teneatur* [3]. »

Ut ex his constat, Petrus de veritate vel falsitate doctrinæ Latinorum nihil expresse decernit, sed hoc tantum vult, ut nihil ad symbolum addatur, cum hoc nobis perfectam abso-

1. Κακὸν δὲ καὶ κακῶν κάκιστον ἡ ἐν τῷ ἁγίῳ συμβόλῳ προσθήκη. *Responsio ad Cærularium,* 11. *P. G.*, t. CXX, col. 804.

2. Περὶ τε γὰρ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκδιδάσκει τὸ τέλειον. *Ibid.* col. 805 A.

3. Μέγα γὰρ καὶ παρ' αὐτοῖς ἀσφαλῶς ἡ ζωαρχικὴ Τριὰς ἀνακηρύττοιτο, καὶ τὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας κατὰ τὴν ἡμετέραν δόξαν ἀνομολογοῖτο μυστήριον. *Ibid.*, col. 806-808.

lutamque de Trinitate doctrinam exhibeat. Non est ergo ille photianus proprie dictus, sed potius in quæstione de processione Spiritus Sancti a Filio agnosticus.

### VIII. — Michael Psellus.

Veri autem nominis photianus nobis apparet Michael Psellus. In *tractatu* enim *ad Michaelem Ducam*, hanc photianismam sapientem formulam in fidei expositione usurpat : *Spiritum Sanctum ex Patre quidem procedentem, per Filium vero communicatum*, ἐκ τοῦ Πατρὸς μὲν ἐκπορευόμενον, δι' Υἱοῦ δὲ μεταδιδόμενον [1]. Et in *laudatione funebri Michaelis Cærularii*, doctrinam Latinorum dicit maximam esse impietatem, hæresi Arii et Eunomii parem, gravissimamque differentiam inter utramque Ecclesiam existentem [2].

### IX. — Theophylactus.

Idem quod Psellus, sentit Theophylactus, Bulgariæ archiepiscopus, alioquin erga Latinos bene affectus et utriusque Ecclesiæ unionis studiosus. In epistola enim *ad Nicolaum diaconum de iis quorum Latini incusantur*, dicit :

« Maximus illorum error, quique juxta Salomonis dictum, *in inferni laqueum incurrere facit*, est innovatio, quam in symbolum fidei induxerunt, enuntiantes Spiritum Sanctum ex Patre et ex Filio procedere..... *In hoc additamento, periculum est maximum.* Qui hoc minime correctum condonat, ipse venia est indignus, etiamsi ex cathedra, quam sublimem sublimes cæteris præponunt, verba faciant; *etiamsi Petri confessionem proferant; quamvis claves regni cælorum nobis quatiant :* quibus quanto honorare ipsum putant, tanto se dehonorant, cum quæ ille constituit, ipsi dissolvant, *et fundamenta subruant Ecclesiæ, quæ ei sustinenda concreditur.* Hac in re, si quis es pugnator alias mitis, succingere gladium spiritus, utere verbo Dei, quod dividit carnem et spiritum,

1. Διδασκαλία παντοδαπή. *P. G.*, t. CXXII, col. 688.

2. Sathas, *op. cit.*, t. I, p. 348 : καὶ τῆς πρὸς ἄμφω διαφορᾶς οὐκ οἶδα εἴ τι μεῖζον καθεστήκοι..... τοῦτο δὲ τὸ ἀσέβημα Ἄρειος μὲν κεκρυμμένως ἐξεῦρεν, Εὐνόμιος δὲ ἀκριβέστερον διωργάνωσεν.

tumorem mundanum et divina mysteria, et damnat fallaces hominum cogitationes [1]. »

Aliquid tamen hac in re Latinis concedere paratus est Theophylactus, si propter linguæ latinæ penuriam et angustiam, *procedere ex Filio* idem illis revera sonat ac *effundi et dari a Filio* [2] :

« Si itaque, inquit, revera pauper es lingua, et vocabulorum inopia laboras, et idcirco verbis distinguere non vales *effusionem* Spiritus vel *communicationem*, τὴν παρὰ τοῦ Υἱοῦ γινομένην χύσιν τοῦ Πνεύματος ἢ μετάδοσιν, (seu quomodocumque aliter quis dicere malit) a *processione*, secundum quam a solo Patre esse habet, ἐκ τῆς ἐκπορεύσεως, καθ' ἣν ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνου τὸ εἶναι τῷ Πνεύματι; ego quidem tibi veniam facile dabo, ut in aliis, hoc est in familiaribus, ac etiam in ecclesiasticis, si velis, sermonibus, vocibus, ut tua tibi lingua concedit, utaris, adjecta tamen congrua declaratione, ne qui audiunt ignorent duplicem inesse eidem dictioni intelligentiam. At in symbolo exprimas processionem ex solo Patre, ἐν δὲ τῷ συμβόλῳ, τὴν ἐκπόρευσιν ἀνακηρύττειν ἐκ μόνου τοῦ Πατρός; ibi enim est confessio fidei nostræ, quam puram, claram ac simplicem esse oportet (talia enim sunt ea quæ creduntur) nihilque confusum, vel obscurum, vel ambiguum in se continere [3]. »

Ut ex hoc loco jam patet, auctor sententiam photianam diserte tuetur. Tam in præfata epistola quam in suis commentariis exegeticis, nonnulla ex Photii dictis refert; hoc autem peculiare habet, quod in missione et effusione Spiritus Sancti per Filium tanquam in operatione a processione æterna penitus diversa ac separata potissimum insistit. Tessera orthodoxiæ illi hæc est : « *Crede tu Spiritum a Patre*

1. Ἔστιν οὖν τὸ μέγιστον ἐκείνων σφάλμα, καὶ τοῦτο δὴ τὸ τοῦ Σολομῶντος ᾅδου πεταύρῳ ποιοῦν συναντᾶν, ἡ ἐν τῷ τῆς πίστεως συμβόλῳ καινοτομία, ἣν ἐποιήσαντο, ἀνακηρύττοντες τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον..... ἔνθα καὶ ὁ κίνδυνος μέγιστος. *De iis quorum Latini incusantur*, 3, 13. *P. G.*, t. CXXVI, col. 225, 242.

2. Jam audivimus, p. 300, *Opusculi contra Francos* auctorem dicentem : « puto eos, ob linguæ angustiam, idem arbitratos esse Sancti Spiritus ex Patre processionem ejusdemque per Filium ad nos missionem. »

3. *Ibid.*, 5, col. 229.

*quidem prodire, per Filium autem dari creaturæ, et hæc tibi erit regula orthodoxiæ* [1]. »

Photii ad instar, ad probandam processionem ex Patre solo, verba Christi jactat : *Qui a Patre procedit* [2]. Hoc verbum ἐκπορεύεται de simplici missione intelligenda non est :

« Cum audieris, inquit, quod *procedit*, ἐκπορεύεται, ne intelligas per processionem missionem, quali emittuntur ministratorii spiritus, sed naturalis subsistentia Spiritus est processio, ἀλλὰ φυσικὴ ὕπαρξις τοῦ Πνεύματός ἐστιν ἡ ἐκπόρευσις. Nam nisi processionem sic intellexerimus, sed externam quamdam missionem, incertum erit de quo spiritu dicat : innumeri enim sunt qui in ministerium mittuntur propter eos qui hæreditabunt salutem. Hoc autem loco singularis quædam et separata proprietas est procedere, uni proprie Spiritui attributa. Non igitur intelligemus per processionem simplicem missionem, sed naturalem ex Patre existentiam. ἀλλ'ἐκ τοῦ Πατρὸς ἔχειν τὴν φυσικὴν ὕπαρξιν [3]. »

Photiana est etiam interpretatio effatorum Apostoli : *Spiritus Filii, Spiritus Christi :*

« Verum scriptum est, inquiunt : *Spiritus Filii* et *Spiritus Christi*. Et ego similia appono, nam Filius est etiam *Spiritus veritatis et Spiritus vitæ;* addam etiam : *et sapientiæ et fortitudinis*. Ita igitur dicitur Spiritus Sanctus, non quod ex Filio profluat, οὐχ ὡς ἐξ ἐκείνου προϊόν, sed quia proprius ipsius est (cognatus enim illi est, et non alienus), et quia in eo conquiescit, et ab ipso dignis immittitur, tribuitur ac donatur, καὶ ὡς παρ'αὐτοῦ τοῖς ἀξίοις πεμπόμενον καὶ χορηγούμενον καὶ μεταδιδόμενον [4]. »

Quod vero attinet ad verba Christi : *De meo accipiet*, Theo-

1. Πίστευε σὺ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς μὲν προϊέναι, δι' Υἱοῦ δὲ χορηγεῖσθαι τῇ κτίσει, καὶ οὗτος ἔσται σοι κανὼν ὀρθοδοξίας. *Enarratio in Joannis evangelium*, cap. III, 32-34. *P. G.*, t. CXXIII, col. 1224 D.

2. « Si ex Filio etiam, ut vos contenditis, procedit, quid prohibuit ne diceret : *qui ex Patre et ex me procedit ?* » *Epist. ad Nicolum*, 3, col. 226.

3. *In Joannem*, cap. XV, 26-27. *P. G.*, t. CXXIV, col. 205.

4. *Epistol. ad Nicol.*, 4, col. 228. Cf. *In Joannem*, III, 32-34, *P. G.*, t. CXXIII, col. 1224, ubi eadem dicit, hoc addens : « Aliud est esse ex quopiam, et aliud esse cujusdam. Spiritus est quidem Spiritus Filii absque dubio, et ab omni Scriptura hoc confirmatur; ceterum, esse ex Filio, nulla Scriptura testatur, ne duo principia Spiritus introducamus Patrem et Filium. »

phylactus non audet quidem aperte verba *ex meo* vertere per *ex meo Patre*, sicut Photius fecit; indirecte tamen in eamdem recidit interpretationem :

« Quia magna quædam dixerat de Spiritu, ne putent aliqui quod major ipso sit Spiritus.... subdit : *Non loquetur a semetipso*, hoc est, *nihil proprium loquetur præter mea*.... Deinde, quia audiverant Dominum dicentem : *Unus vester est magister, Christus,* ne existiment alium fore magistrum Spiritum, subdit : *quia de meo accipiet*, hoc est, ex his quæ novi, et ex mea scientia. Vel et aliter : *de meo*, hoc est, *de meo thesauro*, qui scilicet Patris est. Quoniam enim : *quæcumque habet Pater, mea sunt*, et meæ divitiæ : *Paracletus autem ex Patre loquetur;* verisimiliter dico quod *de meo accepturus est*, hoc est de thesauro et divitiis scientiæ [1]. »

Cum vero audisset Latinos pro sua sententia afferre verba Evangelii : *Insufflavit in eos et dixit : Accipite Spiritum Sanctum*, ab hac difficultate se expedit in hunc modum : « Insufflat autem, et dat eis Spiritum Sanctum, non perfectum donum Spiritus Sancti nunc eis tribuens (hoc enim in Pentecoste daturus erat) sed ad susceptionem Spiritus idoneos eos reddens.... Dicendum autem quod et potestatem quamdam et donum spirituale dedit eis, non ut mortuos suscitent, et virtutes faciant, sed ut remittant peccata.... Post Ascensionem autem, cum ipse Spiritus descendisset, et signorum et aliorum charismatum virtutem eis largitus est [2]....

« Non substantiatio Spiritus, οὐσίωσις τοῦ Πνεύματος, ut ita dicam, erat insufflatio illa ; ceterum neque totus tunc datus est, sed unum tantum donum, scilicet remissionis peccatorum [3]...

« Si tunc dedit discipulis Spiritum quando insufflavit, quomodo postea dixit eis : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti super vos, non post multos hos dies;* vel quomodo in Pentecoste credimus factum descensum Spiritus, si quidem in vespera diei Resurrectionis dedit illum [4] ? »

1. *In Joannem*, cap. XVI, 12-14. *P. G.*, t. CXXIV, col. 213, 216.
2. *In Joan.*, cap. XX, 19-23. *P. G.*, t. CXXII, col. 297.
3. *Epist. ad Nicol.*, 4, col. 228 : μηδὲ ὅλου τότε δοθέντος, ἀλλ'ἑνὸς χαρίσματος, τοῦ τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν.
4. *In Joan.*, cap. III, 32-34, col. 1224. Huic ratiunculæ Theophylacti opponi possunt dicta Patrum hunc locum Scripturæ interpretantium. Spiritus totus datur, quoties mittitur.

Dum theologi catholici, post Patres quum græcos tum latinos, docent missionem temporalem personæ divinæ fundari in processione æterna, hujusque esse quasi externam manifestationem, Theophylactus inter utramque vinculum quodcumque existere negat, imaginaturque Latinos nullum inter processionem et missionem ponere distinctionem :

« Videmini mihi vos, qui cælestia sapitis, non tam animi improbitate, quam ignoratione veritatis errare. Putantes enim idem esse *procedere*, quod *tribui* et *donari*, quoniam reperitur Spiritus a Filio *mitti*, *distribui* et *donari*, nullatenus vos impingere existimatis, si ipsum etiam ex Filio procedere dixeritis. Sed hæc profecto non ita se habent : quin ea omnino differre affirmamus. Siquidem *procedere*, τὸ ἐκπορεύεσθαι, significat modum quo Spiritus Sanctus esse habeat, τοῦ πῶς ἔστι τὸ Πνεῦμα δηλωτικόν. Quemadmodum enim Filius est ex Patre, sed *generatione*, et non alio quocumque modo, ita et Spiritus Sanctus est ex eodem principio, nempe ex Patre, non generatione (non enim sunt duo Filii) sed *processione*. Igitur, procedere est modus, quo Spiritus habet esse a Patre; quod etiam proprietas ipsius esse dignoscitur [1]. *Mitti* autem, *dari* et *donari*, haud significant quomodo Spiritus Sanctus sit; sed his verbis significatur ditatio quædam, ac veluti effusio bonitatis, quæ a Patre quidem habet esse, sed a Filio in dignos effunditur : quibus etiam per Filium apparuisse dicitur; quoniam iis qui Verbum receperunt, non vero iis qui sine Verbo sunt Spiritus apparet; et quoniam hujus divinitatem nulli antea clare cognitam per Filium didicimus ex eo quod eum Patri et sibi in divini baptismatis forma copulavit. Desinamus igitur in unum conferre, quæ diversa sunt, *communicationem* scilicet et *processionem*, et simul conjungere quæ conjuncta non sunt [2]....

« Quod dicit : *Spiritum, quem ego mittam*, æqualitatem erga Patrem significat. Nam alio loco de Patre dixit, quod mittat

1. Cærularii instar, Theophylactus dicit *procedere a solo Patre* esse proprietatem Spiritus, dum Photius et Nicetas dicebant : « *Spirare seu producere Spiritum*, est proprietas solius Patris. »

2. Τὸ δὲ πέμπεσθαι καὶ χορηγεῖσθαι καὶ μεταδίδοσθαι οὐ τοῦ πῶς ἔστι τὸ Πνεῦμα δηλωτικόν, ἀλλὰ πλουτισμός τις ἐν τούτοις δηλοῦται, καὶ οἷον χύσις τῆς ἀγαθότητος, τῆς ἐκ τοῦ Πατρὸς μὲν ἐχούσης τὸ εἶναι, παρὰ τοῦ Υἱοῦ δὲ εἰς τοὺς ἀξίους ἐκχεομένης. *Epistol. ad Nicol.*, 4 col. 228.

Spiritum; hoc autem loco, quod ipse mittat, æqualitatem sane significans. Ne autem videatur obluctari Patri, quasi ab alia potestate mittat Spiritum, addidit : *A Patre*. Nam et ipse quidem mittam, sed a Patre, hoc est, approbante Patre et simul mittente. Non enim ex proprio sinu ipse prius mitto, sed a Patre per me suppeditatur [1]. »

Ab auctoritate Patrum libertate vere photiana his se expedit verbis.

« Si vero ab aliquo ex probatis Patribus hoc edoctum est, *ostende nobis Patrem, et sufficit nobis;* at ostendere non poteris, etiamsi multum diuque fatigeris [2]; si enim probatus, non dixit; et si dixit, probatus non est. Deinde, si hoc tibi daremus, attamen, id quod rarius est, non utique in argumentum trahendum : quod legi quoque vestræ consentaneum est. Si enim ex plurimis theologis de Spiritu Sancto disserentibus nemo quid tale dicat, sed tantummodo per *Filium apparuisse* et *per Filium ex Deo esse*, εἰ μὴ τὸ δι' Υἱοῦ πεφηνέναι· καὶ δι' Υἱοῦ ἐκ Θεοῦ εἶναι [3], reperiatur vero unus vel alter qui contrarium doceat, profecto non illis, sed istis adhærere res est illorum qui spiritu erroris pleni sunt [4]. »

Nec a ratiociniis photianis abstinet, ut ex sequenti loco videre est.

« Si Spiritum Sanctum dari a Filio, diversum non est a processione ejusdem a Patre, duorum alterum sequi necesse est : vel etiam Filium auctorem esse Spiritus Sancti, vel Patrem esse tantummodo datorem, sicut est Filius. Si vero Filius Spiritus Sancti auctor est, jam sunt duo principia

1. Οὐ γὰρ ἐξ οἰκείων κόλπων αὐτὸς προΐεμαι τὸ Πνεῦμα, ἀλλὰ παρὰ τοῦ Πατρὸς δι' ἐμοῦ χορηγεῖται. *In Joan.*, cap. xv, 25-27, col. 205.

2. Alludit certe ad verbum ἐκπορεύεσθαι, quod Patres græci usurpasse non deprehenduntur ad indicandam relationem Spiritus Sancti ad Filium. Hanc provocationem Latinis primus jactarat Photius. Cf. supra, p. 179, 217.

3. Ergo, fatente Theophylacto, quidam ex *probatis* Patribus docuerunt *Spiritum Sanctum per Filium ex Deo esse.* Atqui *per Filium ex Deo esse*, non est idem ac *per Filium ex Deo hominibus dari.* Debuisset utique theologus noster aliquam elucidationem de hac quæstione nobis proferre. Verum nullibi hoc fecit, nec alibi uspiam de Patrum textibus Spiritus Sancti existentiam a Patre per Filium diserte exprimentibus iterum locutus est.

4. *Epistol. ad Nicol.*, 3, col. 226.

unius personæ. Quod autem pluribus principiis opus habet ad existendum, vel majus erit eo, quod ex unico principio esse habet, vel æquale, vel minus. Sed æquale esse non potest; alias esset illud quoque ex uno principio. Restat igitur esse aut majus aut minus. Igitur Spiritus Sanctus aut major erit Filio (et ecce impiam innovationem : nemo enim illorum qui contra Filium audacius insurrexerunt hoc dicere ausus est); vel erit minor, et sic reviviscit Macedonius. Si autem a Patre solummodo datur, quemadmodum a Filio, vel Spiritus Sanctus erit absque omni principio; et sic, ubinam Patris dignitas, ac quomodo proprietas evasit communis ? Vel alium Spiritus Sancti auctorem perquiremus, sicque quaternitas nobis introducetur personarum, et dualitas divinitatum, altera videlicet illorum trium; altera vero quarti illius introducti, qui nobis ex mira ista tua innovatione procedit.

« Præterea, si idem est *procedere* ac *dari*, quæro, quænam alia dictio significat modum, quo Spiritus Sanctus esse habet a Patre ?

« Adhuc : Si Pater major est Filio, propterea quod auctor ejus sit, erit eadem de causa major etiam Spiritu Sancto. Si vero etiam Filius auctor est Spiritus Sancti, erit etiam pari modo major ipso. At ubinam tu reperisti Filium dici majorem Spiritu Sancto ?

« Ad hæc : Si Domini in discipulos insufflatio significat, juxta vos, Spiritus Sancti ab ipso processionem, quæ nempe est totius, ac non unius tantum doni, profecto tunc illis sanctum dedit Spiritum. Ubi ergo quod dixit : *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos* ?

« Rursus : « Si tunc Paracletus datus est per insufflationem, et non tantum donum remissionis peccatorum (solet enim Scriptura etiam dona appellare Spiritus), adventus qui contigit die Pentecostes vel fuit ejusdem Spiritus, et sic fuit superfluus; vel alterius, et quis iste fuerit, inquiremus [1]. »

Suæ doctrinæ summam de processione Spiritus Sancti paucis contractam inseruit Theophylactus *Vitæ sancti Clementis*, Bulgariæ archiepiscopi, ubi doctrinam catholi-

1. *Epistol. ad Nicol.*, 6, col. 229-232.

cam hæreseos nota inurit [1], et Nicetæ Byzantii instar, comparatione ex sole, radio et lumine utitur ad doctrinam photianam insinuandam :

« Nobis unus Deus, et eorum, qui de ipso sunt, unum principium, Pater; pater quidem Filii, productor (προβολεύς) Spiritus, quemadmodum et unus sol est principium radii et luminis aut caloris. *Una porro cum radio lux sive calor constat, sicut cum Filio Spiritus;* radiique lux est, sicut Spiritus Filii. Verumtamen ambo sunt ex uno principio. Et sicut in exemplo, per radium lux aut calor corporali mundo datur, sic per Filium intellectuali creaturæ Spiritus super omnia sanctus tribuitur [2]. »

### X. — Conclusio.

Ex dictis satis constat dogma photianum de processione Spiritus Sancti a Patre solo jam sæculo XI omnino commune, et, ut ita dicam, classicum, Byzantii evasisse. Hujus ævi theologi doctrinam Latinorum non melius cognoscunt quam Photii coævi; ad antiquorum Patrum genuinam traditionem non magis animum attendunt; majorem vero contemptum in Occidentales tanquam in barbaros ignaros, angusta lingua utentes, nutriunt, et qui erga eos melius sunt affecti, illos ut semi-hæreticos habent, a quibus accurata dogmatum notitia exigenda non est. Cæterum, inde a Photio, per duo integra sæcula, nihil fere novi pro illustranda quæstione adinventum est. Theologi hujus temporis nulla vere nova argumentatione scholasticam photianam ditant, sed ab ea omnia fere sua argumenta mutuantur. Vix tanquam proprium sibi vindicare possunt illam districtam inter processionem et missionem separationem, quam nonnisi impli-

1. *Vitam Clementis* codices Theophylacto tribuunt, et jure quidem, cum tota paragraphus octava ex locis hujus auctoris ad processionem Spiritus Sancti spectantibus sit concinnata. Hoc non animadverterat Franciscus Miklosich, quando in præfatione ad novam textus editionem, Vindobonæ, anno 1847, factam, hoc opus archiepiscopo Bulgariæ abjudicavit. Verum est tamen Theophylactum fontibus slavicis uti, illosque passim ad verbum transcribere; unde in quibusdam locis narratio in ore cujusdam coaetanei sancti Clementis ponitur. Cf. nostrum articulum : *L'auteur de la Vie de S. Clément de Bulgarie*, in *Échos d'Orient*, n. 133 (1924), p. 5-8.

2. *Vita Clementis*, 8, *P. G.*, t. CXXVI, col. 1209.

cite Photius docuerat, et ad quam plerumque confugiunt, ut formulam patristicam : « *A Patre per Filium procedit*, utcumque explicent. Unde, sæculo XI exeunte, regula orthodoxiæ byzantinæ hæc est, quam Theophylactus nobis supra tradidit : *Spiritus sanctus a Patre solo procedit, et per Filium creaturæ communicatur.* » Sicut in Ecclesia, ita et in Trinitate, Byzantinis schisma jam perfectum est.

## ARTICULUS V

### De contentione adversus usum panis azymi in Ecclesia latina.

Ut unionis instaurationi inter utramque Ecclesiam viam præcluderet, non tam quæstiones dogmaticas proprie dictas, quam differentias liturgicas et disciplinares, quibus, ut vidimus, Photius senescens valedixerat, prætendit Cærularius. Et hoc quidem ex industria ac arte vere diabolica egit, ut a communione Latinorum animos plebeiorum, quibus quæstiones theologicæ imperviæ sint, facilius absterreret. Inter has discrepantias ad ecclesiasticam praxim pertinentes, usum panis azymi in conficiendo altaris mysterio apud Occidentales omnes receptum, potissimum ursit, huncque primum, ipso suggerente, in epistola ad Joannem Tranensem Leo Achridanus denuntiavit.

#### I. — Usus Latinorum antiquitas.

Denuntiavit autem illum non tanquam aliquam novitatem recenter invectam, sed tanquam abusum intolerabilem et praxim prorsus judaicam. Theologi enim Cæruláriani hujusmodi usus antiquitatem apud Latinos in dubium non vocant; imo eum ab ipsis Apostolorum temporibus originem repetere quidam sat facile concedunt. Sic Nicetas Pectoratus in suo primo libello, quem Humbertus refutavit, quosdam Judæos *in tempore Apostolorum credentes* praxis latinæ auctores arguit [1]. Item Petrus Antiochenus originem aposto-

1. Cf. supra, p. 269.

licam latinæ consuetudinis non negat, quanquam ad illam derelinquendam Occidentales inducere conatur :

« Quod si asseveratis vos a sanctis apostolis Petro et Paulo accepisse azymorum traditionem, in eo quoque cum vestra fraternitate congredimur, et Deo adjuvante, probabimus nonnulla eorum, quæ ab apostolis tradita fuerunt, per ipsos eosdem postea correcta fuisse et ad aliquid magis pium translata, postquam scilicet fides in Christum corroborata est, et Ecclesia per Dei gratiam firmata atque dilatatas Etenim sabbatum pari honore cum Dominica prosequi jusni eramus et servare, nihilque eo die operari : verum hoc nuch nequaquam observatur.... Et quid mirum aut novum, si tunc temporis, cum inciperet Evangelii prædicatio, discipuli, multorum infirmitati sese accommodantes, permiserunt illis ut nonnullas consuetudines suas retinerent.... Ideo, ad tempus, concessa fuere azyma, quoniam ingens tunc Hebræorum multitudo Romam incolebat; quod Liber Actuum Apostolorum indicat. Postea autem, tempore opportuno, hæc etiam sublata sunt [1]. »

Hanc tamen apostolicam originem non admittit auctor *Opusculi contra Francos : Loco panis*, inquit ille, *azyma offerunt, calumnianturque apostolum Petrum et sanctos Patres romanos Pontifices auctores exstitisse talis traditionis* [2].

Nicetas ipse insinuat usum azymorum Roomæ cessase, tempore concilii sexti, cui præfuit papa Agatho; confundit nempe concilium œcumenicum sextum cum synodo Trullana, cujus recitat canonem XI, qui ceterum usum azymorum in conficienda Eucharistia non damnst, sed solum prohibet azyma a Judæis accipere [3].

Quidquid de antiquitate usus azymorum in Ecclesia latina polemistæ græci opinati fuerint, certum est illum non solum multo ante Cærularium, verum etiam ante Photium viguisse. Cum enim quidam critici, ut Sirmondus [4], ex silentio Photii arguerent hunc usum nonnisi post sæculum IX in Ecclesiam

1. *Petri Antiocheni epistola ad Dominicum Gradensem*, 24, 25. *P. G.*, t. CXX, col. 778-779.
2. Hergenröther, *op. cit.*, p. 64.
3. *Libellus contra Latinos*, 10. *P. G.*, t. CXLIII, col. 979.
4. In sua *disquisitione de azymo*, Parisiis, 1700.

occidentalem introductum fuisse [1], Mabillonius in sua *Dissertatione de pane eucharistico, azymo ac fermentato* [2], indubitatis testimoniis probavit eum, initio saltem sæculi IX, in toto Occidente jam communem evasisse. Unus audiatur testis, Rabanus scilicet, Moguntinus archiepiscopus († 856), qui in suo opere *De ecclesiasticis officiis*, anno 819 conscripto, postquam retulit Christum in cœna adhibuisse panem azymum, sic infert : *Ergo panem infermentatum et vinum aqua mixtum in sacramentuum corporis et sanguinis Christi sanctificari oportet* [3].

« Neque dici potest, ait Mabillonius, Rabani testimonium valere solum pro Germania, in qua receptus erat eo tempore azymorum usus. Rabanus siquidem in præfatione istius operis pollicetur acturum se *De officio Missæ secundum morem romanæ Ecclesiæ*. Et in lib. I, cap. XXXIII, relatis omnibus rei sacræ ritibus, postquam de azymorum usu egerat, hæc subdit : « Istum ergo ordinem ab Apostolis et apostolicis viris traditum Romana tenet Ecclesia. et *per totum pene Occidentem omnes Ecclesiæ eamdem traditionem servant.* Ex quibus manifestum esse puto azymos non tantum in Germania, verum etiam *in Ecclesia romana et per totum pene Occidentem* in usu fuisse, anno 819, quo istud opus conditum

1. Hanc opinionem multi polemistæ græci posteriores suam fecerunt. Silentium Photii de azymis non una ratione explicari potest. Primum quidem schismatis pater completum discrepantiarum liturgicarum vel aliarum inter utramque Ecclesiam existentium catalogum texere nunquam sibi proposuisse videtur; secundo, circa finem vitæ suæ, hujusmodi criminationes omnino missas fecit; tertio, in cod. CXVI *Bibliothecæ*, singularem opinionem referens cujusdam anonymi (verisimiliter Joannis Philoponi) Christum pascha legale non manducasse asserentis, hæc subdit : *Hoc sane consideratione dignum, cum Chrysostomus et Ecclesia doceant Christum tunc legitimum Pascha perfecisse, antequam mysticam cœnam institueret*, Ὁ γὰρ Χρυσόστομος καὶ ἡ Ἐκκλησία καὶ τότε φασὶν αὐτὸν ἐπιτελέσαι τὸ νομικὸν πρὸ τοῦ μυστικοῦ δείπνου. *P. G.*, t. CIII, col. 393 A. Quicumque autem Christum cœnam legalem perfecisse pro certo habet, cœnam mysticam in azymo institutum fuisse ægre infitiari potest; et si hoc admittit, quomodo azyma impugnabit ?

2. Hanc dissertationem invenies apud *P. L.*, t. CXLIII, col. 1219-1278.

3. *De ecclesiasticis officiis*, cap. XXXI; *P. L.*, t. CVII, col. 318. Cf. col. 319.

est, neque recens fuisse inventum, sed id *ab apostolis et apostolicis viris promanasse* [1]. »

### II. — Utrum Michael Caerularius et polemistæ græci sæculi XI validitatem consecrationis in pane azymo negaverint.

Ex dictis ergo constat contentionem de azymis a Michaele Cærulario excitatam non ex usus novitate, sed ex mera in Latinos simultate ortam fuisse. Num vero Græci eo usque devenerint, ut validitatem consecrationis in pane azymo negarent, non facile dignoscitur. Certe Nicephorus ille [2] Cærularii sacellarius, qui « Latinorum sacrificium, ut ait

1. *De azymo et fermentato*, cap. IX. *P. L.*, *loc. cit.*, col. 1267. Præcipua testimonia, ex quibus colligitur panem azymum in usu fuisse apud Occidentales ante Photium, sunt sequentia : 1° S. Beda Venerabilis († 735) ad usum azymorum in Anglia sat aperte alludit, dum in commentario Evangelii secundum Lucam dicit : « Pascha dies in azymis panibus est celebrari præceptus, et nos quasi pascha perpetuum facientes, semper ex hoc mundo transire præcipimur. » *P. L.*, t. XCII, col. 593. Et paulo infra : « Sacramenta legis observare non cessat, donec tempore præfixo... mundissima sui corporis et sanguinis mysteria in crucis altari consecrata, quasi azyma terræ repromissionis imbuendis fidelibus offerat; » col. 595; 2° Alcuinus († 804) non solum pro Anglia. verum etiam pro tota Ecclesia occidentali testimonium dicit in *Epistola ad fratres Lugdunenses*, ubi quosdam Hispanos redarguit censentes salem miscendum esse in materiam panis eucharistici : « Quam consuetudinem, inquit, nec universalis observat Ecclesia, nec romana custodit auctoritas. Tria sunt, quæ in sacrificio offerenda sunt, panis aqua et vinum; *panis autem qui in corpus Christi consecratur absque fermento ullius alterius corruptionis debet esse mundissimus... Ex aqua et farina panis sit qui consecratur in corpus Christi.* » *P. L.*, t. C, col. 289. 3° Paschasius Ratbertus († 865) in libro *de corpore et sanguine Domini*, anno 831 conscripto, panem eucharisticum vocat *conspersionem*, et *panem aqua conspersum*. Atqui vox *conspersio* massam farinæ expertem fermenti significat : « Conspersio, ait Joannes Genuensis, est farina per aquam conglutinata sine fermento. » *Liber de corpore et sanguine Domini*, XX, *P. L.*, t. CXX, col. 1331, 1332. 4° Jam concilium Toletanum XVI (596) probabilissime panem azymum in suo sexto canone his significaverat verbis : *Non aliter panis proponatur nisi integer et nitidus, qui et studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod ecclesiastica consuetudo retentat*, Labbe, *Concilia*, t. VI, col. 1340, 1341.

2. Sacellarius Cærularii vocatur « Constantinus » apud Humbertum, in sententia excommunicationis, *P. L.*, t. CXLIII, col. 1004; in edicto vero synodali Michaelis, *P. G.*, *t. cit.*, col. 740, nominatur Nicephorus.

Humbertus[1], profanis conculvavit pedibus,» invalidam habebat consecrationem in azymo. Leo autem Achridanus idem sentire videtur, dum dicit : « Azyma neque commemorationem habent Domini, neque mortem ejus annuntiant, utpote mosaica, et per Novum Testamentum, seu per Evangelium abrogata [2]. »

Et in secunda epistola ejusdem a canonista Pavlov edita : « Azyma, inquit, ad salutem consequendam nihil valent [3]. » Nicetas Pectoratus in quibusdam locis validitatem consecrationis latinæ omnino negat; in aliis vero, docet transsubstantiationem panis azymi in carnem Christi mortuam. In primo enim libello contra Latinos, hæc habet : « Qui azymorum adhuc sunt participes, sub umbra legis sunt, et Hebræorum mensam comedunt, non autem rationalem Dei mensam... Qui in lumine gratiæ ambulant panem comedunt qui est corpus Christi, et bibunt ejus sanguinem immaculatum, et ita habent ad invicem et cum Christo societatem, purificati, sicut dictum est, ab omni inquinamento. Azymum autem non est panis [4]. »

In secundo vero tractatu in Armenios et Latinos directo, dicit : « Qui adhuc azyma comedunt in antitypum corporis Christi, *mortuam carnem edunt, et non vivam...* Non panem sed azymum in vestris mysteriis manducantes, *mortuam*, sciatis, *editis carnem... Quid vobis poterit esse gravius, si carnem inanimatam editis, et canibus comparamini, qui cadavera devorant* [5]? »

Loquiturne serio Nicetas? Quis nobis rem aperiet? Idem gravitatis et sinceritatis defectus etiam apud Petrum Antiochenum deprehenditur. Dum enim ad Dominicum Gradensem scribit, maximam in usum Latinorum severitatem simu-

1. Col. 1004.

2. Τὰ δὲ ἄζυμα οὔτε ἀνάμνησιν ἔχουσι τοῦ Κυρίου, οὔτε καὶ θάνατον αὐτοῦ καταγγέλουσιν. *Epistol. ad Joannem Tranensem. P. G.*, t. CXX, col. 840.

3. Pavlov, *Critica tentamina de historia antiquissimæ græco-russicæ polemicæ adversus Latinos*, Petropoli, 1878, p. 146-151. De authenticitate hujus secundæ epistolæ, sicut et tertiæ ejusdem Leonis Achridani, dubitandi remanet locus.

4. *Libellus contra Latinos*, 2. *P. G.*, t. CXX, col. 1012-1013.

5. *De fermentato et azymis contra Armenios*, 13. Hergenröther, *op. cit.*, p. 151-152.

lat, et dicta Pectorati repetit : « Participem esse azymorum est participem fieri veteris sacrificii, non autem Novi Testamenti... Quomodo non absurdum est id quod imperfectum. *mortuum, inanimum est*, in viventem et vivificam carnem Domini Servatorisque nostri Jesu Christi excipi per eos, qui in ipsum credunt? *Non ergo ita, fratres, in magna hac re periculose vos geratis... Si azyma manducabitis, Christus vobis nihil proderit*, quoniam hæc statuta sunt in recordationem fugæ in Ægyptum, non autem salutaris Christi passionis... *Qui azymis in Missa utuntur carnem mortuam, non autem viventem offerunt*[1]. »

Hæc ad Dominicum Petrus scribit, postquam Gradensis patriarcha, lecta Achridani epistola, moderate ac sapienter ei sequentia dixit : « Reprehendunt sacratissima azyma, quæ in corpore Christi sanctificamus ac sumimus; atque in hoc nos expertes illius corporis astruunt, et ab unitate Ecclesiæ judicant separatos, quod nimirum absque mistione fermenti Eucharistiam sacrificemus. Ubi nos, unitatem Ecclesiæ sine quolibet schismate servare cupientes, maxime quidem azymorum consuetudinem retinemus, quam non solum ab Apostolis, verum etiam ab ipso Domino accepimus; verum, quia fermentati panis sacra commistio a sanctissimis orthodoxisque Patribus orientalium Ecclesiarum accepta creditur ac legitime retenta, utramque consuetudinem fideliter intelligamus, intellectuque spiritali salubriter confirmemus. Nam fermenti et farinæ commistio, qua Orientis utuntur Ecclesiæ, incarnati Verbi declarat substantiam; simplex vero massa azymorum, quam romana tenet Ecclesia, puritatem humanæ carnis, quam placuit divinitati sibi unire, citra controversiam repræsentat[2]. Itaque redargui debent a vestra

1. *Epistola ad Dominicum Gradensem*, 8, 9, 11, 23. *P. G.*, col. 764, 768, 778 : Ἐὰν ἄζυμα ἐσθίητε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει — Οἱ τὰ ἄζυμα προσκομίζοντες νεκρὰν σάρκα καὶ οὐχὶ ζῶσαν προσφέρουσιν.

2. Hanc prudentissimam æquissimamque controversiæ solutionem semper retinuit ac proposuit Ecclesia romana; huic adhæserunt theologi latini, qui a Græcis in hac quæstione nihil amplius postularunt, nisi, ut suum usum servantes, alienum non carperent. Unus audiatur S. Anselmus : « Quod agunt Græci non est contra fidem christianam. Nam et azymum et fermentatum sacrificans panem, sacrificat... Uterque pariter panis est. Non enim differunt azymus et fermentatus substantialiter, ut quidam putant. » *De azymo et fermentato*, cap. I. *P. L.*, t. CLVIII, col. 541.

paternitate qui adeo impudenter sacris apostolicisque sanctionibus contradicunt; et in quo aedificare arbitrantur, non solum ædificata destruunt, sed et ipsum fundamentum effodiunt. Frustra quippe beatissimi Petrus et Paulus in Italia prædicarunt, si occidentalis Ecclesia beatitudine sempiternæ vitæ privatur; ad quam nemo perveniet, nisi particeps fuerit corporis et sanguinis Christi, sicut ipse contestatus est : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan., VI, 53). Si ergo infermentati panis oblatio corpus Christi non est, omnes nos alieni sumus a vita [1].

His lectis, Petrus errorem circa veram Græcorum mentem, si revera error esset, Dominico eripere debuisset; at vero tantum abest, ut hoc faciat, ut etiam Dominicum in sua sententia confirmet, dum ipse consecrationis validitatem in azymo respuere videatur. Mirare tamen Græci versutiam, qui paulo post, Cærulario rescribens, aiebat :

« Quæstio de azymis, quemadmodum novit sanctitas tua, in cujus manus pervenit, quam ad Venetiarum pontificem misimus, epistola, jam sufficienter nobis examinata est, resque, tanquam quæ secundum Ecclesiæ ordinem minime fiat, eversa est, et confutata; nisi canonico hoc effato innixi : *Visum est omnibus, antiquis utendum esse consuetudinibus* [2], illi asserant apud se antiquam esse azymorum traditionem...

« Si inferiores nostros ad obœdientiam cogere nequimus, quo pacto illam gentem superbam altæque cervicis a suis poterimus consuetudinibus revocare? Bene erit, ut dixi, si Deus apud eos recte prædicetur, atque secundum veritatem laudetur et glorificetur communi nobiscum sententia... *Ut meam promam sententiam, si additionem ad symbolum correxerint, nihil aliud postulaverim, indifferentem relinquam una cum aliis etiam de azymis quæstionem*, quanquam evidenter probavi, per ea quæ ad episcopum Venetiarum misi, ante Pascha cœnam contigisse, in qua Salvator et Dominus noster Jesus Christus divinorum mysteriorum discipulis tradidit

1. *Epistola ad Petrum Antioch., P., G.*, t. CXX, col. 753.

2. Hoc est ipsissimum decretum synodi photianæ supra, p. 223, relatum. Utinam huic stetissent Græci posteriores !

sacramentum, quo tempore non solebat in lege azymum manducari [1]. »

Ergo, præ suo ecclesiasticæ unitatis amore, perspiciensque schismaticum Cærularii animum, Petrus Antiochenus quæstionem de azymis inter ἀδιάφορα tandem recensuit, qui aliquando ipsam consecrationis in azymo validitatem negare visus est.

Facilem in hac quæstione se præbet Theophylactus, qui suorum gentilium intolerantiam his castigat verbis :

« Quoniam de azymorum oblatione plerisque ingens est zelus, et igne, ut dici solet, ferventior, adeo ut potius vitam quam suam de istis opinionem desererent (sic enim nonnulli propriæ passioni indulgent, quod judicium et laqueus diaboli Paulo censetur) : quæ quidem ad hos dicere oporteat, inferius declarabimus, ubi aliorum quidem zeli immoderantiam castigabimus; aliis vero ostendemus vile et abjectum esse quidquid humilitate caret... Quæ igitur sententia mea est? *Dominum comedisse legale Pascha prius, deinde mysterium Paschatis suis tradidisse discipulis, nempe ex pane, qui tunc repertus est; repertus autem est azymus.* At non propterea quod panis ille azymus fuerit necessitate a lege inducta, nunc etiam nos qui libertate in Christo fruimur, necessario azymum offeremus, rejecto fermentato. Si enim ita se res habeat..., quoniam verisimile est, imo plus quam verisimile, panem illum viliorem fuisse, et fortasse hordeaceum (neque enim delicati cibo erant convivator neque convivæ, et alias frugalitati, et præsertim hordeaceis panibus assueti, ex quibus etiam aliquot hominum millia saturarunt, ut hinc discas frugalitatem etiam prodigia operari), cur igitur etiam nunc non talem quæremus, et præsentem similagineum procul ab altari amandabimus? quasi etiam modo Dominum audiremus dicentem : *Si offeratis similam, vanum est.* Idem de calice dicere possumus, quoniam fortasse illud fuit vini aqua diluti, vel etiam vapidi (hoc ex alio sequitur, nec infra Dei humilitatem est); nunc vero vinum generosum et odoriferum sæpe offertur; anne ergo hoc quidem abjiciemus pre-

1. *Epistola ad Michaelem*, 15, 17, 22. *P. G.*, t. cxx, col. 808, 809, 812-813 : εἰ τὴν ἐν τῷ ἁγίῳ συμβόλῳ προσθήκην διορθώσαιντο, οὐδὲν ἂν ἕτερον ἐπεζήτουν, ἀδιάφορον καταλιπὼν σὺν τοῖς ἄλλοις καὶ τὸ περὶ τῶν ἀζύμων ζήτημα.

tiosum, illud vero seligemus quod frugalitatem redolet? Quid vero? Etiamne ex Palæstina ipsum procurabimus, et ex eodem agro, ex quo illud erat quod Domini calicem implebat? Addam, si hoc non sit nugas congerere, etiam ex eadem amphora?... Quin etiam et tu post cœnam et recumbens hocce mysterium sumes, et cœnaculum etiam ad hoc requires, et alia, quæ tunc quidem in usu erant, temporis conditione ita exigente, nunc vero in aliam formam sunt translata, pietate ita præscribente ac fide [1]? »

Postquam hæc scripsit, conatur quidem Theophylactus ostendere apostolos panem fermentatum plerumque adhibuisse in dominicæ cœnæ celebratione, et Latinos arguit quod audacter ab antiqua traditione recesserint nolintque aliarum Ecclesiarum consuetudinem sequi; verumtamen hunc in modum tandem concludit : « Nos quidem refugimus molestiam vobis hac de causa creare, vestramque æmulationem ac contentiosum animum irritare [2]. »

Ex his patet cordatiores Græcos validitatem consecrationis in azymo non negasse, alios vero ambigua vel contradictoria de hac quæstione protulisse.

### III. — Præcipua argumenta Græcorum contra azymum ac pro fermentato, Latinorumque ad hæc responsiones.

Paucis hic contrahere præcipua argumenta Græcorum contra azymum ac pro fermentato non abs re erit. A primis enim istis polemistis posteriores Latinorum adversarii sua tela in usum azymorum plerumque mutuati sunt. His autem insectationibus acriter respondit cardinalis Humbertus, mitius sanctus Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus. De hujusmodi responsionibus quædam etiam subjiciemus, ut lectori sit manifestum nostros argutias nugasque Byzantinorum victrici modo retorsisse ac retundisse [3].

1. *Epist. ad Nicolaum*, 8. *P. G.*, t. CXXVI, col. 232-236.

2. Ἡμεῖς μὲν γὰρ εὐλαβούμεθα τούτου γε ἕνεκα πράγματα παρέχειν ὑμῖν ,καὶ προσερεθίζειν τὸ φιλότιμον καὶ φιλόνεικον. *Op. cit.*, 9, col. 237.

3. Documenta græca ex quibus eruimus materiam hujus compendii ad initium controversiæ referuntur, suntque sequentia : 1° Leonis Achridani, *Epistola ad Joannem Tranensem*, in *P. G.*, t. CXX, col. 835-844, vel apud C. Will, *op. cit.*, p. 56-70. Duæ aliæ epistolæ (vel potius

Quemadmodum Photius, ut doctrinam catholicam de processione Spiritus sancti convellat, a quibusdam axiomatibus a se excogitatis exorditur, super quibus totam suam fundat argumentationem, ita etiam theologi Cærulariani quædam de pane azymo effata a priori ponunt, quorum ope argumenta texunt conclusionesque colligunt. Hujusmodi autem effata sunt ista tria :

1° *Azymus non est panis*, ἄρτος, *veri nominis;*

2° *Azymus est res mortua et inanima;*

3° *Azymus est res judaica ad veterem legem pertinens et in Novo Testamento vetita.*

### 1° Azymus non est panis veri nominis

Hoc effatum axiomatis instar habent quum Leo Achridanus, tum Pectoratus et Petrus Antiochenus. Ut hoc statuat, ad etymon confugit Pectoratus, vocemque « ἄρτος » ad adjectivum « ἄρτιος » (= *perfectus*, *completus*), refert :

« Azymum, inquit, non est panis, ἄρτος. Neque enim perfectus, ἄρτιος, neque per se completus est, sed deficiens, semiperfectus, complementoque, fermento scilicet, indigens. Ἄρτος autem est perfectus, ex se completus, absolutus et plenissi-

*sermones;* non enim formam epistolæ præ se ferunt) eidem Leoni tributæ, et in Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, secunda series, t. III (1886), p. 421-427, et t. IV (1887), p. 150-162 editæ, valde suspectæ nobis videntur; cæterum nullum fere momentum theologicum habent; 2° Nicetæ Pectorati tractatus duo : primus *contra Latinos*, *P. L.*, t. CXLIII, col. 973-984, et *P. G.*, t. CXX, col. 1011-1022; alter *adversus Armenos et Latinos*, apud Hergenröther, *Monumenta ad Photii hist. pertinentia*, p. 139-144; 3° Petri Antiocheni, *Epistolæ ad Dominicum Gradensem et Michaelem Cærularium*, *P. G.*, t. CXX, col. 755-782; 795-816; 4° Pseudo-Athanasii, *Libellus de azymis*, quem sub nomine Epiphanii laudat Nicetas Pectoratus, in tractatu contra Armenos, p. 148; *P. G.*, t. XXVI, col. 1328-1332; 5° Pseudo-Damasceni, *Libellus de azymis*, *P. G.*, t. XCV, col. 388-396; 6° Theophylacti, *Epistola ad Nicolaum*, *P. G.*, t. CXXVI, col. 221-250, et commentaria in Evangelia, *P. G.*, t. CXXIII-CXXIV. Responsiones Latinorum haurimus ex *Confutatione primæ epistolæ Leonis Achridani* ab Humberto conscripta, *P. L.*, t. CXLIII, col. 931-974; ex *Contradictione ejusdem in primum libellum Nicetæ;* et ex *Dissertatione sancti Anselmi de azymo et fermentato*, *P. L.*, t. CLVIII, col. 541-548. In secundo nostro volumine, de hac controversia iterum agemus ex documentis sæculo XI inferioribus, quatenus aliquid novi in illis invenire est.

mus, utpote in se habens quidquid est plenitudinis. Si quis vero azymum tortulam vocaret, qualem Elias olim a Sunamitide petebat, vel collyrida, quam pueri apud nos collicium vulgo nuncupant, haud a recto aberraret [1]. »

Eadam habet Petrus Antiochenus [2].

Ex hac acceptione vocis « ἄρτος » nostri, polemistæ illico colligunt Christum Eucharistiam non in azymo, sed in fermentato instituisse, quia tum Evangelistæ, tum sanctus Paulus uno ore dicunt : *Accepit Jesus panem*, (ἄρτον) :

« Non enim azyma accipiens Dominus ac gratias agens fregit deditque discipulis, ait Nicetas [3], sed panem (ἄρτον), ut quatuor Evangelistæ et divus Paulus apostolus testantur. Vos igitur unde azyma comedere ut corporis Christi antitypa accepistis, quum universa fidelium Ecclesia panem in sacrificium Christo offerat? An a Christo, an ab ejus apostolis? Absit. Nuspiam enim dictum est in sacris Litteris vel in Evangelio, Christum ea nocte, qua tradebatur, accepisse azymum, sed panem (ἄρτον). »

Sed illis hoc affirmantibus gravissima occurrit difficultas. Etenim si Christus in pane fermentato instituit Eucharistiam ac missæ sacrificium, unum de his tribus est dicendum :

a) Vel Christus Pascha legale non celebravit, sed ante primum diem azymorum, communi cœna peracta, sacramentum sui corporis in pane fermentato suis discipulis tradidit :

b) Vel agnum paschalem, die statuto, ritibus legalibus servatis — ergo cum azymis — manducavit; postea vero contra legis præceptum, fermentatum pro institutione Eucharistiæ adhibuit;

c) Vel demum Pascha legale uno die anticipavit, et cum azymis comedit; quo expleto, in pane fermentato, qui nondum a lege prohibebatur, novum Pascha instituit.

1. Τὸ δὲ ἄζυμον οὐκ ἄρτος· οὐ γὰρ ἄρτιον, οὐδὲ αὐτοτελές ἐστιν, ἀλλ' ἐλλιπὲς, ἡμιτελὲς, δεόμενον τοῦ πληροῦντος, τῆς ζύμης. Ἄρτος δὲ ἄρτιος, αὐτοτελὴς, τέλειος καὶ πληρέστατος, ὡς τὸ ὅλον ἔχων ἐν ἑαυτῷ, δηλαδὴ τοῦ πληρώματος. *Contra Armenios*, 3, *loc. cit.*, n. 142. Cf. *Contra Latinos*, 2. *P. G.*, t. xx, col. 1013.

2. *Epist. ad Dominicum*, 9, col. 765 A.

3. *Contra Armenios*, 2, p. 139-140. Cf. Leonis Achid., *Ad Joan. Tranensem*, col. 836-837; Petri Antioch., *Ad Dominicum*, 15, 16, col. 770.

Primam sententiam tuentur Nicetas Pectoratus, Petrus Antiochenus, Leo Preslaviensis, Pseudo-Athanasius et Pseudo-Damascenus. Hæc est, ut ita dicam, thesis classica Byzantinorum, initio controversiæ. Hanc diversis rationibus stabilire nituntur Nicetas et Petrus Antiochenus. Et sane mirandum est quod hi Byzantini sententiam Philoponi tam facile amplexati fuerint contra communem Ecclesiæ sensum, de quo Photius sæculo IX scripserat : *Chrysostomus et Ecclesia docent Christum tunc legitimum Pascha perfecisse, antequam mysticam cœnam institueret* [1].

Ad hoc certe rationibus polemicis adducti sunt, ut azymorum usum expeditius impugnarent. Docent ergo isti die decima tertia mensis Nisan Jesum altaris sacrificium et sacramentum in pane fermentato instituisse, atque die decima quarta ejusdem mensis, ad vesperam, quando agnus paschalis mactandus erat, cruci affixum fuisse; imo primam diem azymorum esse decimam quintam Nisan, quæ non sub vesperum, sed a media nocte inciperet [2], ita ut nullo pacto Christus azyma in promptu habere potuerit :

« Ante festum azymorum, ait Pectoratus, id est decima tertia die mensis, Christus hoc fecit. Nam quinta decima mensis die, ut legislatio habet Moysis, erat festum azymorum, et Christus feria sexta crucifixus est, die decima quarta mensis, quando debebant Judæi immolare agnum, die vero sabbato, mensis die decima quinta, cum esset festum azymorum, in monumento jacuit sepultus. Azyma ergo cum non essent ante festum azymorum (in toto enim anno septem diebus iisque solis Judæi ipsa manducabant), ubi reperta sunt azyma, quando cum discipulis suis cœnam comedit Dominus, et post cœnam per panem novi sui Testamenti mysterium tradidit? Quando vero ea comedit? An postquam crucifixus ac sepultus est, et in ipso sepulcro [3]?

« Non erant azyma in feria quinta, cum esset luna decima tertia, et non quartadecima. Secundum quintam decimam lunam fuerat institutum azyma fieri, sicut et agnum ad

1. Vide, p. 313, nota 1.

2. Hoc certe contradicit huic loco libri Exodi, cap. XII, v. 18 : *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.*

3. *Contra Armenios*, 9, *loc. cit.*, p. 147-148.

vesperam quartæ decimæ diei jussum esse immolari; quo tempore immolatus est Christus, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi [1]. »

Ut suam sententiam fulciat Nicetas provocat tum ad textum Levitici, cap. XXIII, 4-6, tum ad Evangelium Joannis, cap. XIX, 31. Insuper hæc addit : « Atque hoc liquet ex eo quod *recubuit;* non enim hoc lege præceptum erat, quum lex Judæos stantes, calceatos et præcinctos manducare cum festinatione Pascha juberet [2].

Petrus Antiochenus ex Evangelio sancti Joannis argumentum potissimum sumit, et difficultatem, quæ ex evangeliis synopticis oritur, mirum in modum solvit :

« Per id quod dilectus discipulus dicit : *Ante diem festum paschæ*, et *Cœna facta*, aperte ostendit feria quinta non occurrisse Pascha; verum quædam dispensatio facta est, ut, quia nocte illa prodendus erat, discipulis traderet divinæ mystagogiæ sacramentum... Nullam ergo tibi pariant de tempore difficultatem ac dubitationem quæ ab aliis evangelistis dicta sunt, nempe, a Matthaeo quidem : *Prima autem die azymo-*

1. *Contra Latinos*, 8. *P. G.*, *loc. cit.*, col. 1016. Notandum est in *tractatu contra Armenios*, 11, p. 149-150, aliam explicationem occurrere huic primæ omnino contrariam. Ibi enim dicitur Christum cœnam mysticam celebrasse die decima quarta mensis, qua et plenilunium de facto occurrebat, divinitus autem accidisse ut, hoc anno, signum consuetum adventus plenilunii a testibus legalibus Judæis non daretur, morem vero Judæis fuisse azyma, ante datum signum, non præparare : « Priusquam signum fieret et sonaret tuba, azyma præparare et Pascha comedere lege haud concessum fuit. Quapropter Dominus in die illa feriæ quintæ, in qua plenilunium fieri debebat, et tamen non factum est, recumbens proprium Pascha discipulis tradidit, et vetus evacuans de medio sustulit. Judæi ergo, cum perdidissent normam de tempore Paschatis, eo quod Dei judicio signum datum non fuit, postquam Dominus sepulcro tumulatus fuit, vespere feriæ sextæ contra legem azyma comederunt, ita ut manifestum inde sit, feria illa quinta, panem exstitisse, non azyma. » Hanc explicationem sat intricatam de industria commentus est Nicetas, vel potius aliquis ejus operis interpolator, ut a difficultate ex textu libri Exodi, cap. XII, 18, petita, se expediret. Nec contradictione immunis est ipsa hæc adinventio; nam ex una parte, p. 149, plenilunium dicitur occurrisse die decima quarta mensis cum dimidio; ex alia vero, p. 150, idem die decima quarta evenisse; nisi dicendum sit textum ab Hergenröther editum esse corruptum; nam, ut jacet, est pene inintelligibilis.

2. *Contra Armenios*, 7, p. 145-146.

*rum*, etc... Hæc trium evangelistarum dicta nullam habent repugnantiam et dissonantiam cum dicto isto Joannis Evangelistæ : *Ante diem festum Paschæ*, et quæ sequuntur. *Siquidem per primam diem azymorum divina Evangelia* dant nobis intelligere *diem decimum mensis primi, utpote proparasceven quamdam Paschæ*, προπαρασκευήν τινα οὖσαν τοῦ Πάσχα, una cum tribus aliis diebus, undecima, duodecima et decima tertia, quemadmodum in libro Exodi, cap. XII, 1-3, 6, descriptum est... Apud Hebræos quaternitas illa dierum erat quædam προπαρασκευὴ Paschæ legalis...

« Et alii quidem Evangelistæ evangelicum nuntium Joannis Theologi legere non potuerunt, quippe qui prius vita excesserunt. Joannes vero, cum admodum longævus exstiterit, illorum vidit volumina, et sub vitæ finem, in Patmo insula divinitus motus, evangelium suum, Domitiano imperante, conscripsit, atque multa quæ illi aut obscurius retulerant, aut penitus omiserant, ut Lazari miraculum, tempus cœnæ, aliaque nonnulla explanavit ac manifestavit. Desinite, per Deum oro, adversus adeo manifestam veritatem repugnare, quodque nos Ecclesiæ alumni faciendum accepimus, hoc vos etiam facite, quatuor sacros patriarchas secuti, quoniam plurium suffragium prævalet, unus vero, nullus [1]. »

Sic Antiochenus, qui ceterum in hac epistola non sibi ipsi omnino constat [2].

Secundam opinionem sequi videtur Leo Achridanus ; Christus, inquit, legale Pascha prius celebravit, postea hoc abrogans, novum nostrum instituit [3]. Hanc expresse docuit Nicetas Nicaenus in quodam *libello contra Latinos* [4]. Ad hanc alludit cardinalis Humbertus in *Confutatione epistolæ Achridani*. Cum enim a Græcis quæreret, undenam Dominus

1. *Epistola ad Dominicum*, 14, 19-21.

2. Primum quidem Petrus dicit : « Vespera Parasceves, *in qua azymorum incipiebat festum*, accesserunt ad Pilatum; » postea vero subdit : « Neque erant azyma per illam feriam quintam, quandoquidem luna decimum tertium agebat diem; solebant siquidem *decima quinta lunæ azyma confici, quemadmodum et agnus decima quarta mactabatur*, in qua mactatus est Christus, Agnus Dei. » Col. 770, 772.

3. Καὶ τὸ νομικὸν Πάσχα ἐτέλεσε πρότερον, εἶτα, ἐκεῖνο καταπαύσας, τὸ ἡμέτερον ἐκαινούργησε. *Epistola ad Joan. Tranensem*, col. 836.

4. Pavlov, *op. cit.*, p. 142-143.

panem fermentatum in cœna habuerit, cum jam esset prima dies Azymorum, illi responderunt : « Si creditur omnipotens, potuit subito undecumque fermentatum exhibere, aut certe ipsum azymum benedicendo fermentare [1]. »

Tertiam opinionem expressis verbis docuit Euthymius Zigabenus, qui circa finem sæculi XI et initio sæculi XII florebat [2]. Eamdem quibusdam tribuit Theophylactus, qui in hac quæstione cum Latinis omnino sentit, optimeque confutat suorum gentilium placita :

« Ad Latinos quod attinet, inquit ille, non nos prave illis interpretabimur *primam diem azymorum*, dicentes hanc esse *decimam* mensis, qua sumebatur agnus. Novimus enim a lege *primam diem azymorum* dici *decimam quintam*, circa quam illuscescit nox in qua Pascha comedebant. Unde et ex nostris doctoribus quidam, interpretans diem ab evangelista dictam *primam azymorum*, ait *primam azymorum* a Matthæo dici *diem quæ azyma præcedit*, sciens quidem ille cui diei nomen istud lex imponeret, at insinuans novo quodam sensu ab evangelista hoc dictum esse. At neque dicemus Dominum vel Pascha legale non perfecisse, ut sic neque azymis usum esse ostendamus; vel perfecisse quidem, sed ante diem qua fermentum exterminabatur, ut et tunc quoque panis fermentatus reperiretur. *Hæc enim nonnulli nimis audacter dixerunt.* At ipse nihil horum in medium afferam : *neque enim fas est velle mysteria veritatis mendacio confirmare.* Et ego sane, cum Christus Dominus sit *via et veritas*, neque a via

1. *Adversus Græcorum calumnias*, 16, col. 943 A. Secunda opinio occurrit etiam in quadam recensione posteriori *opusculi contra Francos*, quæ in codice Monacensi *551* asservatur : Ὁ Χριστὸς καὶ Θεὸς ἡμῶν τὸ ἰουδαϊκὸν πάσχα ἔφαγε, πληρῶν τὸν νόμον· μετὰ δὲ πληρῶσαι τὸν νόμον, τότε ἔθηκεν ἔνζυμον ἄρτον καὶ ποτήριον..... καὶ οὕτως φανερόν ἐστιν, ὅτι ἔνζυμον ἄρτον ὁ Χριστὸς τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἐκάλεσεν ὡς πληρέστατον ἄρτον, οὐχὶ δὲ τὸν ἄζυμον. Αὐτοὶ δὲ (Latini seu Franci) κακῶς καὶ τὴν παράδοσιν ταύτην (τῶν ἀζύμων) ἔλαβον ἀπὸ τοῦ Ὠριγένους : *Christus et Deus noster judaicum pascha comedit, adimplens legem; postquam autem legem implevit, tunc posuit fermentatum panem et calicem..... Et sic patet Christum fermentatum panem vocasse suum corpus, utpote plenissimum panem, non autem azymum. Illi vero male et hanc traditionem ab Origene acceperunt.* Cf. Hergenröther, *Photius*, t. III, col. 187.

2. *Panoplia dogmatica*, tit. XXIII. *P. G.*, t. CXXX, col. 1179-1181. Cf. *Comment. in Matth.*, *P. G.*, t. CXXIX, col. 651-660.

sponte aberrabo, neque falsitati contra veritatem patrocinabor.

« Quæ igitur sententia mea est? Dominum comedisse Pascha tempore et hora præscriptis, quod ei paraverunt discipuli et dominus domus, juxta consuetudinem, et non aliter (si enim quidquam præter legem hac occasione Dominus fecisset, novitatem adnotasset Evangelium, quemadmodum notavit alia quæ ipse legem supergrediendo peregit, et non solum quæ ipse, verum etiam quæ discipuli ejus peregerunt, cujusmodi sunt : sabbato lutum facere, jubere paralytico, ut tollat grabatum, vellere spicas, non lotis manibus manducare, etc.); comedisse vero legale Pascha prius, *deinde mysterium Paschatis suis tradidisse discipulis, nempe ex pane, qui tunc repertus est*; *repertus autem est azymus*, εὕρητο δὲ τηνικαῦτα ἄζυμος. At non propterea quod panis ille azymus fuerit, necessitate a lege inducta, nunc etiam nos, qui libertate in Christo fruimur, necessario azymum procurabimus, rejecto fermentato [1]. »

Suam sententiam apertius explanat in Commentariis ad Matthæum et Lucam, objectionesque solvit a polemistis antilatinis prolatas. Sic, *ad Matth.*, cap. xxvi, 17, 20, 59, hæc habet :

« Primam azymorum diem vocat, quæ diem azymorum præcedit; ut sic dicam : Quinta feria manducaturi erant Pascha, postquam sequitur Parasceve. Prima azymorum vocabatur a lege, eo quod festum incipiebat a vespera, qua vescebantur azymis. Dominus igitur mittit discipulos quinta, quam nominat evangelista *primam azymorum*, quia ante vesperam erat, qua comedebant azyma, ὡς πρὸ τῆς ἑσπέρας οἶσαν, καθ' ἣν ἑσπέραν ἤσθιον τὰ ἄζυμα... [2].

« *Vespere autem facto discumbebat :* Ex hoc putant quidam quod hoc anno non comederit Christus pascha. Dicunt enim quod stantes comedebant agnum; Christus autem recumbebat; ergo Pascha non comedit. Dicimus itaque illum prius Pascha stantem comedisse, deinde recumbentem tradidisse

1. *Epistol. ad Nicolaum*, 8, col. 233.

2. *P. G.*, t. cxxiii, col. 440-441. Notandum est hunc locum in quibusdam codicibus omnino contra mentem Theophylacti corruptum fuisse; optimi autem codices præsentem lectionem exhibent. Cf. *Dissertationem* Mariæ de Rubeis, 66. *P. G.*, *ibid.*, col. 70.

suum sacramentum; primum enim perfecit figuralia; deinde verum perfecit [1]...

« Ad Caipham ducunt Jesum; nam ille erat Pontifex anni illius, ubi et reliqui pernoctabant, non comedentes tunc Pascha, sed exspectantes ut occiderent Dominum, prævaricabantur legem. Nam Dominus legitimo tempore comederat; illi vero contemnunt legem, modo occidant Christum [2]. »

Quatuor ergo sententias inter se diversas de ultima Christi cœna apud Byzantinos sæculi XI invenimus, quarum una, illa scilicet quam tuetur Theophylactus, cum communi Latinorum interpretatione omnino congruit. Quid autem ipsi Latini responderint ad primum polemistarum effatum : *Azymum non est panis*, necnon ad consequentiam exinde deductam quoad Eucharistiæ institutionem, nunc breviter dicendum.

*Responsio Latinorum.* — Primum quidem Humbertus textibus Sacræ Scripturæ contra Achridanum probat vocem græcam « ἄρτος » usurpari ad designandos panes diversos, et non tantum fermentatum :

« Primum omnium, inquit, ecce manna tam in lege et prophetis et psalmis, quam in evangelicis et apostolicis litteris, *panis*, id est, ἄρτος, vocatur; sicut in psalmo : ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς, ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος. Et in Evangelio : Κύριε ἀεὶ δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον. Et in Exodo : Οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος, ὃν ἔδωκεν ὑμῖν Κύριος. Si ergo manna, quod erat

1. Objectioni verius respondere potuisset Theophylactus, dicendo non omnes ritus primi Paschatis postea a Judæis servatos fuisse. Hoc enim constat ex hodierna praxi apud Judæos. *P. G.*, col. 441.

2. *Ibid.*, col. 456. Hanc difficultatis ex S. Joannis evangelio orientis solutionem jam dederat Chrysostomus. Præ oculis hæc habenda est ad intelligentiam eorum, quæ dicit. Theophylactus super Joan. XVIII, 28 : « *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Quid autem est : *ut comederent Pascha ?* Sane Dominus illud fecit prima Azymorum. Vel igitur intelligamus per Pascha totum festum septem dierum, vel quod ipsi quidem manducaturi erant in parasceve, vespere. Ipse autem Dominus uno ante die tradidit, πρὸ μιᾶς παρέδωκε, [et comedit Pascha], reservans sui occisionem in Parasceve, quando et vetus fiebat Pascha » [scilicet a Judæis]. *P. G.*, t. CXXIV, col. 256. Cf. *Enarrat. in Lucam*, cap. XXII, 7 : *diem azymorum dicit quintum, ad cujus vesperam pascha immolandum erat*, ἡμέραν οὖν ἀζύμων λέγει τὴν πέμπτην, ἧς τῇ ἡμέρᾳ ἔμελλον θύειν τὸ πάσχα. *P. G.*, t. CXXIII, col. 1064.

album et minutum, sicut semen coriandri, et quasi pilo fusum in similitudinem pruinæ, gustusque ejus quasi similæ cum melle, auctoritate divina dicitur panis sive ἄρτος, (quod utique nullam similitudinem aut verum saporem panis habebat), quomodo azymæ possit tolli nomen panis, non videmus : qui utique natura, forma et sapore omnimodis panis est et dicitur, præsertim cum angeli apud Abraham et Loth subcinericios panes, ἄρτους ὑποτέφρους, dicantur comedisse, angelusque Heliæ legatur attulisse. Sed quid multa? In lege et in Evangelio invenimus τοὺς ἄρτους προθέσεως, quos azymos fuisse nemo dubitat qui legis mosaicæ aliquam notitiam retentat... Et in Deuteronomio Moyses azymum vocat ἄρτον ταπεινώσεως..... Et quia nos ad hoc trahere nititur tota vestra disputatio, ut pro eo tantum quod Matthæus dicit : λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, incipiamus credere fermentatum et non azymum discipulis suis in memoriam suæ passionis dedisse; sciatis istam sententiam vestram satis infirmam esse, si aliud non habetis, quod possit vestræ parti favere. Omnis enim sententia ex opinione procedens est dubia; quæ autem ex scientia procedit, certa omnino et rata [1]. »

Azymum autem simpliciter vocari ἄρτον probat ex Luca, XXIV, 30, 35 :

« Ipsa suæ resurrectionis die, a duobus invitatus in Emmaus castello, accepit panem, benedixit, et mox ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου; quem omnimodis azymum fuisse constat, quia usque ad octavam Paschæ nullo modo fermentatum in omnibus finibus Israel apparebat [2]. »

Quod vero Christus fermentato prima azymorum die usus fuerit vel agnum paschalem non manducaverit, sicque legem solverit, hoc vehementer repellunt Leo papa IX et cardinalis Humbertus, firmissima ratione innixi :

« Qui non venerat solvere legem, sed adimplere, ait Leo IX, juxta ipsius legis præceptum ex azymis et vino vetus Pascha adimplevit, et protinus ex azymis et vino novum, sicut aperte Lucas narrat, discipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus

1. *Contra Achridanum*, 13, col. 939-940.

2. *Ibid.*, 38, col. 954. Ut ab hoc textu se expedirent, mira commenti sunt effugia Græci posteriores; de quibus in secundo tomo agemus.

Israël, et apud quemcumque inveniebatur, peribat anima ejus de populo suo (Exod., XII). Quod si in cœna Domini Jesu apparuisset, aut ipse seu discipuli ejus quoquo modo gustassent, juste sicut prævaricatores legis perirent, nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nec esset opus falsos testes ad perdendum eum quærere, cum hoc solo perderetur juste [1]. »

Humbertus eamdem rationem pluries urget, atque difficultatem ex Evangelio Joannis desumptam solvere conatur :

« Videte quorsum evadat hæc vestra disputatio. Nempe si in solemnitate azymorum dicitur quolibet usus fermentato, vere mortuus asseritur in peccato suo, qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ipsius. Insuper administratis Judæis materiam magnam sibi placendi super interfectione Domini, et permanendi in errore suo et fidem nostram evacuandi... Itaque unum e duobus eligatis necesse est : Aut enim, fermentato abjecto, in solemnitate azymorum legem implevit; aut suscepto fermentato, legem solvit, propter quam adimplendam se venisse mentitus invenietur, quod absit...

« Hinc nil tergiversationum vestrarum prætermittentes, quia consideratis vestro fermentato secundum legem et Evangelium juste contradici, astruere conamini Dominum non celebrasse Pascha cum Judæis quarta decima luna mensis primi, sed priusquam fieret legalis abjectio fermentati. Et hoc probare contenditis ex Evangelio Joannis, qui ait : *Et ipsi non introivere in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha* (Joan., XVIII, 28). Quod quanta absurditate dicatur, saltem ex hoc perpendite, quod Christum transgressorem legis non cavetis denuo pronuntiare, qui *cum facta esset hora, discubuit* (Luc., XXII, 14)... Porro Joannes qualiter intelligi vellet quod ait : *Ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, paulo post ait : *Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta* (Joan., XIX, 14); *parasceve Paschæ* præparatio Paschæ interpretatur; quando jam præparabatur vel instabat celebritas magni diei Sabbati, qui celebrior reliquis paschalibus diebus apud Judæos habebatur, adeo ut ob reverentiam ejus, gentilis hominis cohabitatione vel introitu

1. *Epistola ad Michaelem Cærularium. P. L.*, t. CXLIII, col.775.

prætorii pollui vererentur, et insuper, ne in cruce remanerent corpora sabbato præcaverent. Nec repugnat vero quod Pascha solemnitas azymorum dicitur, quandoquidem ipsum Pascha cum azymis edebatur [1].

« Si Christus Pascha fecit tertia decima luna cum fermentato, dupliciter reus fuit : juste puniendus secundum legem, quia Pascha fecit in tempore non suo [2], et quia cum fermentato. Quapropter mors ejus nihil nobis conferet, qui non pro nostris sed pro suis peccatis interiit, scilicet, quia fuit transgressor sanctæ legis [3]. »

### 2° Azymus est res mortua et inanima

Hoc secundum axioma suum ad satietatem repetunt nostri polemistæ. Ad hoc inculcandum, ad etymologiam iterum provocant, primi etymi supra dati non memores :

« Ἄρτος, inquit Achridanus, a verbo, « αἴρω », et « ἐπαίρω » et « φέρω ἐπὶ τὰ ἄνω », *levo*, *elevo*, *sursum fero*, derivatur, a fermento et sale elevationem habens et calorem; azyma, autem nil distant a lapide sine anima, et a luto lateris, terræ deorsum conjuncta, et sicco luto adhærentia, quæ cum amaritudinibus Moyses comedere miseris Judæis semel in anno jussit [4]. »

Fermentum est quasi anima panis; quo carens azymum, est quid mortum et inanimum :

« Azyma manifeste inanimata sunt, ait Pectoratus, sicut ipsa rerum natura declarat, atque liquidius edocet. Intermixtum enim modicum fermentum in farinæ massa et commixtum ipsi, et secundum totum fermentatum effectum vivifica quadam virtute calefacit ipsam, et mobilem utpote vivam efficit, quod *in azymo fermento* (ἄζυμος ζύμη) *Pharisæorum* [5],

1. *Contra Achridanum*, 14, 15, 16, col. 941, 943-944.

2. In primo suo libello, Pectoratus non clare affirmaverat Christum cœnam legalem non fecisse; unde Humbertus in sua responsione hanc hypothesim non memorat nec refellit.

3. *Contra Nicetam*, 11, col. 989.

4. *Ad Joannem Tranensem*, col. 837.

5. Animadvertas velim versutiam Pectorati in azymum refundentis fermentum Pharisæorum.

quod effugere Scriptura nos admonet, neque effectum est aliquando, neque fiet [1]. »

Illi omnino consonat Petrus Antiochenus : « Fermentum massæ loco animæ est, et sal pro mente; quibus azymum cum careat, qua ratione non erit inanimatum, mortuum, ipsaque re mortiferum [2]? »

Super hoc axiomate tria nostri Byzantini fundant argumenta, quorum duo prima dogma respiciunt, tertium vero ad analogiæ seu figuræ rationem spectat :

Primum argumentum sic proponi potest :

Aliqua debet esse proportio tum inter panem oblatum et corpus Christi, in quod, vi consecrationis, panis transmutatur, tum inter panem et sumentes illum, corpus Christi factum.

Atqui nulla adest proportio inter azymum et corpus Christi; corpus enim Christi est vivum, azymum autem mortuum; item proportio deest inter azymum et communicantes, quia azymum est inanimum; unde nec communicantibus anima præditis consubstantiale.

Ergo azymum est materia non solum incongrua, verum etiam invalida; neque possibile est per illud Christi vitam haurire et cum eo societatem habere :

« Quomodo inconveniens non est, ait Antiochenus, id quod imperfectum, mortuum, inanimum est, in viventem et vivificam carnem Domini Servatorisque nostri excipi ab eis qui in ipsum credunt... Si adhuc azyma percipimus liquet nos non comedere Dei rationalem ac viventem carnem, nobisque, qui credidimus, supersubstantialem atque consubstantialem. Quod si credimus edere carnem vivam Christi, qui perfectus est in divinitate et humanitate, quid commune animatæ ac viventi carni Dei cum inanimatis mortuisque azymis [3]. »

Et Pectoratus : « Si azymorum adhuc participes estis, non comeditis rationalem et vivam Dei mensam, et nobis, hominibus qui credidimus, supersubstantialem et consubstantia-

1. *Contra Armenios*, 3, p. 141.

2. Ἡ γὰρ προζύμη ἀντὶ ψυχῆς τῷ φυράματι γίνεται, καὶ τὸ ἄλας ἀντὶ τοῦ νοός· ἃ μὴ ἔχον τὸ ἄζυμον, πῶς οὐκ ἄψυχόν ἐστι καὶ νεκρὸν καὶ τῷ ὄντι νεκροποιόν; *Epist. ad Dominicum*, 23, col. 777. Cf. Pseudo-Athan., col. 1328, et Pseudo-Damasc., col. 388.

3. *Epistol. ad Dominicum*, 9, col. 764-765.

lem (ἐπιούσιόν τε καὶ ὁμοούσιον), quemadmodum postulare τὸν ἐπιούσιον ἄρτον ex antiquo edocti estis. Non enim carnem Christi perfecti hominis et perfecti Dei manducamus vivam, carne vivente Dei animata vita, etiam in azymis Judæorum interfectorum Dei, quæ mortua sunt et inanimata. Animata est nostræ massæ substantia, quam Verbum Dei suscepit, et hypostasis ipsi facta est. Qui igitur participat de azymis, non manducat panem consubstantialem nobis et circumsubstantialem Salvatoris ac Domini nostri Christi, οὐ τὸν ἡμῖν ὁμοούσιόν τε καὶ περιούσιον ἄρτον ἐσθίει τοῦ σωτῆρος....

« In azymis nulla est vitalis et vivifica virtus; mortua enim sunt; in corpore vero Christi tria sunt viventia et vitam præbentia eis qui digne eum manducant : spiritus, aqua et sanguis, sicut ipse, qui super pectus Christi in cœna recubuit, Joannes contestificatur mihi in eo verbo : *Tres sunt qui testimonium dant: spiritus, aqua et sanguis, et hi tres in unum sunt*, videlicet in corpus Christi, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, δηλονότι εἰς τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ; quod et secundum tempus dominicæ crucifixionis declaratum est, quando aqua et sanguis ex immaculata costa ipsius effluxit, quum per lanceam perforata fuisset caro ipsius; sanctus vero ac vivens Spiritus in deificata carne ipsius permansit. Quam comedentes in pane per Spiritum in carnem Christi immutato, vivimus in ipso, tanquam viventem ac deificatam carnem manducantes. Sic autem et sanguinem vivum et calidissimum ejus bibentes cum aqua ex immaculata costa ejus effluente, mundamur ab omni delicto et vivente replemur spiritu. Calidum enim velut ex latere Domini calicem bibimus[1], quia ex viva carne et calido spiritu Christi nobis calidissimus sanguis et aqua emanavit; quod in eis qui azyma comedunt fieri nequit[2]. »

Secundum argumentum ad hoc recidit :

« Qui azymis utuntur in hæresim Apollinaris labi periclitantur, jamque apollinarismi suspecti evadunt : « Azyma retinentes, in Apollinaris, ut haud putatis, inciditis hæresim.

1. Alludit ad peculiarem ritum liturgiæ byzantinæ, quo parum aquæ calidæ, quam τὸ ζέον vocant, calici jam consecrato infunditur.

2. *Contra Armenios*, 3, 4, p. 141-142. Locus de tribus testibus ad verbum repetitur in *Libello contra Latinos*, 3, col. 1013, et apud Petrum Antiochenum, *loc. cit.*, 10, col. 765.

Ille enim corpus solum sine anima et mente ex sancta Virgine Maria a Christo assumptum asseruit; quod idem est ac mortuum. Et qui adhuc azyma comedunt in antitypum corporis Christi, mortuam carnem edunt et non vivam. Nam fermentum massæ est loco animæ, sal vero mentis ad instar; quæ cum non habeat azymum, mortuum et fatuum est, et fatuos efficiens eos qui edunt, μωρούς ποιοῦν τοὺς ἐσθίοντας, et quasi sensim incidere eos facit in Apollinaris blasphemiam atque hæresim... In Apollinaris hæresim inciditis, dum mortuam carnem absque anima et mente manducatis [1]. »

Tertium demum argumentum totum est in hac propositione : « Azymum, eo quod fermento ac sale careat, doloris et afflictionis signum est atque symbolum, nec aptum est ad Novum Testamentum cælorumque regnum significandum. »

« Tribulationis et afflictionis symbola sunt azyma, ait Achridanus. Nostrum vero pascha gaudium et lætitia totum est, et præ gaudio ab humo nos ad cælum extollit, sicut et fermentum proprio suo calore extollit panem, τὸν ἄρτον, qui omni suavitate repletus est. Azyma vero neque sal neque fermentum habentia lutum sunt aridum. Aut non audistis Jesum dicentem discipulis suis, quia *vos estis sal terræ*, et quoniam *simile est regnum cælorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in farinæ satis tribus, usquedum fermentaretur tota* (Matth., XIII, 33)? Mulierem sanctam Ecclesiam vocat; sata vero tria Patrem et Filium et Spiritum Sanctum mystice significant, quorum nequaquam lutulentæ azymæ sunt participes [2]. »

*Responsio Humberti.* — Si secundum argumentum excipias, quod neque *in epistola Achridani*, neque in *libello Nicetæ contra Latinos* occurrebat, Humbertus omnibus Græcorum nugis congruam, at passim acerbiorem, protulit responsionem. Primum quidem de etymologia vocis ἄρτος ab Achridano allata hæc dicit :

« Illud quoque quod per etymologiam conamini nos vin-

1. Nicetas, *Contra Armenios*, 13, p. 151. Cf. Pet. Antioch., *loc. cit.*, 23, col. 777; Pseudo-Athan., col. 1328; Pseudo-Damasc., col., 390.

2. *Epistola ad Joannem Tranensem*, col. 837. Notandum est textum græcum epistolæ Leonis, ab Hergenröther e codice Monacensi sæculi XV editum, interpolationum indicia præ se ferre, ut ex collatione cum versione latina cardinalis Humberti colligitur.

cere : sciatis omnino vanum ac puerile. Quia et a linguarum peritis diversæ etymologiæ dantur ex uno nomine secundum humanum placitum magis quam secundum naturam rerum [1]. »

Ad dictum vero Græcorum quod panis azymus sit quid mortuum, dum fermentatus tanquam ab anima a fermento vivificetur, sic respondet :

« O quam dignam erroris sui mercedem vestra vesania reciperet, si vobis retrusis et omni consolatione humani victus fraudatis lapidem seu siccum lutum lateris apponeret aliquis pro azymis! Ibi procul dubio in summo discrimine vestro disceretis plurimum distare lapidem sive laterem ab azymis, et quod lapidibus seu lateribus paries, azymis autem confirmetur cor hominis. *Quæ, quamvis humanam vitam temporaliter sustentent, tamen sine anima esse, sicut et fermentatum, nullus negare audet nisi Manichæus demens.* Nam in corporis Christi mysterio indubitanter vitalis esca fit perpetuo. *Sed dum nitimini Apostolicæ Sedi derogare super azymis, putredine inveteratæ hæresis vos scatere monstratis, asserendo panibus inesse animam fermentatis, etiam absque mysterio aliquo dominicæ passionis* [2]. »

Primum Nicetæ argumentum de consubstantiali ex tribus testibus firmatum fuse confutat, ostenditque Pectoratum vana commentum fuisse :

« Quod dixisti consubstantialem et supersubstantialem idem esse, omnino est futile. Quia Dominus Jesus, quamvis nobis humanitate sit consubstantialis, [divinitate tamen nobis est supersubstantialis]; sic et humanæ mensæ panes, licet sint consubstantiales sibi, mensæ tamen divinæ panis supersubstantialis est eis [3]...

« Testimonium Joannis dicentis : *Tres sunt qui testimonium perhibent*, etc., perverse conaris ad panem mensæ Christi transferre, quod ille de baptismo ejus voluit intimare. In baptismo siquidem hæc tria sunt, et unum baptisma efficiunt. Et Spiritus quidem sanctificat, aqua abluit, sanguis redimit... Tu autem, nequam Pectorate, nequiter interpretando et depravando sententiam recumbentis super pectus

1. *Contra Achridanum*, 12, col. 939.
2. *Ibid.*, 20, col. 945-946.
3. *Contra Nicetam*, 3, col. 985.

Jesu, dixisti : *Et hi tres in uno sunt*, scilicet in corpore Christi; quod dilectus ejus nec sensit, nec scripsit, sed *hi tres unum sunt* secundum superiorem de baptismo sensum.

« Parva sunt hæc et pene nulla ad comparationem sequentis blasphemiæ, qua asserere laboras, quod tempore dominicæ passionis et crucifixionis, quando sanguis et aqua de latere ejus exivit, sanctus et vivificus spiritus in deificata ejus carne remansit. Quod si constiterit, mortuus non fuit. Si mortuus non fuit, neque resurrexit...

« Adinventiones tuorum contra manifestam veritatem conaris defendere dicendo aquam calidam et sanguinem de vivo et calido Christi corpore exiisse, et ideo Græcos aquam ferventem sanguine ejus jure miscere. Quod totum longe aliter est. Nam veraces evangelistæ concorditer narrant Dominum nostrum hora nona in cruce mortuum, et sero a Josepho postulatum, depositum de ligno et sepultum... Ecce si hora nona obiit, et sero jam de cruce deponendus, lancea percussus fuit, sanguis fuit ille, naturaliter calidus non fuit, toto corpore jam præmortuo et frigido. Quod si aliquo modo caluit, Evangelium quare tantum miraculum et sacramentum tacuit? Unde vos, novi symmistæ volumus dicatis an sanguis tantum, aut aqua tantum, an simul utrumque caluerit? Si sanguis tantum, quare aquam calefacitis? Si aqua tantum, quare ex ea calefacitis sanguinem Christi? Si utrumque simul, quare utrumque simul non calefit [1]? »

Cum autem polemistæ byzantini de azymo multum detraxissent, illud lapidi sine anima, lateri terræ deorsum adhærenti, vel sicco luto comparantes, dicentesque esse tristitiæ et afflictionis symbolum, Humbertus in ipsum fermentum vehementer invehitur, præconiumque panis azymi texens, mysticam ejus significationem congruentiamque optime declarat. Nicetas verba Christi : *Cavete a fermento Pharisæorum*, incredibili versutia ad azymum referre ausus fuerat. Humbertus ei respondet :

« O mentite Deo, et aperte impugnator sancti Evangelii, ubi et quando dixit Veritas, veracis Patris Filius : « Cavete ab *azymo-fermento* Pharisæorum? » Numquid azymum quolibet modo potest dici *fermentum*, quando azymum dicatur, eo

1. *Ibid.*, 5, 6, 7, col. 986-987.

quod absque fermento sit? Et ubicumque fermentum fuerit, necesse est ut, aut fermentum efficiat, aut fermentum permaneat? Cum ergo fermentatum non sit sine fermento, nec fermentum aliquando possit esse sine ipso, quomodo saltem somniare ausus es *azymum fermentatum* [1]? »

De fermento autem et fermentato hæc inter multa alia dicit : « Jam quia post multiplices azymorum obtrectationes, ad hoc prorupit vestra insolentia, ut in ipsa terribilia et vivifica sacramenta redemptionis nostræ apertis contumeliis irreverenter insurgat, et azymum exclamet lutulentum, et nequaquam sanctæ Trinitatis particeps esse, respondere cogimur deinceps vobis stultis juxta stultitiam vestram, ne vobis sapientes esse videamini... Unde, quia in eo putatis vos sapientes, si aliorum institutionibus detrahitis, hinc par pari referemus, quod vestram impudentiam mordebit, ut retrahat vos a reverendorum sacramentorum injuriis.

« Salva ergo, ut dignum est, reverentia corporis Domini nostri Jesu Christi et in fermentato et in azymo, perquiramus an fermentum ad humanas mensas præparatum sincerius ac mundius sit plebeio azymo. Et primo omnium fermentatum repetamus, ut perspecta diligenter ejus scaturigine, verax judicium de puritate fermenti habeamus... Sicut sententia vulgi exstat, fermenti origo fit, cum aut spuma musti seu faex cujusdam rusticæ potionis, quæ apud Gallos *cervisia* dicitur, vel certe elixati hordei aut ciceris, sive lac ficulneæ vel pecorum corruptum injicitur conspersæ farinæ. Cum ergo spuma, faex, elixatum leguminum et lac ficus vel pecorum corruptum apud homines computentur inter sordida, constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massæ autem cuicumque fermentum injicitur, necesse est corrumpatur, sicut ait sapientissimus Paulus : *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (Gal., v, 9). Ubicumque autem corruptio tam in divinis quam et in humanis litteris dicitur, ibi etiam deterioratio seu vitiositas aliqua substantiæ accidisse comprobatur. Unde, si non potest aliquando corruptio in bonam partem intelligi, nulli dubium est quin fermentato azymum mundius sit, quod nullam corruptionem fermenti admittens, ex munda farina tantum et pura aqua conficitur.

1. *Contra Nicetam*, 3, col. 985.

« Fermentum quoque, si aliquamdiu in massa negligitur, tanto acrore eam corrumpit, ut ultra humanis usibus non prosit. Deinde panis fermentatus parvo situ efficitur mucidus, quod rarissime incurrit azymus, utpote plenus et solidus, non tumidus et cavernosus, uti fermentatus. Qui licet magna ex parte impar sit nostris laudibus, tamen per omnia par est vestris moribus. Ipse enim, fermento veteri corruptus, deprehenditur acidus, cavernosus et tumidus : et vos, haud secus, humana opinione corrupti, loquacitate apparetis acidi, caliditate cavernosi. Et, ut divinæ scientiæ vacui, humana scientia inceditis inflati, juxta illud dictum Apostoli : *Scientia inflat* (I Cor., VIII, 1)...

« Quod vero fermentum, sicut præfati sumus, in divinis et humanis litteris, in malum ponatur, Dominus in Evangelio testatur : *Cavete*, inquiens, *a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis* (Luc., XII, 1). Et Paulus : *Expurgate vetus fermentum* (I Cor., V, 7). Et paulo post : *Epulemur non in fermento veteri neque in fermento malitiæ et nequitiæ* (*Ibid.*, 8)... Et si omnes Scripturas perscrutati fueritis, numquam et nusquam fermentum in bonam significationem poni invenietis, nisi in uno loco Evangelii, ubi regnum cælorum fermento simile Dominus dicit, doctrinam videlicet apostolicam significans.

« Si vero omnes revolvatis Scripturas, nunquam et nusquam invenietis azyma poni in significationem contrariam, sed aut sinceritatem, aut veritatem significare, sicut Apostolus ait : *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis* (I Cor., V, 8). Unde vestra duplicitas, suo fermentato contenta, romanæ et latinæ simplicitati azymum extorquere desinat, ne, si fuerit pertinax, anathema, maranatha, cum suo fermentato fiat, et prophetam sibi exprobrantem audiat : *Ite ad Bethel, et impie agite, et sacrificate de fermentato laudem* (Am., IV, 5)[1]. »

Postea Humbertus has præclaras in honorem azymi præcinit laudes :

« Nunc videatur quænam Ecclesiarum majori diligentia et subtiliori significatione Domini corporis proprietatem imitetur. Romana quippe et occidentalis Ecclesia a ministris sacri altaris in secretario confectum offert azymum, quod

1. *Contra Achridanum*, 28, 29, 30, col. 948-949.

ex grano frumenti et limpida lympha per ignem fuerit præparatum, significans et in una mediatoris Dei et hominum, hominis Dei Jesu Christi persona, tres perfectas credere et venerari substantias : humanam scilicet carnem, animam rationalem [1] et Verbum Dei Deum. Et granum quidem assimilari carni, quam de sola Virginis carne, quasi ex grano matris terræ, sola virtute cælesti, non autem aliqua commistione virili factam omnipotens Divinitas animavit, puriorem substantiam, id est animam, quasi aquam præclaram et nobilem ei infundens. Quas geminas substantias ab ipsius virginalis conceptionis exordio Verbum Dei rite suscepit, et, mediante suæ divinitatis calore, tanquam igne, sibi construxit et consolidavit. Taliter præparatus azymus fideli invocatione totius Trinitatis fit verum et singulare corpus Christi; non sicut Theopaschitæ volunt, corpus Patris et Filii et Spiritus Sancti; quod et vos videmini sentire, dicentes Patris et Filii et Spiritus Sancti particeps non esse azymum, sed subaudiatur, sicut fermentum est particeps eorum...

« Hinc jam quæ apud vos habeatur disciplina et cautela supra tanto mysterio advertamus. Vos aliquando pretio fermentatum a quocumque viro seu femina præparatum habetis, in tantum, ut nonnunquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emptum panem ad dominicam mensam transferatis; quem tractatum illotis et sordidis quorumdam manibus negare non potestis. Qui sane, juxta nostram narrationem, quinque substantiarum particeps est, id est, fermenti, farinæ, salis, aquæ et ignis. Quorum omnium significationes congruas in illa simplici et sincera carne Salvatoris si habetis, date nobis. Par est enim, ut de fermento nobis rationem reddatis, quemadmodum nos de azymis vobis; ne forte, quod absit! perversitas manichæorum, ad fulciendum errorem suum, asserat has quinque substantias in sacrificium christianorum assumi propter quinque antra tenebrarum, quæ fingunt mentiendo sibi [2]. »

Nec sine responsione sinit cardinalis noster illam azymi vituperationem ex eo sumptam quod panis vocetur afflictionis :

1. Dicendo : *animam rationalem*, Humbertus accusationem Græcorum de hæresi Apollinaris inscius evertit.
2. *Ibid.*, 31, 32, col. 949-951.

« Ad reliqua, inquit, frivola vestra veniamus. Non invenitur Moyses dixisse azyma malæ passionis et tribulationis symbola fuisse, sed *lechem oni*, id est, *panem afflictionis* : non quod naturaliter aliquid afflictionis in se habeat, sed quod Hebræis ad memoriam revocet quia, ab Ægyptiis exire compulsi, conspersam farinam, antequam fermentaretur, asportarint in humeris; quæ, ut superius sufficienter disseruimus, nihil nos tangunt juxta carnalis observantiam ritus [1]. »

### 3° Azymus est res judaica

Hoc tertium effatum est præcipua polemistarum antilatinorum criminatio contra usum azymi. Si illos audias, azymum inter hæc legalia recensendum est, quæ non solum a Christo fuerunt abolita, verum etiam quæ cum Novo Testamento nullo pacto componi queant; ita ut azymum retinere idem sit ac sub umbra veteris Legis adhuc degere, atque in antiquis tenebris ambulare. Uno verbo : *Qui azymum offert et comedit, judaizat.* Hoc autem imprimis probant ex hoc quod Moyses Judaeis jussit cum azymis pascha manducare et per septem dies continuos illis pro pane uti. Unum audiamus, Pectoratum :

« Qui azymorum adhuc sunt participes, sub umbra legis sunt et Hebræorum mensam comedunt, non autem rationalem et vivam Dei mensam... Qui azyma comedit, in tenebris legis ambulat. Et quomodo societatem habebit cum Christo, qui est in lumine novi sui Testamenti et gratiæ?....

« Quid ergo vobis, in Christo fratribus nostris, et legi, quæ maledicta est in Christo, quoniam adhuc azymum fermentum ejus comeditis? Nova creatura sumus in Christo; vetera transierunt. Paulum audite dicentem : *Ecce facta sunt omnia nova* (II Cor., v, 17). Si autem hæc comedere decernitis justum, cur non et circumcidimini? Christus circumcisus est. Cur non et purificamini? Paulus etiam et hoc fecit. Et alia etiam omnia similiter servare veterum, sicut et hi ea quæ legis sunt faciunt, per quos nomen Dei in gentibus blasphematur [2]? »

Aliam probationem desumere tentant ex illis antiquis cano-

1. *Ibid.*, 22, col. 946.
2. *Contra Latinos*, 2, 5, col. 1011, 1014.

nibus apostolorum vulgo dictis, vel conciliorum, quibus Christianis interdicitur cum Judæis in sacris communicare et azyma ab eis accipere [1]. Et probe quidem vident hos canones ad rem non pertinere, cum azyma in se spectata non prohibeant, sed tantummodo ne a Judæis accipiantur; et tamen illos in medium proferunt :

« Si de azymis, ait Pectoratus, et de celebratione eorum Corinthiis Paulus præcepisset, et eos in azymis epulari jussisset, non cum undecim promulgasset, neque cum excommunicatione omnibus præcepisset hujusmodi rema Judæis nullatenus accipi : *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quivis alius ex numero clericorum jejunaverit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, et acceperit festivitatum eorum munera, ut sunt azyma aut aliquid hujusmodi, deponatur : si autem laicus, sequestretur.*

« Si autem dicitis : Quia ab Hebræis non accipimus, sed domi facere consuevimus, quid hoc? Sive ab illis accipiatis, sive domi faciatis, azyma sunt. Et juxta hoc, graviorem pœnam habebitis, quoniam relinquitis agere quæ jussa sunt vobis a Christo et apostolis ipsius, facientes velut illi qui sub servitute legis sunt, in umbra et tenebris legis sedentes [2]. »

Provocat etiam Nicetas ad canonem 11 Trullanum et ad Agathonem papam, quasi hic synodo Trullanæ præfuerit [3].

*Responsio Latinorum.*— Quid ad hæc cardinalis Humbertus? Primum dicit Latinos non observare ritus mosaicos in manducatione agni paschalis, panem fermentatum omnibus anni diebus domi habere, et, si azymum in conficienda Eucharistia adhibeant, hoc non propter veterem legem, sed propter alias rationes facere. Deinde Græcos arguit quod Veteri Legi et Testamento detrahant : « in hoc enim videntur perverse

1. Hujusmodi canones sunt : 1° *Canon 70 Apostolorum*, qui apud Occidentales non recipiebatur; 2° *Canon 38 synodi Laodicenæ*; 3° *Canon 11 synodi Trullanæ*, a Græcis sub nomine concilii sexti semper laudatus.

2. *Contra Latinos*, 5-6, col. 1015.

3. *Ibid.*, 10, col. 1017. Notandum est ipsum Theophylactum, *Epist. ad Nicolaum*, 9, col. 236-237, argumentum sumere contra usus azymi antiquitatem apud Occidentales, ex præsentia episcopi Corinthiorum, legati Apostolicæ Sedis, et episcopi insulæ Sardiniæ, in concilio œcumenico sexto, cui tribuit, sicut et cæteri Græci, canones Trullanos. Cf. de Rubeis, *De Theophylacti gestis et scriptis*, 69-73. *P. G.*, t. CXXIII, col. 75-80.

cum Marcionitis et Manichæis sentire alium Deum veterem legem, alium novam dedisse [1]; » atque ad eos confutandos, ostendit Christum venisse non solvere legem, sed adimplere, legem fuisse velut bajulam et nutricem Christi et Ecclesiæ. Vetus Testamentum esse quasi subjectum vel fundamentum Novi, Christum esse finem legis « consummantem, non consumentem, perficientem, non annihilantem, complentem, non evacuantem [2]. » Insuper hoc ad hominem argumentum Græcis objicit :

« Si azyma, quemadmodum astruere conammi, per Christum et ejus evangelium fuerunt maledicta, reprobata et derelicta, et ideo deinceps non debentur offerri in sacrificio Domini, quia per Moysen constituta sunt Judæis, sciatis fermentatum quoque constitutum per Moysen Judæis. Sicut in Levitico dicit : *Hæc est hostiæ pacificorum : Offert panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ offertur pro pacificis* (Lev., VII, 11, 13). Idem Moyses in eodem : *In Pentecoste offeretis et panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domino : offeretisque cum panibus septem agnos* (Lev., XXIII, 17). Sal quoque, quem tantopere prædicatis in fermento, per Moysen ita constitutus Judæis in Levitico : *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal* (Lev., II, 13). Quapropter, si a nobis non debent offerri azyma, quia Mosaica sunt, nec a vobis debent offerri fermentatum et sal, quia æque Mosaica sunt. Et quia, ab Apostolo audientes : *Vetera transierunt; ecce facta sunt nova*, insipienter putatis omnia Veteris Testamenti reprobata, et penitus destructa et ad nihilum redacta sacramenta; hinc jam perpendatis necesse est ad quantas difficultates properet hæc vestra opinio.

« Denique si vetera non proficiendo sed deficiendo transierunt, unde vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, cetera sancti ministerii vasa seu ornamenta et vestimenta sacerdotalia? Unde vobis encænia, Pentecoste, et pascha seu quadragesima? Unde vobis pontifices, sacerdotes et levitæ ac reliqui ecclesiastici gradus ex ordine? Unde primariæ et

1. *Contra Achridanum*, 8, col. 938.
2. *Ibid.*, 42, col. 958.

decimæ? Postremo, unde vobis dilectio Dei et proximi ac reliqua mandata Decalogi? Quia ergo, secundum vos, ita nova facta sunt, ut vetera relicta sint omnino et per Christum maledicta, abjiciantur procul dubio ab ejus Ecclesia quæ supra diximus omnia, et plura quæ reticuimus alia, et veteribus contraria fiant jam nova. Odio habeatur Deus et proximus, pater et mater inhonoretur, homo occidatur, omnes mæchentur, furentur, mentiantur, concupiscant, adulterent, conjugia nulla sint; omnis homo ad proximam sanguinis sui et quæ ei affinitate jungitur accedat. Ad summum quoque nec comedatur, bibatur, nec dormiatur, sed relinquatur quidquid Vetus Testamentum exhibuit et exercuit tam in cultu divino quam in usu humano, et videbitis quia nec bestiæ eritis, nedum homines, imo ab eo quod est aliquid transibitis ad nihil...

« Sane si mutare vultis fermentato azymum, mutate quolibet alio liquore vinum : quo, sicut et azymo, Christus et vetus pascha finivit, et novum inchoavit. Si enim recipitis vinum, azymum cur abjicitis [1]? »

Auctoritates a Niceta prolatas rejicit Humbertus, quamvis notet eas Latinos non tangere, qui azyma a Judæis nequaquam recipiant. Canon 70 apostolorum ex libris authenticis prolatum non est [2]. « Capitula vero quæ nobis sub auctoritate sextæ synodi apponitis, omnino refutamus, quia prima et Apostolica Sedes nec aliquando ea accepit, nec observat hactenus; et quia aut sunt nulla, aut, ut vobis libuit, depravata sunt [3]. »

Eamdem judaismi accusationem acutissime repellit sanctus Anselmus in sua *Dissertatione de azymo et fermentato :*

« Quod aiunt nos judaizare, non est verum : quia non sacrificamus de azymo, ut legem veterem servemus, sed ut hoc diligentius fiat, et Dominum, qui hoc non judaizando fecit, imitemur. Cum enim facimus aliquid quod Judæi, ut judaismum servarent, faciebant, non judaizamus, si non propter judaismum, sed propter aliam causam id agimus. Si enim in diebus Paschæ azymum panem aliquis comedat, sive quia

1. *Ibid.*, 43, col. 960-961.
2. *Contra Nicetam*, 10, col. 988.
3. *Ibid.*, 20, col. 992.

non habet alium, sive qui illo magis delectatur quam fermentato; aut si quis propter infirmitatem, præputium circumcidere cogitur; aut si bovi suo quis trituranti, ne esuriat, os non obturat, nullus nisi insipiens hæc agentem judaizare judicabit... Si ergo respondemus Græcis nos hoc de azymo, non propter figuram, sed propter prædictas causas facere, nihil hic intelligi valet cur nos Græci anathematizandos, aut saltem reprehendendos recte judicent [1]. »

Ad hominem etiam contra eos argumentatur in hunc modum :

« At si dicunt nos non hoc agere posse de azymo sine intellectu figuræ, per quod judaizare probamur, ergo nec illi similiter queunt ad hoc ipsum uti fermentato sine figura; quia et vetus Scriptura per fermentum designat peccatum, cum exsecratur in pascha suo comedere fermentatum (Exod., XII, 15); et nova, dum monet nos in Pascha nostro *epulari non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ* (I Cor., v, 8). Dicimus etiam quia nos non judaizamus, si figuram tenemus in azymo, quoniam non significamus Christum sine fermento peccati venturum, tanquam Judæi, sed monstramus eum talem venisse, sicut christiani, et per hoc monemur tales nosmetipsos exhibere, quale Pascha nostrum est, quod manducamus. Illi autem nec Judæos nec christianos in hoc se profitentur, quia Deum in fermenti sui figura, nec venturum, ut Judæi, nec venisse, ut christiani, sine peccato significant; sed potius paganis favere videntur, qui illum, sicut alios homines, peccato fermentatum existimant.

« Si vero aiunt christianos non debere uti figuris, quia *vetera transierunt* (II Cor., v, 17), in quibus erant necessariæ, negent (ut alia taceam) baptismum esse figuram cujusdam mortis et sepulturæ, contra Apostolum dicentem : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem* (Rom., VI, 3 et 4). Aut si concedunt nos uti figuris, sed non in eisdem rebus, quibus in figura lex vetus utebatur, et ideo non esse panem azymum assumendum ad ullam figuram, quia ad hoc in eadem lege accipitur, non baptizent in aqua, quoniam *patres nostri omnes in Moyse baptizati sunt in*

1. *De azymo et fermentato*, cap. III, *P. L.*, t. CLVIII, col. 543-544.

*nube et in mari* (I Cor., x, 2); quod negari nequit in figura fuisse; ne videantur baptizare baptismo Joannis, qui baptizavit in aqua. Si ergo irreprehensibiliter figurate baptizamus in aqua, licet illud baptisma vetus, quod fuit hujus novi figura, in aqua fuerit, quænam est in ista Græcorum sapientia, quæ propter hoc, quia vetus Pascha, per quod nostrum figuratum est, celebratum est in azymis, detestatur nos sacrificare corpus Christi, qui est Pascha nostrum, de azymo in figura [1]? »

Sed de tam frivola quæstione satis atque nimis. Nunc pauca tantum de quibusdam aliis adhuc puerilioribus, quæ Cærularius suique theologi auribus Latinorum insonuerunt.

## ARTICULUS VI

### De cæteris criminationibus Græcorum.

#### I. — Theologorum Cærularianorum sententia.

Ut in primo articulo hujus capitis jam vidimus, Michael Cærularius ejusque asseclæ non satis habuerunt Latinis crimini vertere doctrinam de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, additionem ad symbolum atque azymorum usum; sed plures alios usus quum liturgicos tum disciplinares vituperarunt; inter quos præcipui fuerunt :

1° Jejunium sabbato servatum, præsertim tempore Quadragesimæ [2], in quod Photius primum insurrexerat;

2° Celibatus clericorum, ab eodem etiam notatus;

3° Esus suffocatorum;

4° Omissio cantici « Alleluia » a Septuagesima ad Pascha;

5° Omissio ritus præsanctificatorum donorum, diebus jejunii quadragesimalis.

Observandum autem de hujusmodi discrepantiis, sicut et de azymis, theologorum byzantinorum hujus temporis non unum fuisse judicium. Quidam enim illorum, Cærulario duce, maximum eis momentum tribuere visi sunt; alii vero, utpote

1. *Ibid.*, cap. IV, col. 544-545.

2. Leo Achridanus, *Epist. ad Tranensem*, col. 840, reprehendere videtur solummodo jejunium sabbati, tempore quadragesimae : « Et *sabbatum*, inquit, *quomodo in Quadragesima judaice observatis?* » Nicetas vero de jejunio sabbati in genere loquitur. *Contra Latinos*, 11, col. 1017.

unionis et pacis ecclesiasticæ amatores, has differentias pro minimo habuere, nec tales quæ communioni inter christianos rumpendæ pares essent. Ad primam classem pertinent, una cum ipso Michaele Cærulario, Leo Achridanus et Nicetas Pectoratus; ad alteram vero Petrus Antiochenus et Theophylactus, Bulgariæ archiepiscopus.

Theologi Cærulariani contra latinos usus canones apostolicos ex triginta quinque ultimis, quos Occidentales non recipiebant, constitutiones pseudo-Clementinas, Trullanasque regulas, quas concilio œcumenico sexto ore unanimi adscribunt, potissimum urgent. Synodus Trullana præsertim est quasi armamentarium ex quo sua arma depromunt [1]. Cæterum, non pauca proferunt, quæ contra ipsos facillime retorqueri possunt (v.g., quando Latinos judaismi insimulant, eo quod sabbato jejunent, vel suffocata comedant).

His acerrime respondit cardinalis Humbertus in duobus suis tractatibus contra Achridanum et Pectoratum; nec a carpendis quibusdam usibus Græcorum, ut vices eis redderet, penitus abstinuit. De jejunio sabbati hæc inter alia eis objicit :

« Quod nos sabbata nec intra nec extra Quadragesimam judaice observamus, sufficienter monstratur superius. Vos autem, si non judaizatis, cur saltem Quadragesimæ non parcitis, ne, cum Judæis feriati et epulantes, jejunium Christi in sabbato dissolvatis. Unde, testimonia evangelica quæ posuistis omnino refragantur vobis, suffragantur vero nobis. Denique nos, ut discipuli Jesu, non solum iter agimus in sabbato, et spicas evellimus, sed insuper piscamur, et quidquid oportet operamur, et hora competenti comedimus...

« Videturne tibi congruum, ut omni quarta et sexta feria jejunes propter traditionem et passionem Christi, et propter sepulturam nullo sabbato nisi uno? Cum ergo omni Dominica celebres resurrectionem, omnique quarta et sexta feria jejunes propter traditionem et crucem, cur non et omni sabbato propter sepulturam, cum de celebrando sabbato nullam rationem teneas, nisi quam Judæi, scilicet quia in eo requievit Deus?... Quod si uno sabbato in toto anno jejunan-

1. Citavimus supra, p. 79 et p. 83, præcipuos canones Trullanos usus latinos damnantes.

dum est propter sepulturam Christi, ergo et una quarta feria propter traditionem, et una sexta feria propter passionem in toto anno est jejunandum. Una quoque Dominica propter resurrectionem celebranda [1]. »

Nec minus argute ad criminationem de esu suffocatorum respondet :

« Cur ex lege istud, secundum vos per Christum maledicta et derelicta, mandatum nobis apponitis? Numquid vobis solis licet quidquid libet, ut modo ad legis patrocinium humiliter recurratis, et modo ab ea superbe tanquam anathematizata resiliatis? Nonne vetus lex, et non Evangelium, interdicit, ut omne suffocatum et captum a bestia non comedatur : *Quia anima omnis animalis in sanguine est* (Lev., XVIII, 11). Constat utique hoc mandatum ex illis esse quæ carnali populo ad qualemcumque munditiam seu justitiam carnis, non ad aliquam sanctitatem mentis, data sunt ad tempus...

« Sed forsan dicturi estis : Non solum in Veteri, sed et in Novo Testamento ab Apostolis traditum gentibus, ut abstineant a sanguine et suffocato. Nec nos nescimus, tamen pro loco et tempore nonnulla carnalia veteris legis mandata Apostolos observasse scimus, quando adhuc quasi in matutino crepusculo tenebræ et lux confulgebant, et intuentium oculos nunc huc, nunc illuc reducebant. Sic Apostoli in Judæa commorati aliquando, claritate Evangelii expergefacti, ab umbra legis recedebant; aliquando necessitate vel consuetudine torpentes, in eum recidebant... Apostolus, raptus usque ad tertium cælum et in ipsum paradisum, proclamat omnia, munda mundis, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, quia per verbum Dei et orationem sanctificatur [2]...

« Cæterum, addit Humbertus, quamvis nos a Domino et ab Apostolis licentiam habeamus manducare omnia quæ nec nostræ nec fraternæ saluti officiunt, consuetudine tamen provinciarum et præceptis majorum nostrorum hactenus detenti, devitamus comedere nonnulla, non quia mala sunt aut immunda, sed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo usu jam in naturam verso horrent. Suffocatum et sanguinem nos quoque abominamur, adeo ut sanguine vel quo-

1. *Contra Achridanum*, 46, col. 962-963; *Contra Nicetam*, 19, col. 991.
2. *Contra Achridanum*, 50, 54, col. 964, 967.

cumque morticinio aut aquis seu quacumque negligentia humana præfocato apud nos aliquando vescentibus absque extremo periculo vitæ hujus pœnitentia gravis imponatur [1]. »

De celibatu clericorum sat longam habet responsionem, ubi rejectis apocryphis vel male interpretatis auctoritatibus a Niceta laudatis, decretalia Summorum Pontificum recitat, Nicetam insimulat hæresis Nicolaitarum, et in Græcos acerbiora profert [2].

Neque circa depositionem illius « Alleluia » a Septuagesima ad Pascha, præclaram defensionem texere dedignatur [3]; atque ex modo quo censuram agit ritus præsanctificatorum apud Græcos [4] usitati, luculentissime ostendit se reddendis vicibus Byzantinis, in carpendis eorum usibus et ritibus, nulla ex parte imparem esse.

### II. — Graecorum cordatiorum sententia.

Quid autem de hujusmodi frivolis quæstionibus senserint theologi prudentiores, ut Petrus Antiochenus et Theophylactus, nunc dicamus. Hos duos jam supra audivimus circa ipsa azyma verba pacis et indulgentiæ proferentes; a fortiori de minoribus istis remisse loquuntur. Michaeli Cærulario, qui ei longam abusuum Latinorum seriem recensuerat, rescribens Petrus, ex his quosdam ut meras calumnias habet [5], alios inter ἀδιάφορα collocat, de gravioribus hortatur, ut patienter tolerentur, ne majus malum, id est schisma Ecclesiarum, exinde oriatur :

« Quid ad nos, inquit, si pontifices eorum barbam radant, et in signum (sicut scripsisti) desponsationis cum sancta Dei Ecclesia gerant annulum? Nos quoque supra caput *gararam*, (= tonsuram) facimus, in honorem omnino summi inter Apostolos Petri, super quem magna Dei Ecclesia est ædifi-

1. *Contra Achridanum*, 52-53, col. 965-966.
2. *Contra Nicetam*, 25-35, col. 996-1000.
3. *Contra Achridanum*, 57-58, col. 968-970.
4. *Contra Nicetam*, 21-24, col. 992-996.
5. Inter calumnias recenset, v. g., quod Latini suffocata manducent, quod imagines Christi et sanctorum non venerentur, quod reliquiis sanctorum honorem denegent. *Epist. ad Cærularium*, 16, 20, col. 808, 812.

cata... Quod autem polluta manducent ipsi, eorumque monachi edant carnem, adipem porcinum, illa quoque invenies, modo indagaveris, apud quosdam e nostris fieri. Nam Bithyni, Thraces et Lydi comedunt picas, graculos, turtures ac terrestres echinos, quorum usum Patres indifferentem reliquerunt. Nulla quippe creatura Dei rejectitia est, quando cum gratiarum actione sumitur. Idque persuadet mihi linteum illud e cælo demissum, in quo erant omnia quadrupedia terræ, bestiæ, reptilia, volatilia cæli...

« Cæterum convenit, ut nos ad bonam voluntatem respiciendo, præsertim ubi nec circa Deum nec circa fidem periculum est, propendeamus semper ad pacem et fratrum amorem. Illi quippe fratres nostri sunt, quamvis ex rusticitate vel imperitia contingat, ut sæpe ab eo quod decet, excidant, dum suam sequuntur voluntatem...

« Itaque rogo, supplico, obtestor, et mente tuos sacros pedes amplector, ut de eo, quod exactius est, remittens divina tua beatitudo, rebus sese accommodet. Metuendum enim est ne, dum vult discissum sarcire, pejorem scissuram faciat, dumque prolapsum erigere contendit, majorem efficiat casum. Considera etiam num inde manifesto, ex diuturna hac, inquam, divisione, ac dissensione, qua a sancta nostra Ecclesia divulsa fuerit magna hæc, prima et apostolica Sedes, contigerit omnem in sæculo crevisse malitiam, totum orbem male habere, omnia terrarum regna turbata esse, ubique obtinere luctum ac multum væ, frequentesque in regionibus et urbibus fames ac pestes, nec ullatenus, ut plurinum, nostros exercitus prospere agere [1]? »

Nec minorem considerationem merentur ea quæ Theophylactus ad Nicolaum diaconum scribit de iis quorum Latini accusantur :

« Rogasti nos, inquit, ut Latinorum circa res ecclesiasticas errores breviter, quoad fieri potest, refelleremus, quoniam, inquiebas, et multi sunt et ad scindendas Ecclesias haud modicam vim habent. Nos autem, etsi plures et tantum non omnes ita sentire novimus, non ita sentimus : neque enim multos eorum errores esse scimus, neque tales qui ad scindendas Ecclesias sint idonei, quandoquidem nihil est quod ad

1. *Epist. ad Michaelem Cærularium*, 6, 7, 14, 21, col. 800, 806, 812.

ipsum fidei caput pertineat. Idcirco piget nos tot hominibus adversari, et animas turbare, quæ facile perturbantur, eo quod refriguerit jam charitas, et quidem in me primo, ob præsens tempus, in quo, ut audivimus, abundat iniquitas. *Non enim fraterne suscipimus quæ a fratre inducuntur; sed iis lubenter adversamur, et satagimus unusquisque videri æmulum suum retro pepulisse; putamusque nobis primatum inter theologos adjudicandum, si pluribus hæreseos notam affricuerimus, ac fore ut perspicaces oculos nos habere videamur, si luciferum nigrum esse sustinuerimus...*

« Multa itaque, ut dixi, videntur Latini peccare; nempe quod et azyma offerant, et jejunii ante Passionem dies non uti nos enumerent; et quod clericorum matrimonia dissolvant, laicorum vero indiscriminatim permittant; addam, modo non rideas, quod barbas tondeant, etiam qui sacri sunt ordinis; quorum etiam manus aureis micant annulis, vestemque sacerdotalem gestant sericis contextam staminibus et variis coloribus pictam; et ascetæ seu monachi ipsorum carne vescuntur; et, cum Dominum adorare sese inclinando oporteret, ipsi genua flectunt. Et hoc quidem communiter omnes peccant. Videbis etiam aliquos *sicaranos* et suffocata comedentes; indeque romanam abominaberis Ecclesiam, quæ talia docet. *Fortasse insurgens hic aliquis ex valde fidelibus et fervidioribus orthodoxiæ zelatoribus, nos etiam inscitiæ ac crassioris in rebus sacris judicii vel incuriæ, ac nostrarum rerum proditionis condemnabit, ipse autem et alia multa recensebit.* Ast ego et ex istis alia quidem nullius emendationis indigere puto; alia autem mediocris, et talis, ut si quis eam perficiat, modicum Ecclesiæ beneficium impendat; sin vero, non sit hoc inter damna computandum...

« Non omnia ab omnibus, sunt exigenda, o fratres, quemadmodum neque omnia omnibus condonanda; at si quæ sint, quibus non constitutis, magnum in rebus capitalibus infertur detrimentum, his manibus pedibusque, ut dicitur, insistendum, ac tanquam quoddam vectigal inexorabiliter exigenda, scientes ex horum pensitatione haud modicam rebus afferendam esse utilitatem. Quorum vero nec multum nocet absentia, et si violentius procurentur, damna imminent majora, ea relinquere uti se habent, hominis est judicio pollentis et negotiationis callentis leges, quibus præscri-

bitur magnis parva, non minimis maxima commutare...

« Non igitur neque propter azyma, neque propter jejunia durius nos habebimus erga inflexibile gentis hujus genium. Hoc enim esset testam testæ copulare velle, nulla adhibita molliore materia, quæ agglutinandi fortasse vim habuisset. Multo vero minus propter reliqua supra enumerata, quæ dum ipsi se fatentur servare, excepto suffocatorum esu... multis irremissibiliter peccare videntur... « Quid Pharisæos deplorabiles effecit? Nonne ambitio et prælationis amor, et *velle ab hominibus vocari Rabbi* ? Nonne hoc ipsum etiam deicidas infelices illos reddidit?... Plus quam Pharisæi superbe sapimus, ut haud scio an ab Ecclesia fratres nostros, vel nosmetipsos a regno cælorum excludamus. Non vides ut Paulus evangelii sui judicem Petrum selegerit? Non vides Petrum a Paulo reprehensum, et reprehensiones æquo animo tolerantem? Tu vero, si ad tonitru vocis tuæ non omnes trementes ac venerabundos videas, et ad verbi tui fulgur pronos corruentes (quemadmodum sacer textus testatur in Thabore accidisse Apostolis ad fulgorem manifestatæ deitatis), tunc sane, tunc Simones et Marciones a te e tumba refodiuntur et demonstrantur, quos recte tempus defoderat et contexerat, et cœnum movetur Gnosticorum, et Sabellii refinguntur præstigiæ, et Arii rabies, et tenebrosus Photinus, et reliqua turba filiorum perditionis (ne omnes recensendo vel ipsis eorum nominibus inficiam orationem meam), et hos fratri tuo, o cæcitatem! et quidem uni eidem, tametsi inter se dissentientes et contrarios, velut longos quosdam funiculos annectis, ut fugientem comprehendas, et non tu solus, sed ut alios etiam habeas, qui tecum apprehendant, quos sub specie pietatis advocas, tametsi plerumque neque ii sciant quid sit pietas; *at nomen amant sibi comparare ex fratris condemnatione.* Vah maligni spiritus artificia! qui et nunc deificat idola, et malitiam appellat virtutem, seque adorari facit et coli.

« Verum non sic, servi Christi, amici et fratres, non sic nosmetipsos abalienemus a Deo, qui omnes benignitate sua ad se trahit, dum nos per superbiam omnes fere repellimus; neque thronos faciamus iniquitatis sedem, neve dignitatis altitudinem turrim vanitatis (hoc enim mihi videntur esse lites ob amorem gloriæ et existimationem sui), sed, si sumus

fortes, debiles portemus; et si medici, contritos sanemus; quod si nos ipsi contritionem addamus, vereor quidem dicere, dicam tamen : res hæc latronum est, non medicorum [1]. »

Verba sane aurea, quæ ad hujus capitis calcem, in quo tot nugas atque insanias referre opus fuit, recitare perjucundum. Utinam multos Byzantium Theophylactos habuisset, illius funestæ polemistarum turbæ loco, qui per totum medium ævum et ultra, in venandis latinis *kainotomiis* tantum insudarunt, separationisque inter fratres murum odii cæmento firmarunt!

## ADNOTATIONES AD CAPUT TERTIUM

### I. — De legatione Eustathii patriarchæ ad Joannem papam XIX (1024).

Hanc legationem ex narratione duorum historicorum latinorum novimus, scilicet ex Rodulpho Glabro († 1048) in *Historiis sui temporis* (987-1044), lib. IV, cap. I, et ex Hugone, Flaviniacensis monasterii abbate, in *Chronico Virdunensi*, II, 17. De priore dicunt historici quidam quod plenam fidem non mereatur, « cum vir irrequieti ingenii fuerit, qui ex uno monasterio in aliud voluntarie vel coacte migraverit, et amara mente scripserit [2]. » Quæ autem de legatione patriarchæ Eustathii refert, in dubium nemo vocat. Utriusque historici textum subjicimus. Rodulphus Glaber hæc habet :

« Circa annum Domini 1024, Constantinopolitanus præsul cum suo principe Basilio aliique nonnulli Græcorum consilium iniere, *quatenus cum consensu romani Pontificis liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicuti Romana in universo, universalem dici et haberi.* Qui statim miserunt qui deferrent multa ac diversa donorum xenia Romam tam Pontifici quam cæteris, quos suæ parti favere conspicerent. Ubi convenientes, exposuerunt apud Pontificem suæ profectionis querelam. Sed quid non pertentat cæcus amor habendi? estque proverbium, aureo pugillo murum frangere ferreum...

1. *Epistola ad Nicolaum*, 1, 2, 12, 15, 17, 18. *P. G., loc. cit.*, col. 226, 240, 248, 250.

2. Sic Antonius Weiss, *Historia ecclesiastica*, t. I, p. 605, Græcii et Vindobonæ, 1907.

Mox ut videre Romani Græcorum sibi deferri fulgidas opes, versum est cor illorum ad fraudulentiæ diverticula, pertentantes an forte clanculo concedere quiverent quod petebatur. Sed nequaquam. Non enim potest falli Summa Veritas, quæ spopondit : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Dum ergo adhuc leni sub murmure hujusce machinatores in conclavi sese putarent talia tractavisse, velox fama de ipsis per universam Italiam decurrit. Sed qualis tunc tumultus, quam vehemens commotio per cunctos exstitit qui audierunt, dici non valet. Præcipue tamen vir prudentissimus, Pater videlicet Willelmus [Abbas monasterii Sancti Benigni, juxta Divionem, in Gallia] ad romanum Pontificem de hac re misit epistolam corpore brevem sed materia ingentem ac sermone pungentem, talia continentem :

« Gratia Dei et reverentia beati Apostolorum principis Petri, sedium in orbe terrarum excellentissimæ indepto papæ Joanni Willelmus crucis Christi servus, sedem judicii cum Apostolis, et regni coronam. Magistri gentium dictis instruimur seniorem non increpandum. Idem tamen alias dicit : *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* Idcirco igitur filiationis diligentia hortamur communem vestram paternitatem, qualiter in uno imitemini cogitationes hominum providentem Dominum Salvatorem, ut dicatis ad aliquem vobis unanimem, quemadmodum ipse Petro : *Quid dicunt homines de me?* Si vero responsum illius ex fide fuerit, animadvertite qualiter sonuerit. Si autem clare, custodite ne obfuscetur. Si vero obscure, lux mundi oranda est, qualiter ita fulgeatis, ut universis in gremio Ecclesiæ constitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. Sed est fama rei, quæ nuper erga nos accidit, de qua quis audiens non scandalizatur, noverit se longe ab amore superno disparari. Quoniam licet potestas Romani imperii, quæ olim in orbe terrarum monarches viguit, nunc per diversa terrarum regatur sceptris, ligandi solvendique in terra et in cælo potestas dono inviolabili incumbit magisterio Petri. Atque ista idcirco diximus, ut animadvertatis non aliter Græcis quam cenodoxia hujusce, quam audivimus apud vos requirere, impetravisse. De cætero, quoque optamus, uti universalem decet antistitem, vos acrius in correctione ac disciplina sanctæ et apostolicæ Ecclesiæ vigere, æterneque ac feliciter valere. »

« Præterea Constantinopoli ad propria remeantes, confutata illorum undique tumida præsumptione conquievit. »

Hugo autem Flaviniacensis eadem brevius narrat, quibus nova quædam addit :

« Igitur, post Benedictum papam, frater ejus Joannes largitione pecuniæ (?) ex laicali ordine neophytus ordinatus est. A quo cum requisisset Constantinopolitanus antistes, *ut sua Ecclesia, sicut et romana, universalis diceretur*, et donis eum Romanosque, qui curiæ præerant, innumeris flecteret, ita ut clanculo tentarent concedere quod rogabatur, omnis ob hoc vehementissime commota est Italia. Sed Galliarum episcopi et abbates his obviare conati sunt, quidam in persona sua, quidam vero litteris missis Sedem Apostolicam visitantes, et tantum opprobrium et dedecus, auctoritatibus ad medium prolatis, quibus contradicere fas non esset, a romana Ecclesia propulsantes. Nec defuit in his patris Richardi authentica præsentia; immo omnino sategit, ut Constantinopolitana præsumptio conquiesceret, filium se romanæ Ecclesiæ, dum Matris honori providebat, ostendens. Inter alios quoque Willelmus abbas eximius epistolam Papæ misit corpore brevem, sed materia ingentem et sermone locupletem. »

Historici græci de hac legatione prorsus tacent. Ad hanc tamen forsan alludit Nicetas chartophylax, in suo libello : *De schismate Græcorum*, ubi dicit :

« Sub Sergio, qui Bulgaroctono imperante patriarcha fuit (999-1019), rursum dicitur accidisse schisma, cujus causam ignoro, *sed tamen de sedibus contentio fuisse videtur* [1]. »

Ut ex verbis Rodulphi Glabri patet, Eustathius omnimodam cum romano Pontifice æqualitatem non petebat; volebat autem, ut papa authentice sanciret illud ipsum quod Photius in sua synodo Sanctæ Sophiæ quodam canone decreverat, id est, ut patriarcha Constantinopolitanus tanquam papa imperii byzantini haberetur, salvo jure primatus Romanæ Sedis, salvo, dico, potius in abstracto, quam in concreto. Hic papatus orientalis de facto jam existebat, quia revera

1. Καὶ ἐπὶ Σεργίου, τοῦ ἐπὶ τοῦ Βουλγαροκτόνου πατριαρχεύσαντος, λέγεται πάλιν σχίσμα γενέσθαι· κατὰ ποίαν δὲ αἰτίαν ἀγνοῶ· δοκεῖ γὰρ διὰ τοὺς θρόνους. *De schismate Græcorum*, 15. *P. G.*, t. CXX, col. 717 D.

patriarchæ byzantini post Photium jurisdictionem romanam vix experti sunt. Tentavit ergo Eustathius factum in jus mutare. Cum autem hoc ei prospere non cessisset, nomen Papæ, ut videtur, e diptychis Constantinopolitanis expunxit, hocque pacto schisma consummatum est. Tota vero, ut diximus, agendi ratio Cærularii huc spectavit, ut instaurationem unionis impediret.

### II. — Sanctus Petrus Damianus et sanctus Anselmus de processione Spiritus Sancti contra Græcos.

Hi duo præclari Ecclesiæ catholicæ doctores et sæculi XI lumina contra Græcos de Spiritus Sancti processione quædam scripserunt notatu dignissima. Quamquam enim non omnia noverunt photiana sophismata, non raro tamen, præsertim sanctus Anselmus, suis dictis Byzantinorum fallaciis directe obviant.

#### Petrus

Verbis admodum breve, at sententiis grave est Petri Damiani opusculum ad quemdam regionum occidentalium patriarcham destinatum, qui ab Alexandro II, Summo Pontifice, (1061-1073) petierat, ut invictis Scripturarum testimoniis solveretur quæstio de processione Spiritus Sancti Græcos inter et Latinos agitata [1]. Primum quidem Petrus prudentiam laudat patriarchæ, qui non ad alium quempiam, sed ad Petrum quæstionem solvendam proposuit : « Hunc enim præ cæteris mortalibus de toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui cathedram magisterii principaliter in Ecclesia tenere perpetuo privilegii jure concessit, ut quisquis divinum aliquid ac profundum nosse desiderat, ad hujus præceptoris oraculum doctrinamque recurrat; nec illi humiliter offerre quod solvendum est, erubescat, etiamsi et ipse quod quæritur non ignorat [2]. » Certe recursus ad Petri magisterium infallibile est omnium facillima via quæstiones dirimendi; quam

1. *Opusculum XXXVIII contra errorem Græcorum de processione Spiritus Sancti, P. L.*, t. CXLV, col. 633-642.
2. *Ibid.*, cap. I, col. 634.

viam, utinam Græci, canoni 21 concilii œcumenici octavi obtemperantes [1], majorumque exempla secuti, a principio inivissent!

Petrus erroris Græcorum originem in eo detegit quod illi locis Scripturæ, ubi affirmatur simpliciter Spiritum Sanctum a Patre procedere vel mitti, sensum exclusivum tribuant : At, inquit, cum vel ipse Dominus, vel sancti quoque Ecclesiæ doctores Spiritum Sanctum a Patre procedere concorditer asserant, nusquam tamen perhibent quod a Filio non procedat; imo, cum dicitur Spiritus Sanctus a Patre procedere, a Filio quoque procedere credi necesse est, quia Pater et Filius unius ejusdemque substantiæ procul dubio est. Nam cum Filius dicat : *Ego et Pater unum sumus*, quomodo potest Spiritus Sanctus ab eo quod unum est et procedere et non procedere [2] ?

Deinde, ratiocinia mere humana in re prorsus supernaturali missa faciens, ad testimonia Scripturæ et Patrum provocat, et primo argumentum ducit ex missione :

« Cum Paraclitum, inquit, et Pater mittat in nomine Filii, et Filius mittat a Patre, patet profecto, quia sicut ab utroque, qui procul dubio unum sunt, mittitur, ita nihilominus et ab utroque procedit [3]. »

Multos sacræ Scripturæ locos citat, quorum præcipui sunt : *Ille de meo accipiet — Spiritus veritatis — Spiritus Christi — Spiritus Filii — Accipite Spiritum Sanctum* (cum insufflatione Joan., xx). De hoc ultimo textu hæc habet : « Nec sane putandum est quod flatus ille corporeus, qui tunc aerem percussit, Spiritus Sanctus fuerit, sed per congruam hanc signi-

1. *Si synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quæstione scisciari, et solutionem accipere, et aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos Senioris Romæ Pontifices.* Mansi, t. xvi, col. 174 et 406.

2. Cap. ii, col. 636. Cf. etiam cap. vi, ubi difficultati a Græcis sæpissime motæ occurrit : « Cur Filius simpliciter dixit : *De Patre procedit*, non vero dixit : *De Patre et me procedit ?* — Cur hoc, inquit, eum fecisse putamus, nisi quod solet referre id etiam quod suum est ad eum de quo ipse est ? » Et multos Scripturæ locos citat, in quibus Pater solus nominatur, et tamen Filius necessario includitur. Col. 640.

3. Cap. iii, col. 637.

ficationem convenienter ostensum est quod Spiritus Sanctus procedit ab ipso [1]. »

Prævidens autem objectionem adversariorum dicentium : *Non intelligitis Evangelium; nescitis quid sibi velint oracula prophetarum, quæ scilicet aliud sæpe prætendunt in litterarum superficie, aliud continent in spiritualis intelligentiæ veritate*, ad interpretationem Patrum et Ecclesiæ doctorum confugit : « Hi nimirum orthodoxam fidem verbis simplicibus exposuerunt, et litteris exaratam ad posteritatis memoriam reliquerunt. Illorum plane fuit ex apostolicis et propheticis sententiis ista discutere; nobis autem nil aliud restat, nisi præfixis dumtaxat eorum definitionibus obedire [2]. » Ex Patribus autem qui processionem Spiritus Sancti ab utroque docuerunt laudat Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Gregorium Magnum, Athanasium et Cyrillum Alexandrinum. Hæc ad Patrum auctoritatem provocatio, quando cum adversariis infallibilitatem romani Pontificis rejicientibus disceptatur, est sane optima via ad controversias dirimendas, multoque securior atque utilior ea, quæ rationis theologicæ ope solutionem quærit.

Demum Petrus perspicaciter ostendit aliquam esse differentiam inter Patrem et Filium relate ad processionem Spiritus Sancti. Licet enim Spiritus æqualiter ab utroque procedat, at *proprie* et *principaliter* a Patre, *quoniam ab illo datur Filio, ut ab ipso Spiritus procedat* [3].

### Anselmus

Multo productior ac locupletior est tractatus S. Anselmi, post synodum Bariensem (an. 1098) conscriptus, in quo sanctus Doctor Græcis veritatem doctrinæ catholicæ persuadere nititur ex quibusdam principiis ab ipsis admissis, scilicet ex

1. *Ibid.*, col. 637-638. Diceres Theophylactum opusculi nostri doctoris aliquam habuisse notitiam; conatur enim, ut supra vidimus, argumentum ex insufflatione Domini sumptum enervare, et Latinos arguit quod missionem cum processione confundant.

2. Cap. v, col. 638-639.

3. Cap. vii, col. 641. Petrus in symbolo pseudo-Nicæno legebat : « Credimus et in Spiritum Sanctum, qui de Patre procedit *proprie*. » Huic effato eumdem jure tribuit sensum ac dicto augustiniano : *Qui de Patre procedit principaliter*. »

confessione mysterii Trinitatis, prout in symbolo Nicæno-Constantinopolitano exprimitur, atque ex auctoritate sacræ Scripturæ. Probatio ex Patrum traditione omnino deficit; neque ullum occurrit verbum de ratione theologica quae fundatur super analogia ex mente humana sumpta [1].

Præcipua ratio theologica, quam fuse ac magna cum subtilitate evolvit auctor, ex summa simplicitate divina desumitur. Ostendit enim : 1° Nomina personarum divinarum esse relativa; non enim est Pater nisi Filii, nec Filius nisi Patris; nec Spiritus Sanctus nisi Patris et Filii [2]; quod Græci admittunt; 2° In Deo omnia unum esse, ubi non obviat aliqua oppositio relationis [3].

Quando vero sanctus Anselmus primum ponit hoc celebre axioma, nondum probavit Spiritum Sanctum esse etiam a Filio, sicut est a Patre, sed Græcis concedit, *saltem ad tempus*, oppositionem relationis inter Filium et Spiritum Sanctum existere ex hoc quod unus nascendo, alter procedendo, a Patre esse habeant [4].

1. Hanc rationem tangit S. Anselmus in *Monologio*, cap. XLIX, vel L, *P. L.*, t. CLVIII, col. 200-201.

2. *De Processione Spiritus Sancti contra Græcos*, cap. I, *P. L.*, *ibid.*, col. 287.

3. « Sic ergo hujus unitatis et hujus relationis consequentiæ se contemperant, ut nec pluralitas quæ sequitur relationem transeat ad ea in quibus prædictæ simplicitas sonat unitatis; nec unitas cohibeat pluralitatem, ubi eadem relatio significatur; quatenus nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio, nec relatio perdat quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis. » Cap. II, col. 288 C.

4. Tota argumentatio sancti Doctoris in hoc tractatu ad hoc tendit, ut ostendat pluralitatem in divinis oriri solummodo ex relatione opposita originis. Attamen quædam habet, quæ primo aspectu sententiæ Scoti favere videntur. Dicit enim, cap. IV, col. 292-293 : « Habent utique a Patre esse Filius et Spiritus Sanctus, *sed diverso modo;* quia alter nascendo, alter procedendo, ut alii sint per hoc ab invicem, ut dictum est.... Et ideo non habet hic unitas illam vim consequentiæ, quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate nascitur et processione. *Nam etsi per aliud non essent plures Filius et Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi.* » Et, cap. XXI, col. 321 D : *Patet ergo præter hoc quia Filius existit nascendo, et Spiritus Sanctus procedendo, hac quoque causa, quia scilicet Spiritus Sanctus est de Filio, eos de invicem non posse dici.* Alii aliter mentem sancti Doctoris explanarunt. S. Thomas dicit illum tanquam ex sententia Græcorum hæc proferre; quod cum contextu difficile

Hoc autem posito, argumentum evolvit dialecticæ ope, quod sic breviter contrahi potest :

Non est Deus de Deo nisi aut nascendo, ut Filius, aut procedendo, ut Spiritus Sanctus (Propositio de fide, a Græcis admissa).

Atqui Filius non nascitur de Deo Spiritu Sancto; secus enim esset Filius Spiritus Sancti, et Spiritus Sanctus ejus Pater; quod est contra catholicam fidem (Minor a Græcis admissa).

Ergo Filius nascitur de solo Deo Patre (Conclusio a Græcis admissa).

Atqui si Filius non est de Spiritu Sancto, necessario Spiritus Sanctus est etiam de Deo Filio (Negatur a Græcis).

Sic autem propositio probatur :

Spiritus Sanctus est de Deo Patre (a Græcis admissa).

Atqui Spiritus Sanctus non est de Deo Patre, quatenus Deus Pater est Pater; secus Spiritus Sanctus esset Filius Patris, et Pater esset ejus Pater, quod est contra fidem (a Græcis admissa).

Ergo Spiritus Sanctus est de Deo Patre, quatenus Deus Pater est Deus (A Græcis logice negari non potest).

Atqui, quatenus Deus Pater est Deus, non distinguitur a Filio (qui est etiam Deus, et Deus totus). sed cum illo est unus Deus. Hic enim unitas suam non amittit consequentiam, quia deest oppositio relationis. Pater enim opponitur Filio, quatenus est Pater, et non quatenus est Deus; neque Filius opponitur Patri, qua Deus, sed qua Filius (A Græcis negari non potest).

Ergo Spiritus Sanctus ab uno Deo, Patre et Filio, suum esse habet; seu procedit a Patre et Filio tanquam ab uno principio. (A Græcis logice admitti debet).

Argumentum adhuc brevius proponi potest : « Spiritus Sanctus est de Deo Patre, non qua Patre, sed qua Deo; unde est etiam a Filio, quia Filius est Deus, sicut Pater est Deus; non sunt duo Dii, sed unus Deus.

Quamquam photianam *Mytagogiam* sanctus Anselmus non

congruit. Quidquid sit, unum certum est, scilicet Anselmum non explicare quomodo Filius et Spiritus Sanctus inter se realiter distinguerentur, si nullo originis nexu inter se conjungerentur.

legit, præcipua tamen axiomata photiana convellit. Primo, calumniam Græcorum quod Latini duo ponant principia Spiritus Sancti his verbis refellit :

« Sicut non credimus Spiritum Sanctum esse de hoc unde sunt duo Pater et Filius, sed de hoc in quo unum sunt, ita non dicimus duo esse ejus principia, sed unum principium. Quippe cum dicimus Deum principium creaturæ, intelligimus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum principium, non tria principia; sicut unum creatorem, non tres creatores, quamvis tres sint Pater et Filius et Spiritus Sanctus; quoniam per hoc in quo unum sunt, non per hoc quod tres sunt, est Pater aut Filius aut Spiritus Sanctus principium sive creator. Si igitur, quamvis Pater sit principium, et Filius sit principium, et Spiritus Sanctus sit principium, non tamen sunt tria principia, sed unum : ita, cum Spiritus Sanctus dicitur esse de Patre et Filio, non est de duobus principiis, sed de uno, quod est Pater et Filius, sicut est de uno Deo, qui est Pater et Filius [1]. »

Directe autem sanctus Doctor contradicit tertio axiomati Photii : *Pater producit Filium et Spiritum Sanctum non ratione naturæ, sed ratione personæ,* λόγῳ ὑποστάσεως.

« Non est, inquit, Filius aut Spiritus Sanctus de Patre, nisi de Patris essentia... Stultissimum est dicere divinam essentiam esse in Spiritu Sancto non de deitate Patris, sed de relatione. Quamvis et si hoc velit aliquis accipere, non minus sequitur Spiritum Sanctum de Filio quam de Patre procedere. Nempe nihil relatio est Patris sine relatione Filii, sicut nihil est Filii relatio sine Patris relatione. Si ergo altera nihil est sine altera, non potest aliquid de relatione Patris esse sine relatione Filii. Quare sequitur Spiritum Sanctum esse de utraque, si est de una. Itaque, si est de Patre secundum relationem, erit similiter et de Filio secundum eumdem sensum. Verum, quia nemo tam insipiens est qui hoc opinetur, credendum et confitendum est ideo de Patre Spiritum Sanctum esse, quia est de Deo. Non autem magis est Pater Deus quam Filius, sed unus solus verus Deus, Pater et Filius. Quapropter, si Spiritus Sanctus est de Patre, quia est de Deo qui Pater est, negari nequit esse quoque de Filio, cum sit de Deo qui est Filius...

1. Cap. XVIII, col. 311-312.

« Quod si dicit aliquis quia, cum dico Spiritum Sanctum procedere de deitate Patris et Filii, non possum deitatem Spiritus Sancti ab hac Patris et Filii deitate separare, quoniam una et eadem est deitas trium, et ideo sequi, si de deitate Patris et Filii procedit, de sua quoque eum procedere, et ob hoc Spiritum Sanctum de seipso procedere; ad hoc jam supra me sufficienter memini respondisse quia nulla persona ex seipsa esse potest. Nam sicut Filius, cum est de Patris essentia, quamvis non sit alia, sed eadem Filii essentia quæ est Patris, non tamen est de seipso, sed de Patre solo; ita Spiritus Sanctus, cum est de essentia Patris et Filii, quæ est eadem illi, non tamen est de seipso, sed tantummodo de Patre et Filio [1]. »

Nec minus argute evertit sextum axioma petitum de prioritate et posterioritate processionum :

« Si vero objicitur, cum dicimus Filium a Patre nasci et Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, quia quosdam gradus et quædam intervalla constituimus, quasi Spiritus Sanctus esse non possit, nisi Filius prius nascatur a Patre, ut posterior Filio sit Spiritus Sanctus, et ideo rectius dici quod pariter sint a Patre Filius nascendo et Spiritus Sanctus procedendo, ita ut nec Filius a Spiritu Sancto sit, nec Spiritus Sanctus a Filio, sicut splendor et calor pariter sunt de uno sole, nec splendor a calore est, nec calor a splendore; si, inquam, hoc aliquis nostræ objicit assertioni, respondemus :

« Nos nec gradus dignitatis ponimus in Deo, qui unus est; nec in existendo Filium de Patre, aut Spiritum Sanctum procedere de Patre et Filio, intervalla in æternitate, quæ est extra omne tempus, statuimus. Similiter enim omnes christianam fidem tenentes confitemur nec minorem nec posteriorem Filium esse Patre, quamvis nonnisi de illo sit. Ita quoque nos, qui dicimus Spiritum Sanctum de Filio esse sive procedere, nec minorem nec posteriorem eum Filio fatemur. Nempe, quamvis splendor et calor de sole procedant, nec possint esse, nisi sit ille de quo sunt, nihil tamen prius aut posterius in tribus, in sole scilicet et splendore et calore, intelli-

1. Cap. IV, col. 291; cap. VII, col. 298; cap. XV, col. 308-309. Nota S. Anselmum non tradere explicite distinctionem inter *principium quod* et *principium quo*, sed solummodo implicite.

gimus; multo itaque minus, cum hæc in rebus temporalibus ita sint, in æternitate, quæ tempore non clauditur, prædictæ tres personæ in exsistendo susceptibiles intervalli possunt intelligi [1]. »

Formulæ autem græcæ : *A Patre per Filium procedit*, quam a multis antiquis Patribus usurpatam fuisse ignorare videtur [2], acutam censuram agit, ejusque defectus apprime detegit [3], quamvis aliquo bono sensu accipi posse concedat. Dicit enim : « Dicamus igitur quia Spiritus Sanctus, cum procedit a Patre per Filium, procedit et a Filio similiter; sicut quæ facta sunt a Patre per Verbum, facta sunt similiter ab ipso Verbo; nisi forte intelligunt Spiritum Sanctum procedere de Patre per Filium, quemadmodum cum fons fluit in rivum, et rivus colligitur in lacum, *dicitur lacus esse de fonte per rivum*. Sed ibi non est rivus in fonte, sed extra fontem, sicut est Filius in Patre et non extra Patrem. Quare non sic est Spiritus Sanctus de Patre per Filium, sicut est lacus de fonte per rivum. Si tamen sic est, negari nequit esse de Filio, quamvis sit de Patre per Filium; sicut fatendum est lacum esse de rivo, quamvis sit de fonte per rivum. Qui enim negat lacum esse de rivo, quoniam prius est de fonte rivus, dicat se non esse de patre suo, sed de Adam, quoniam per patrem suum est de Adam.

« Ecce videtis rivum de fonte procedere quasi de originali principio, lacus autem non procedit sed colligitur de rivo, quamvis habeat esse de illo. Ita igitur, etsi Spiritus Sanctus habeat esse de Filio, non tamen procedere proprie dicitur de Filio, sed de Patre quasi de principio [4]. Hoc forsitan diceretur recte, si Filius, nascens de Patre, procederet extra Patrem, et medio quodam spatio interveniente, prius intelligeretur esse

1. Cap. XIII, col. 306-307.

2. « Sicut nobis dicitur, ne omnino separent Filium a Patris communione in hac Spiritus Sancti processione, asserunt eum *de Patre per Filium procedere*. Sed *hoc quomodo intelligi possit, non videtur; præsertim cum nusquam legant, unde hoc aperte probare queant.* » Cap. XV, col. 307. S. Anselmus theologiam Græcorum de Trinitate prorsus ignorat, et conceptum latinum, essentiam divinam in recto considerantem, semper retinet; acuitate tamen ingenii multa conjicit.

3. Cap. XV-XVI, col. 307-310.

4. Alludit ad sensum specialem verbi ἐκπορεύεσθαι, prout explicatur a quibusdam Græcis.

Spiritus Sanctus de Patre quam de Filio; sicut rivus de fonte, fluens, extra fontem procedit, et quodam intervallo in lacum colligitur, et prius est lacus de fonte quam de rivo; et ideo est de fonte per rivum, non de rivo per fontem. Verum, cum Filius, nascens de Patre, non exeat extra Patrem, sed in ipso manens, nec loco nec tempore nec essentia divisus sit a Patre; et cum unum sit idemque Patri et Filio id unde procedit Spiritus Sanctus, nec intelligi potest, nec dici debet Spiritum Sanctum procedere de Patre, et non de Filio. Non ergo videtur qua ratione dicatur Spiritus Sanctus non procedere de Filio, sed de Patre per Filium, cum etiamsi per Filium nequeat, non de Filio [1]. »

Hanc comparationem de fonte, rivo et lacu Anselmus mira perspicuitate ad mysterium sanctissimæ Trinitatis accommodat, quin tamen ad diagramma græcorum Patrum alludat :

« Constat quia una eademque aqua est, quæ et fons et rivus et lacus dicitur, non tres aquæ, quamvis tres sint, fons, rivus et lacus. Discernamus itaque inter fontem, rivum et lacum, et videamus quid singula hæc, cum tria sint, in una intelligantur aqua. In fonte quidem aqua de abysso ascendens ebullit, in rivo de fonte descendens fluit; in lacu colligitur et manet. Per fontem ergo intelligitur aqua de abysso ebulliens; per rivum, quia de fonte fluit, per lacum, quia simul ibi coadunatur. Videmus autem quia rivus non est de hoc unde aqua fons dicitur, sed de hoc quod est, id est, de aqua; nec lacus est de hoc unde aqua dicitur fons aut rivus, sed de ipsa aqua, quæ una et eadem est in fonte et in rivo. Non ergo de hoc unde differunt fons et rivus, sed de hoc in quo unum sunt, lacus existit. Si ergo non magis fons est hoc unde lacus est quam rivus, nequit intelligi lacus magis esse de fonte quam de rivo. Sic itaque cum dicitur Deus Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, una in tribus intelligitur essentia et unus Deus, quod nomen est ipsius significativum essentiæ; sed in Patre intelligitur gignens, in Filio genitus, et in Spiritu Sancto

1. Cap. xvi, col. 309-310. Dum S. Joannes Damascenus dicit Spiritum Sanctum non de Filio, sed per Filium a Patre procedere, significare intendit ordinem processionum, atque indicare Patrem esse principium primordiale, a quo Filius una cum suo esse accipit vim spirativam.

singulari quodam et ineffabili modo procedens. Quemadmodum igitur lacus non est de hoc, unde diversi sunt ab invicem fons et rivus, sed de aqua, in qua unum sunt; ita Spiritus Sanctus non est de hoc unde alii sunt ab invicem Pater et Filius, sed de divina essentia, in qua unum sunt. Si ergo non magis est Pater hoc unde Spiritus Sanctus est quam Filius, intelligi nequit cur magis sit de Patre quam de Filio [1]. »

Bene vero explicat sanctus Doctor effatum sancti Augustini : *Spiritus Sanctus a Patre procedit principaliter.*

« Si dicitur quia Spiritus Sanctus *principaliter* est de Patre, quasi magis sit de Patre quam de Filio, non ita dicendum est, ut intelligatur ulla prædictarum varietatum inesse; sed quoniam Filius hoc quod est, de Patre habet, idcirco hoc ipsum quod Spiritus Sanctus est de Filio, habere de Patre, de quo habet esse, non inconvenienter asseritur... Sicut Pater non est magis Deus quam Filius, quamvis Filius habeat esse de Patre; ita non est magis Spiritus Sanctus de Patre quam de Filio, licet Filius a Patre habeat, ut de illo sit Spiritus Sanctus. In eo enim in quo est unus idemque cum Patre, id est, in eo quod Deus est, non est alius ille et alius Pater; neque dissimiliter habet aliquid, quia non est alius Deus Pater, et alius Deus Filius [2]. »

Ad probationes ex sacra Scriptura desumptas quod attinet, Anselmus eas diserte explanat, feliciterque, ut plerumque, Græcorum difficultatibus occurrit. De missione hæc habet :

« Unde est Filio simul cum Patre dare vel mittere Spiritum Sanctum, et hunc esse utriusque, si simul non est de utroque? Cur enim magis dat Filius Spiritum Sanctum, quam Spiritus Sanctus Filium? Aut cur magis Spiritus Sanctus est Filii, quam Filius Spiritus Sancti, nisi quia Filius non est ita de Patre simul et de Spiritu Sancto, sicut Spiritus Sanctus est de Patre simul et de Filio? Si ergo Spiritus Sanctus non est de Filio, non detur a Filio, nec dicatur esse Filii, sicut Filius non datur a Spiritu Sancto nec dicitur esse Spiritus Sancti, quoniam non est de Spiritu Sancto. Si autem dicunt quia Spiritus Sanctus mittit etiam Filium, sicut idem ipse dicit per pro-

1. Cap. XVII, col. 311.
2. Cap. XXIV, col. 319.

phetam : *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus* (Is., XLVIII, 16), hoc secundum hominem quem gerebat intelligendum est, qui Patris et Spiritus Sancti una voluntate et dispositione mundum redempturus in mundo apparuit [1]. »

Sicut fecerat Petrus Domianus, probationem ducit ex insufflatione Domini in Apostolos post resurrectionem :

« Quid sibi vult ista insufflatio? Scimus enim quia flatus ille, qui de ore ejus tunc processit, non erat Spiritus Sanctus. Non ergo credimus illam insufflationem sine aliquo mysterio factam esse. Quid igitur rectius hic intelligi potest, aut aptius, quam hoc ideo illum fecisse, ut intelligeremus Spiritum Sanctum de illo procedere? Ac si diceret : « Sicut videtis hunc flatum per quem vobis Spiritum Sanctum, sicut sensibilibus insensibilia significari queunt, significo de intimo corporis mei et de persona mea procedere, ita scitote Spiritum Sanctum, quem vobis per hunc flatum significo, de secreto deitatis meæ et de mea persona procedere [2]. »

Verba Christi : *De meo accipiet*, ita interpretatur :

« Cum profert Filius : *De meo accipiet, et annuntiabit vobis*, palam ostendit eum de suo, hoc est de essentia sua, essentiam habere, et procedere. Quod enim divina essentia non est, sub Spiritu Sancto est; nec ipse accipit aliquid de hoc quod sub se est. Quare cum Filius dicit : *De meo accipiet*, non aliud ibi suum significat quam suam essentiam [3]. »

Processionem Spiritus Sancti ex Patre et Filio deducit ex effatis Scripturæ : *Spiritus Patris — Spiritus Filii*, respondetque Græcis nullam adesse probabilem rationem cur Spiritus Sanctus aliter sit Patris, et aliter Filii. Est autem Spiritus Patris, quia procedit a Patre; ergo procedit etiam a Filio [4].

Optimum argumentum ad hominem contra Græcos desumit ex verbis Christi : *Nemo novit Filium nisi Pater*; *neque Patrem quis novit nisi Filius, aut cui voluerit Filius revelare* (Matth., XI, 17) :

« Si Græci eligunt Spiritum Sanctum nosse Patrem et Filium per revelationem Filii, habet a Filio nosse, quod non

1. Cap. IX, col. 300.
2. Cap. X, col. 301-302.
3. Cap. X, col. 304.
4. Cap. XXI, col. 315-317.

est aliud illi quam esse. Est igitur, et procedit a Filio, quoniam ab illo procedit a quo est. Si autem dicunt, cum Pater et Filius dicuntur nosse se, quia essentia, per quam se noscunt eadem est Spiritui Sancto, consequi Spiritum Sanctum ejusdem esse consortem notitiæ; cum legunt illum a Patre procedere, de quo ait Filius: *Ego et Pater unum sumus*, confiteantur nobiscum, propter essentialem identitatem Patris et Filii, illum a Filio quoque procul dubio procedere [1]. »

Objectioni autem adversariorum ex verbis Christi : *Qui a Patre procedit*, petitæ in hunc modum respondet :

« Non est hoc inusitatum in dictis Christi, ut, cum attribuit aliquid Patri quasi soli, vel sibi, vel Spiritui Sancto, velit in aliis intelligi quod in uno loquitur... Quidquid de una persona pronuntiatur, de aliis pariter oportet intelligi, nisi cum hoc, unde aliæ sunt, ut dixi, ab invicem, obviare cognoscitur. Quapropter, cum credimus Spiritum Sanctum de Patre procedere, quoniam Deus de Deo, id est, essentia Spiritus Sancti de essentia Patris, quæ una est in tribus, esse intelligitur, necesse est, ut de Filio eum similiter esse confiteamur, si Filius non est de illo; de hoc enim est Spiritus Sanctus, quod est Filius et quod est Pater [2]. »

Prorsus congruam etiam profert defensionem additionis ad symbolum :

« Si quæritur cur factum sit, dicimus quia necesse erat propter quosdam minus intelligentes, qui non animadvertebant in illis, quæ universa credit Ecclesia, contineri, et ex his sequi Spiritum Sanctum de Filio procedere, ne forte hoc credere dubitarent. Quod quam necessarium fuerit, per illos qui hoc negant, quia in illo symbolo positum non est, cognoscimus. Quoniam igitur *et necessitas cogebat, et nulla ratio prohibebat, et vera fides hoc admittebat, fiducialiter asseruit Latinitas quid credendum et confitendum esse cognoscebat.* Scimus enim quod non omnia, quæ credere et confiteri debemus, ibi dicta sunt; nec illi qui symbolum illud dictavere, voluerunt fidem christianam esse contentam ea tantummodo credere et confiteri quæ ibi posuerunt... Si autem dicunt nullo modo debuisse corrumpi symbolum tanta auctoritate taxatum,

1. Cap. XII, col. 306.
2. Cap. XIX, col. 312-314.

nos non judicamus esse corruptionem, ubi nihil addimus quod his, quæ ibi dicta sunt, adversetur. Et quamvis defendere possemus hanc adjectionem non esse corruptionem, *si quis tamen hoc contentiose voluerit asserere, respondemus nos illud non corrupisse, sed aliud novum edidisse; illud enim secundum proprietatem græci dictaminis translatum, cum illis integrum servamus et veneramur; istud autem, quo frequentius in populi audientia utimur, latino more dictatum cum additamento supradicto edidimus.*

« Quod autem quæritur, quare hoc Græcorum Ecclesiæ consensu factum non est, respondemus et quia nimis erat difficile Latinis eorum episcopos ad consulendum de hac re colligere, nec erat necesse unde non dubitant, hoc in quæstionem adducere. Quæ est enim Ecclesia, quæ vel per amplitudinem unius regni dilatatur, cui non liceat aliquid secundum rectam fidem constituere quod in conventu populi utiliter legatur aut cantetur? Quanto ergo magis licuit Latinis hoc constanter proferre, in quo omnes gentes et omnia regna, quæ latinis utuntur litteris, pariter concordant [1]. »

Tandem Anselmus excellentiam doctrinæ Latinorum præ sententia photiana, abstractione facta a quavis Ecclesiæ solemni definitione, his ostendit verbis :

« Ecce vidimus de quanta veritate et quanta necessitate sequatur Spiritum Sanctum de Filio procedere. Quod si verum non est, aut aliquid eorum, ex quibus hoc diximus consequi, falsum est : quod est contra christianam fidem, quam cum Græcis tenemus; aut non consequenter conclusimus : quod ostendi nequit. Quare, si verum non est, fides christiana destruitur. Palam etiam est intelligenti, si falsum esse ponitur, quia nulla inde veritas nascitur. Consideremus quoque quid eveniat, cum pro vero asseritur. Utique si verum est Spiritum Sanctum procedere a Filio, sicut a Patre, sequitur quia Filii Spiritus est, sicut Patris, et mittitur et datur a Filio, sicut a Patre; quod divina docet auctoritas, et nulla penitus sequitur falsitas. Cum autem processio Spiritus Sancti a Filio negata tantam inducat falsitatem, ut illa ex quibus eam consequi monstravimus, destruat, contra, fidem christianam, nec ullam generet veritatem, et asserta tantam

1. Cap. XXII, col. 317-318.

probat veritatem, sicut ostendimus, nec aliquam ullatenus secum trahat falsitatem, cogitet cor rationale qua ratione illam excludat a fide christiana. « Denique si error est hanc credere de Filio Spiritus Sancti processionem, ipsa divina auctoritas nos in errorem inducit, cum et illa ex quibus hæc sequitur processio, et quæ illam sequuntur, nos docet; nec alicubi aut illum negat, aut quod illi repugnet aliquo modo pronuntiat. Si ergo opponitur, quia nusquam eam profert divina auctoritas, ideo non esse dicendam, dicatur similiter, quia nusquam illam negat, nec aliquid dicit quod repugnet, non esse negandam. Dicimus etiam quia satis illam affirmat, cum illa asserit unde probatur, et nullo modo aliquid significat unde negatur [1]. »

Sine ulla controversia, opus sancti Anselmi, quamquam notitia theologiæ Patrum græcorum in eo desideratur, est omnium, quæ a Latinis de processione Spiritus sancti ante sæculum XII conscripta fuere, gravissimum atque ad controversiam accommodatissimum.

### III. — De opusculo contra Francos.

Hoc opusculum, ab Hergenröther e codice Vaticano græco *1101* editum [2], est recensio viginti octo criminationum in Latinos, a quodam anonymo in secundo dimidio sæculi XI conscripta. In quibusdam codicibus, inter quos est ipse Vat. *1101*, sub nomine Photii venit; in aliis vero [3], nullum nomen auctoris præ se fert. Ut erudite demonstravit Hergenröther [4], quamquam in eo occurrunt quædam ex criminationibus photianis contra Latinos aliunde nobis notis, Photio tamen tribui non potest; optime autem Cærularii ævo congruit. Jam seculo XII, Hugo Hetherianus hujus opusculi versionem latinam in paucis discrepantem dabat [5]. Cæte-

1. Cap. XXVI, col. 321.

2. *Monumenta græca ad Photium ejusque historiam pertinentia*, Ratisbonæ, 1869, p. 62-71.

3. V. g., in *Vat. græc. 1004*, fol. 185 sq.

4. *Photius*, t. III, p. 172-224. Hergenröther de unaquaque criminatione in opusculo notata fuse tractat.

5. Hanc versionem ad calcem sui operis polemici contra Græcos, anno 1252 conscripti, posuerunt Dominicani monasterii Peræ. Cf. *P. G.*, t. CXL, col. 541 sq.

rum, progrediente tempore, multipliciter interpolatum est, et posteriores novitatum latinarum venatores ad suos elenchos texendos illo usi sunt [1]. Notandum est autem neque omnes criminationes photianas, neque omnes cærularianas ibi indicari, quasdam vero inveniri, quas neque Photius, neque Cærularius in medium protulerunt. Sunt autem fere omnes omnino futiles, ad usus latinos nullo modo reprehensibiles spectantes, in quibus describendis errores passim deprehenduntur. Hunc catalogum ob oculos lectoris ponere utile ducimus, cum ad manifestandum verum animum Byzantinorum erga Latinos, tempore consummationis schismatis, non parum conferat; jamque inde ab anno 1280, in corpus juris authenticum Slavorum orientalium seu Russorum, nomine *Kormtchaiæ Knighæ* vulgatum, fuerit relatus.

Opusculi procœmium omnino mirum, sigillumque cærularianum præ se ferens [2]:

« Romanus Pontifex et quotquot sunt ex parte Occidentis christiani extra sinum Ionium, Itali, Longobardi, Franci, qui et Germani, Amalphitani, Veneti et reliqui præter Calabrorum gentem et nationem Alamannorum (ex his enim postremi quidem nihil a priscis gentilibus differunt nec religione nec morum procacitate; Calabri autem christiani orthodoxi sunt ab initio, et apostolicæ Ecclesiæ nostræ ritibus nutriti), *omnes una cum papa a multis jam annis extra catholicam Ecclesiam degunt* [3], *et ab Evangelii, apostolorum Patrumque traditionibus alieni, ob iniquos et barbaros, quos sectantur, ritus* (vel mores), quorum deteriores et graviores hi sunt :

Sequitur index consuetudinum latinarum, quarum duæ primæ ad additionem vocis *Filioque* ad symbolum atque ad

1. Sic, fere ad verbum transcripsit hoc opusculum auctor alterius elenchi novitatum et criminationum, initio sæculi XIII concinnati, cujus duplex editio exstat, una a P. Stewart e codice Monacensi *256* desumpta, *Bibliotheca Patrum maxima Lugdunensis*, t. XXVI, p. 471-473; altera a J. B. Cotelerio e codice Reg. Paris. *1772*, tertio tomo *Monumentorum Eccles. græc.*, p. 495-514, inserta.

2. In variis codicibus titulus differt. In Vaticano *1101*, sic se habet : Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως· Περὶ τῶν Φράγγων καὶ τῶν λοιπῶν Λατίνων. In aliis, nomen Photii deest. In tractatu polemico Dominicanorum, inscribitur : *Contra romanum Pontificem.*

3. Hoc dixerat Cærularius in sua prima epistola ad Petrum Antiochenum. Cf. supra, p. 282.

azymorum usum referuntur; de quibus fuse egimus. Cæteræ his notantur verbis :

3. Episcopi ipsorum, belli tempore, in acie stant, et ante cæteros prœliantur [1].

4. Jejunant sabbatis, et licet contingat in sabbato festum Nativitatis Christi aut Epiphaniæ, jejunium non solvunt [2].

5. Magnæ Quadragesimæ jejunium a quarta primæ hebdomadis feria auspicantur.

6. Lacticiniorum hebdomada, nec carnibus abstinent nec lacticiniorum usum, τυροφαγίαν, agnoscunt[3].

7. Non jejunant integram Quadragesimam; sed ipsi quidem quinta sanctæ magnæque hebdomadæ feria, ova et caseum et lac comedunt, pueris vero suis lac atque ova cunctis Quadragesimæ Dominicis permittunt.

8. Imagines sanctorum, præter crucifixionis, non exponunt, sed et ipsam crucifixionem non per picturam, sed opere glyptico quasi quoddam sculptitium faciunt.

9. In sacra ingredientes templa et ad solum prona facie provoluti susurrant; deinde crucem in solo efformantes digito, exosculantur et surgunt, et orationem hoc pacto absolvunt [4].

10. Matrem Domini nostri Jesu Christi non vocant Deiparam, sed tantum sanctam Mariam [5].

11. Ad ipsorum sanctuarium quicumque vult ingreditur, etiam quo tempore missam celebrant, cujuscumque sit ille sexus, aut gradus, aut ætatis; etiam et mulieres, quando velint, sedent in subsellio episcopis destinato. Ita sciunt distinguere inter sancta et profana!

12. Suffocata comedunt et a feris capta, et morticina et sanguinem et ursos et fluviales canes (κυνοποτάμους) et

1. A Cærulario ibidem notatur.

2. Notatur tum a Photio tum a Cærularianis. Quod autem jejunium sabbati Latini non solverint in magnis festis, hoc veri similitudine omnino caret, nec cum dictis Nicolai I ad Bulgaros congruit.

3. A Photio et Cærulario quoad substantiam notatur.

4. Notatur in epistola Theophylacti ad Nicolaum, 2 : προσκυνῆσαι δεῆσαν τῷ Κυρίῳ, τῷ ἐδάφει κολλώμενοι.

5. Hæc calumniosa criminatio exinde forsan originem ducit, quod apud Latinos ecclesiæ communiter sanctæ Mariæ dicabantur, dum apud Byzantinos τῇ θεοτόκῳ sacræ erant.

lupos (τζακάλεις). aliaque immundiora his animalia magisque abominanda [1].

13. Sacerdotes et episcopi eorum vestes non ex lana, sed ex serico contextas induunt, multis eas coloribus distinctas [2]; annulosque gestant [3], manusque amiciunt chirothecis; et in dextera quidem scribitur : *Manus tanquam a nube;* in sinistra vero : *Agnus Dei* inscriptus est.

14. Iidem sacerdotes in aqua solum baptizant, injicientes sal in os baptizati [4]; et inspuunt in sinistra manu, cum dextera autem salivam permiscentes, baptizatum illinunt, baptizatos quoque ad firmiorem provectos ætatem atque in peccata lapsos oleo inungunt in remissionem peccatorum, bisque videntur baptizare [5].

15. Iidem sacerdotes alias quasdam expiationes (ἀνακαθάρσεις) faciunt quotidie et aspersiones (ῥαντισμούς) ad avertenda ea quæ extimescunt, judaicis servientes ritibus [6].

16. Cum quinque digitis obliquo nescio quo modo se signant, et postea cum pollice faciem obsignant.

17. A quarta primæ hebdomadæ feria usque Pascha, *Alleluia* non cantant [7].

18. Qui ordinantur diaconi et presbyteri et episcopi uxores suas dimittunt; et per omnes subjectas ipsis regiones edixerunt, ut sui sacerdotes suas dimittant uxores [8]; hi autem non solum horum edictum non receperunt, sed insuper, defunctis prioribus uxoribus, secundas palam accipiunt, nonnulli vero et tertias; et impune ac libere sacra peragunt.

19. Dicunt non esse aliis linguis Deum laudandum, nisi his tribus : hebraica, græca et latina [9].

1. Notatur a theologis cærularianis.
2. Occurrit apud Theophylactum, *op. cit.*, 2.
3. Notatur a Cærulario.
4. Notatur a Cærulario.
5. Alluditur ad procrastinationem sacramenti confirmationis apud Occidentales.
6. Græci etiam varias habent, benedictiones pro diversis rebus et necessitatibus, ut patet ex ipsorum Euchologio.
7. Notatur a Cærularianis.
8. Notatur a Photio et a theologis cærularianis.
9. Hæc sententia jam sæculo IX, tempore SS. Cyrilli et Methodii inter Latinos vulgata erat; cui tamen non suffragati sunt romani Pontifices, qui linguæ slavonicæ usum approbarunt.

20. Episcopos suos mortuos totis octo diebus insepultos linquunt, et qui de parœcia sunt confluentes, muneribus eos donant; et tunc sepeliunt non in crucis forma, ut nos solemus, manus componentes, sed deorsum illas ad femora extendentes et cuncta sensoria obstruentes cera. Eadem vero et in laicos mortuos faciunt.

21. Sacerdotes ipsorum ter et quater in uno eodemque templo missas celebrant [1], vel etiam quolibet alio loco, non discernentes sacra a profanis.

22. Quilibet ipsorum filiam suam alteri collocans, inde rursus accipit consoceri (συμπενθεροῦ) filiam suo filio uxorem aut fratri aut alteri cognato [2].

23. Si quis e monachis episcopus factus fuerit, carne quoque vesci libere sinitur, imo et monachi, si forte contingat alicui ipsorum levis infirmitas, carnes comedunt [3]; communiter autem omnes, etiam sani, utuntur suillo adipe [4].

24. Quadragesimam regiones ipsorum et nationes conterminæ non æqualiter jejunant. Polonia enim (ἡ Λεχία) jejunat hebdomadas novem; reliquæ autem regiones aut octo, aut plures vel pauciores, Itali vero dumtaxat sex.

25. Crucem Domini aliis quidem diebus omnibus in ecclesiis habentes et venerantur et inspiciunt,... at tempore Quadragesimæ... eam in quodam occulto loco convolutam abscondunt una cum et Alleluia; die vero sabbati sancti, ex suis adytis revelantes quasi e monumento resurgentem populis ostendunt; et repente ab omnibus ingenti clamore enuntiatur Alleluia; et ita multis horis exclamant omnes, ut nos, Dominica Resurrectionis, illud : *Christus surrexit a mortuis.*

26. Insuper, celebrantibus missam sacerdotibus, dum recitatur sanctum Evangelium aut sacra mysteria consecrantur, plerique adstantium ibi laicorum pro libitu sedent impudenter, et mutuo confabulantur.

27. Communionem non ut nos perficiunt, sed, ut dicunt,

1. Ante sæculum XI, et adhuc hocce sæculo, hic usus in Occidente revera vigebat.

2. Cærularius dixerat : «Apud ipsos duo fratres duas sorores ducunt.»

3. Notatur a Cærulario. Photius de hoc usu loquitur in secunda epistola ad Nicolaum papam.

4. Notatur a Cærulario.

celebrans sacerdos volentem communicare osculatur solum; quod osculum accipit pro communione [1].

28. Clericorum et episcoporum ordinationes non omni tempore peragunt episcopi, sed quater in anno, diebus statis. Cum enim annus quadrifariam dividatur : in ver, æstatem, autumnum et hiemem, primos observant menses quibus solstitia seu æquinoctia contingunt, scilicet Martium, Junium, Septembrem et Decembrem, quibus mensibus quatuor ætatum anni mutationes incipiunt, et prima hebdomada mensis Martii aut Junii aut reliquorum, feria quidem quarta sacerdotes et diaconos et reliquos clericos ordinant, sabbato autem solos episcopos et præsules, malo et pernicioso sensu; scilicet illustrationem et gratiam Spiritus Sancti solis illis diebus, ut videtur, existimantes descendere, non autem cum catholica Ecclesia credentes virtutem ordinandi et ordinantis causam esse cur Spiritus Sanctus adveniat [2], his solum diebus, ut diximus, peragunt ordinationes.

1. Cærularius hoc ultimum non dixit, sed solummodo notavit osculum datum, tempore communionis, ab uno ex ministrantibus.

2. Καὶ οὐ τὴν ἀρετὴν τοῦ χειροτονουμένου καὶ χειροτονοῦντος αἰτίας εἶναι τῆς τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐπελεύσεως ὀρθοδόξως πιστεύοντες. Dum Græcus noster errorem Latinis falso adscribit, in gravem errorem ipse incidit; cui aliquatenus medetur auctor recensionis a Cotelerio editæ per adjectionem verborum : ἢ τὴν τῶν εὐχῶν μᾶλλον, δύναμιν αἰτίαν εἶναι, κτλ.

## CAPUT QUARTUM

### DE CAUSIS BYZANTINI SCHISMATIS SECUNDUM DICTA HISTORICORUM ET THEOLOGORUM ECCLESIÆ GRÆCO-RUSSICÆ

De origine atque causis separationis utriusque Ecclesiæ historici ac theologi græco-russici non unam semper tenuerunt nec adhuc tenent sententiam. In enumerandis autem diversis explicationibus ab eis prolatis ordinem temporum servare juvat. Tres periodi distingui possunt :

1° A sæculo XII ad sæculum XVI, partes principis causæ schismatis additioni vocis *Filioque*, ad symbolum communiter tribuunt. Hæc additio, inquiunt, non solum illicita fuit, verum etiam hæreticam doctrinam exprimit. Hæc patriarcham œcumenicum aliosque Orientales movit ad expungendum e diptychis nomen romani Pontificis necnon ad illum a communione catholicæ et orthodoxæ Ecclesiæ segregandum. Ut causæ secundariæ notantur usus azymi aliæque consuetudines latinæ a *disciplina* Orientalium discrepantes. Inde a sæculo XIII, agitantur quidem novæ quæstiones dogmaticæ de igne Purgatorii, de beatitudine sanctorum, etc.; primas tamen semper tenet controversia de processione Spiritus Sancti. Primatus vero romani Pontificis rarius memoratur.

2° A sæculo XVI usque ad sæculum XIX, momentum fere æquale quoad schismatis efficientiam, assignatur tum additioni ad symbolum tum ambitioni romanorum Pontificum. Quidam auctores primas tribuunt cupidini dominandi paparum; alii vero additionem vocis *Filioque* causam principem ponere pergunt.

3° Inde a sæculo XIX, explicationes originis schismatis multiplicantur; primum autem locum obtinet illa, quæ totam separationis culpam in romanos Pontifices refundit. Unicuique periodo integrum dicabimus articulum.

## ARTICULUS I

### Quomodo originem schismatis narrabant atque explicabant Græco-Russi, a sæculo XII usque ad sæculum XVI.

In hac prima periodo, tres invenimus sententias de origine ac causis separationis. Una est communissima, quæ passim occurrit quum in documentis historicis tum in operibus theologicis. Duæ aliæ sunt opiniones particulares duorum theologorum, Nicetæ scilicet chartophylacis Nicæni et Nili Cabasilæ.

Nicetas Nicænus, qui circa initium sæculi XII vivebat, opellam historicam scripsit hoc titulo insignitam : *Quibus temporibus et quarum criminationum causa, Ecclesia Romanorum ab Ecclesia Constantinopolitana separata fuit*[1]? Enumerat diversa schismata, quæ inter utramque Ecclesiam acciderunt, inde ab schismate Antiocheno usque ad schisma Michaelis Cærularii. Auctor Orientales culpat de omnibus schismatibus a se memoratis. His enim verbis libello finem imponit : *Considera igitur quomodo enumerata hactenus schismata causam a nostris habuerint*[2].Notabilia imprimis sunt ea quæ tum de synodo Trullana tum de schismate photiano profert[3].

1. *P. G.*, t. CXX, col. 713-720. De hoc libello vide Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 869-874. Nota hujus operis diversas lectiones in diversis codicibus inveniri; textus tamen genuinus sat facile restituitur. Cf. quae supra dicta sunt, p. 266, nota 2.

2. Ὅρα οὖν ὅτι τὰ ἐπαριθμηθέντα σχίσματα ἐξ αἰτίας γεγόνασι τῶν ἡμετέρων.

3. De synodo Trullana hæc habet : « In sexta synodo nulli canones edicti sunt; verum, paulo post, absentibus jam Romanis, canones illi qui sextæ synodi dicuntur scripti fuere, regnante Rhinotmeto. Atque, ab eo tempore, cœperunt criminationes illæ fieri Romanis, quas canones 13, 36, 55 repræsentant; qui cæteroquin canones non videntur postea a Romanis recepti nec interpretati. » Photii autem versatilitatem in disjungendis et iterum uniendis Ecclesiis jure carpit, ostenditque criminationes ob quas Byzantini, a tempore Photii, ab Ecclesiæ romanæ communione recesserunt, nullis probabilibus niti rationibus : *Si Romanorum*, inquit, *errores incogniti fuissent nemo forsan communionem illam* [cum Romanis, quæ sive a synodo Trullana usque ad

Nilus Cabasilas († 1360) opusculum de causis dissensionis et ipse conscripsit, in quo hæc legimus :

« Causa hujus dissidii, ut ego quidem existimo, non est dogmatis sublimitas humanum captum superans [processio scilicet Spiritus Sancti]... Neque vero causa est illud quod Latini affirmant, nos scilicet nobis primatum arrogare velle, et in secundis post Romanorum principatum nolle consistere, simulque idcirco et pacem detrectare : Neque enim unquam cum romana Ecclesia de primatu contendimus... neque vetus consuetudo neque Patrum decreta nos latent, quibus romana Ecclesia antiquissima omnium Ecclesiarum declaratur... Causa est quod quæstio controversa communi œcumenicæ synodi decreto non sit confirmata, quod ejus solutio non fiat ex veteri Patrum in ejuscemodi negotiis consuetudine, sed quod Romani quidem magistrorum in hac quæstione partes sibi vindicant, alios vero instar discipulorum dicto obedientes habere velint [1]. »

Ergo, juxta Cabasilæ sententiam, causa separationis est recusatio ex parte Romanorum alicujus synodi œcumenicæ, in qua, secundum pristinum morem, quæstio de processione Spiritus Sancti authentice elucidaretur. Verum quidem est, tempore Nili Cabasilæ, romanam Sedem convocationi synodi œcumenicæ repugnasse [2]; hæc autem agendi ratio facile explicatur ex hoc quod jam concilium œcumenicum, cui interfuerant Græcorum legati, scilicet concilium Lugdunense II, quæstionem de processione Spiritus Sancti definie-

Photium, sive post Photium exstitit] *vituperaret; nunc autem, quia inde a sexta synodo, hos errores cognoverunt — et sub Photio hæc cognitio adhuc manifestior evasit — unio reprehensibilis est. Oportebat enim quod pravum judicassent aversari vel corrigere; et, si res excederet vires, verbis saltem emendationem procurare. Si vero ea, quæ illis crimini dant, noxia sunt — quod verisimile non est, ut deprehenditur et deducitur ex eo quod per tantum tempus episcopi criminationes hujusmodi silentio præterierunt — cur jam Græci Romanos reprehendunt?*

1. *P. G.*, t. CXLIX, col. 684-685.

2. Videtur alludere Cabasilas ad infelicem exitum legationis Barlaami apud Benedictum papam XII, anno 1339. Siquidem Barlaamus papæ promittebat Græcos, Turcis primum debellatis, ad concilium œcumenicum pro unione Ecclesiarum instauranda venturos. Volebant enim Byzantini auxilium contra Turcas a papa obtinere, antequam ad unitatem redirent catholicam. Hujusmodi vero propositum papæ non arrisit ob rationem cuique obviam.

rat. Romani nolebant semel judicatum in controversiam rursus revocari. Cæterum, non multo post, Græci ad concilium Florentinum convocati sunt; quæstio de processione Spiritus Sancti iterum examinata; iterum, et multo clarius, soluta est; et tamen schisma non cessavit adhucque perdurat.

Ut mox diximus, Byzantini, per totam hanc primam periodum, causam separationis communiter habuerunt novitates latinas, ac præsertim additionem vocis *Filioque* ad symbolum doctrinamque hac additione significatam. Hoc patet ex tota litteratura theologica hujus temporis, quæ circa processionem Spiritus Sancti potissimum versatur. Notum est Patres Florentinos de hac quæstione disputationes interminabiles habuisse. Multi theologi græci idem expresse declararunt, v. g., Macarius Ancyranus, in quodam opere contra Latinos a Dositheo in *Tomo Reconciliationis* edito, p. 1-205 [1].

Porro, præter opera theologica, vulgata est apud Byzantinos fabulosa quædam de origine schismatis narratio, in qua additio ad symbolum profertur ut vera separationis causa. Hujus autem narrationis, stupendis erroribus ac incredibilibus anachronismis refertæ, tres occurrunt in codicibus diversi textus, quorum duo posteriores nihil aluid sunt nisi primi explicationes quædam et amplificationes [2]. Eorum materia sic in unum breviter conflari potest :

Post septimam synodum absolutam, Carolus quidam, Vandalorum rex, Romam venit, habens in comitatu quosdam hæreticos Arii et Apollinaris Macedoniique discipulos, qui Romanos pervertere cœperunt, dicentes non ex Patre solo procedere Spiritum Sanctum, sed etiam ex Filio; et tradentes azyma offerenda esse; aliaque nonnulla traditioni ecclesiasticæ neutiquam consentanea nugati sunt. Quod animadvertens Leo papa [3], cum, tunc temporis, viri docti Romæ deessent, Constantinopoli autem iconoclastæ dominarentur, ad

1. Nota in Nimphæna synodo, quæ anno 1234 habita est, duo tantum impedimenta unionis utrimque agnita fuisse : additionem scilicet ad symbolum et usum azymorum.

2. Illos edidit Hergenröther in *Monumentis ad Photium pertinentibus*, p. 154-181. De his textibus critice disserit idem auctor in tomo III magni operis de Photio, p. 843 sq.

3. In prima narratione nominatur Leo II, qui postea confunditur cum Leone IV (847-855).

Hierosolymorum patriarcham Thomam misit, ut sibi viros probatos atque idoneos mitteret ad perniciem ejusmodi e Romana urbe depellendam. Thomas itaque patriarcha ad Papam legavit Michaelem syncellum, Theodorum ac Theophanem *Graptos* atque quemdam Job. Qui Constantinopolim pertranseuntes, ab iconoclastis detenti ac varie cruciati, Romam pervenire non potuerunt.

Interim, hæretici ex Francia oriundi magnopere Dei populum corrumpebant. Unde Leo papa, ad illos confutandos et ad christianum populum confirmandum, scuta duo in sacrario recondita, in quibus sanctum symbolum erat descriptum, publice in Romanorum Ecclesia exponenda curavit. Leonis vero successor, Benedictus papa [1], conspiciens et ipse populum ab ejusmodi hæreticis depravatum, textum græcum symboli litteris latinis exarari jussit, [imo cunctis Italis præcepit symbolum græce recitarent [2]], ne quis scandali prætextus ex linguæ latinæ obscuritate oriretur. Præterea ad quatuor patriarchas orientales misit litteras, adhortans « ne ab ipsis in posterum futuri romani antistites reciperentur, nisi prius sacri symboli ab ipsis acceperint confessionem » sine additione vocis *Filioque*.

Romani autem Pontifices rectæ confessioni fidei adhæserunt usque ad Formosum quemdam, qui doctrinis hæreticorum antea imbutus, misit quidem fidei confessionem sine ulla additione ad orientales patriarchas; at vero occulte in sua Ecclesia perniciosum tradidit errorem [3]. Primus vero papa qui professionis fidei formulæ illud *Filioque* publice inseruerit Christophorus (vel Christophus [4]) fuit. Quo comperto, Sergius, patriarcha Constantinopolitanus [5], illum ab

1. Agitur de Benedicto III (855-858), Leonis IV successore.

2. Ita secunda narratio, omnino ad Photii mentem. Cf. supra, p. 176.

3. Prima narratio de Photio omnino silet. Duæ vero aliæ fuse loquuntur de Joanne VIII necnon de synodo photiana anni 879-880, *in qua unio facta est Italorum Ecclesiæ propter additionem de Spiritu Sancto dissidenti*.

4. Christophorus pontificatum gessit, anno 903-904. Secunda narratio pro Christophoro ponit ejus successorem, Sergium III (904-911); tertia vero tum Christophorum tum Sergium inducit.

5. Sergius II, ex gente photiana oriundus, patriarcha fuit ab anno 999 ad an. 1019; ergo integrum sæculum illum separat a Christophoro vel Sergio, romanis antistibus. Cæterum, pro Sergio III poni posset

hac hæretica pravitate desistere nolentem excommunicavit, ejusque nomen e sacris diptychis erasit; quod et cæteri patriarchæ similiter fecerunt.

Porro Christophori successores ejus cæcitatem imitati sunt usque ad Leonem IX. Huic autem Imperator Constantinus Monomachus et patriarcha Michael Cærularius legatos Romam miserunt, *quærentes an ipsi latini episcopi velint ab hæresi ista nuper inducta recedere.* Sed ab Argyro Italo contumelia affecti, legati, infectis rebus, Constantinopolim reversi sunt [1]. Tunc Michael Cærularius Latinos palam anathemati subjecit tanquam hæreticos [2].

Leonem IX excepit Stephanus, *qui dicitur primus barbam turpissime et impiissime rasisse, et episcopos, presbyteros, monachos sibi subjectos cunctumque italicum populum id eodem pacto facere jussisse, qui indecentissime hac re gloriantur atque gaudent.*

In tertio textu fabulosæ narrationis, de origine latinarum hæresum quædam mira traduntur. Hæ Leucium quemdam habuere auctorem, hæresibus Apollinarii [3], Manetis, Valentini ac Marcionis imbutum, qui tempore Justiniani vivebat. Hic cum sancto Gregorio Agrigenti episcopo disputavit; a quo e Sicilia expulsus, Romam venit una cum Sabino ac Crescentino; sed a papa illius temporis in Hispaniam exsul relegatus est. Eo vero mortuo, ejus discipuli Galliam invaserunt, et ex illis quidam Carolum, Francorum regem, Romam comitati sunt.

Aliam fabulam invenimus apud quosdam auctores posteriores, Simeonem scilicet Hierosolymitanum, et Athanasium Cydonium. Loco Leucii, auctor hæresum latinarum ponitur quidam Felix, gente Judaeus, qui papa erat, quando Carolus Vandalorum rex, processionis Spiritus Sancti a Filio et azymitismi acerrimus propugnator, Romam petiit. Carolus

Sergius IV (1009-1012). Notandum est Nicetam chartophylacem loqui de quodam schismate sub Sergio patriarcha habito *forsan propter thronos. P. G.*, t. cxx, col. 717. Cf. supra, p. 266.

1. Secunda narratio.

2. Prima narratio.

3. Hæresis Apollinaris memoratur propter azyma; cf. supra, p. 332; Manes autem Valentinus et Marcion veniunt propter ipsum Apollinarem.

ad suos errores attraxit hunc miserum Felicem Judæum. Romani autem primum hoc non adverterunt: unde factum est, ut a vera traditione apostolica sensim recesserint.

Hæ fabulæ cum quibusdam discrepantiis ad Russos usque per Græcos pervenerunt. In quadam narratione de origine schismatis, quam Nicon ad calcem editionis *Kormtchaiæ Knighæ* anno 1653 publicatæ inseruit, eadem in principio occurrunt quæ in tertia lectione fabulæ græcæ leguntur. Carolus Magnus depingitur ut Apollinarista, Macedonianus, Origenista, Eutychianus, usibus judaicis deditus; qui Romam veniens una cum presbyteris hæreticis, a Leone papa coronatur imperator, et inungitur a vertice capitis ad pedes. Mox papa advertit hæreses Francorum inter fideles diffundi, tuncque scribit ad Thomam Hierosolymitanum ut supra. Primus inter papas hæresi deditus fuit Formosus. Ille quidem confessionem fidei rectam aliis patriarchis misit, populum vero romanum aperte docuit triplicem errorem, scilicet: processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, usum azymorum in missæ celebratione, Purgatorium. Omnes Formosi successores usque ad Christophorum hæretici fuerunt. Basilio autem imperatore regnante, Sergius patriarcha Constantinopolitanus scriptis animadvertit in papam: quem resipiscere nolentem mox, consentientibus aliis tribus patriarchis, excommunicavit. Ab hoc tempore, Romani Græcis inimici fuerunt, multasque nationes, ut Hungaros, Tcechos, Polonos, ad suas partes traxerunt. Sub Constantino autem Monomacho, patriarcha Tsarigradii, Cærularius, Latinos tanquam hæreticos apertos anathemate feriit.

Postea vero romanam Sedem conscendit Petrus Balbus. Hic impius christianam fidem penitus abjecit, totam Italiam subvertit, et *postquam multos perniciosos errores sussuravit, sacerdotibus jussit, ut septem sponsas haberent, concubinas vero ad libitum. Omnia peccata illis condonavit, præcepitque, ut in Ecclesia organa ac tympana pulsarent, fidibusque uterentur. Insuper, viris ac mulieribus jussit, ut labrum, mentum ac sinum raderent, illosque sine epitimiis ac poenitentia absolvendos esse decrevit: imo, ut illis remitterentur peccata in futurum committenda præscripsit. Synaxarium mutavit: more judaico jejunare sabbato: sanguine propinquis matrimonium inter se contrahere: cum canibus ex uno eodemque catino man-*

*ducare permisit.* Multa alia nefanda fecit impius iste. Propter hæc omnia Latini ab Ecclesia segregati fuerunt et anathemati traditi [1].

Stupenda hæc historia in posterioribus *Kormtchaiæ Knighæ* editionibus tsarina approbatione munitis immutata remansit [2]. Teste Suvorov [3], auctoritas hujus *Kormtchaiæ Knighæ* pro Ecclesia russica semper valet, nec fuit abrogata per canonum abbreviatam editionem, anno 1839 et iterum anno 1875, a Synodo Dirigente vulgatam [4], in qua multa documenta veteri corpori juris inserta, atque inter alia, fabula ista de schismatis origine, non amplius occurrunt.

Notandum autem vestigia fabulosæ narrationis de Christophoro papa a Sergio patriarcha damnato in quibusdam scriptis recentibus dissidentium adhuc deprehendi, v. g., in *Historia schismatis* Demetrakopuli [5], et in *Compendio historico de schismate Ecclesiæ occidentalis* Callisti Vlasti [6]. Sæculo XVII, Nectarius, Hierosolymitanus patriarcha, totam fere fabulam suo tractatui de *Principatu papæ* inserebat.

## ARTICULUS II

### De causis separationis secundum theologos græco-russos, a sæculo XVI ad sæculum XIX.

Jam inde a sæculo XVI, primatum romani Pontificis ejusque infallibile magisterium polemistæ græco-russi acrius impugnare cœperunt, et non pauci affirmarunt ambitionem dominandique, cupidinem paparum præsertim vero Nicolai I et Leonis IX, principem fuisse schismatis causam, dum Photius miris laudibus extollitur, quod huic cupidini ac tyrannidi fortiter restiterit. Inde ab hoc tempore, catholici sæpe sæpius vocantur a polemistis « παπίσται », « παπολάτραι »;

1. Hergenröther, *loc. cit.*, p. 862-869.
2. Cf. Marcovic, *Gli Slavi ed i Papi*, Zagrabii, 1897, t. I, p. 241-247.
3. *Cursus juris ecclesiastici* (russice), editio quarta, Mosquæ, 1912, p. 181-185.
4. Hæc nova editio canonum inscribitur *Kniga pravil* (= Liber canonum).
5. Ἱστορία τοῦ σχίσματος, Lipsiæ, 1867, p. 20.
6. Δοκίμιον ἱστορικὸν περὶ τοῦ σχίσματος τῆς δυτικῆς Ἐκκλησίας Athenis, 1896, p. 67.

v. g., Maximus Peloponnesius, Meletii Pigæ discipulus, in suo *Enchiridio contra schisma papistarum* a Dositheo, Bucarestii, anno 1690, typis mandato aperte declarat : *Vulgatus principatus papæ est causa discidii Ecclesiarum*, ἡ θρυλλουμένη ἀρχὴ τοῦ Πάπα εἶναι αἰτία τοῦ σχίσματος τῶν Ἐκκλησιῶν.

In suo opere, Περὶ ἀρχῆς τοῦ Πάπα, Nectarius Hierosolymitanus contra paparum tyrannidem et φιλαρχίαν vehementer insurgit. Concedit autem hunc principatus amorem paparum multo ante Photium incepisse, Leonem I, Gelasium, Gregorium Magnum diserte affirmasse primatum jurisdictionis Romanæ sedis; sed declarat testimonium paparum, quando de privilegiis suæ Sedis loquuntur, omni valore destitui, et sanctos quandoque humanis affectibus fuisse præoccupatos : *Pro Ecclesiæ doctorum uno*, inquit, *centum papas, qui de semetipsis leges ferunt non recipimus* [1]. Si vero Orientales, etiam ante Photium, Latinos non damnarunt ut hæreticos, hoc tribuendum vel Orientalium patientiæ ac mansuetudini, vel cuidam *dispensationi* (οἰκονομίᾳ), qua utebantur Orientales erga Occidentales, eo quod eorum auxilio indigerent adversus hæreticos [2]. Quibus innuit Nectarius causam sufficientem separationis exstitisse ante schisma photianum, hancque causam fuisse potissimum paparum ambitionem. Singulare vero profert argumentum ad probandum schismatis culpam non in Ecclesiam orientalem, sed in occidentalem conferendam esse :

« Schisma, inquit, est minus quid a majori divulsum. Atqui Ecclesia latina habet minus, Orientalis vero majus.

Ergo Ecclesia latina habet schisma.

*Probo minorem* : « Universalis Ecclesia ad quinque capita assurgit sub Christo capite.

Atqui Ecclesia latina unum habet papam solum; Orientalis autem habet quatuor patriarchas, et alia etiam minora capita et sedes autocephalas dictas. »

Ut per se patet, argumento forsan aliquid roboris inesset, si vera Christi Ecclesia haberet constitutionem aristocraticam sub quinque patriarchis inter se omnino æqualibus; verum, aliam regiminis formam suæ Ecclesiæ Christus dedit.

1. *De principatu papæ.* Versio latina Allixii Anglicani, Londini, 1702, p. 161.

2. *Ibid.*, p. 126.

Notandum, per totam hanc periodum, multos theologos ut veram ac præcipuam separationis causam adhuc assignasse additionem ad symbolum doctrinamque de processione Spiritus Sancti ab utroque; v. g., Gabriel Severus, in suo *tractatu de quinque differentiis*, περὶ τῶν πέντε διαφορῶν, processioni Spiritus Sancti primas tribuit.

Quidam æquale momentum utrique, processioni scilicet et paparum monarchiæ, adscribere videntur. Sic Dositheus declarat duo esse fundamenta præcipua novitatum latinarum: « primum, blasphemiam circa existentiam Spiritus Sancti ejusque in symbolum, introductionem; alterum, conclamatam papæ monarchiam. Primum est hæresis indubia, secundum, impietas aperta [1]. »

Elias Moniates, in sua *Petrá scandali* ex professo tractans de origine schismatis, hæc profert:

« Hoc magnum malum [schisma] initio adduxerunt passiones humanæ, dum utraque factio [Ignatianorum videlicet et Photianorum] alteram sternere conata est. Auxilium postularunt Ecclesiæ occidentalis, quæ hanc nacta occasionem, super Ecclesiam orientalem, extendere illam potestatem enisa est, quam hactenus prædicat. Malum crevit ex quæstione Bulgarorum; et sicut accidit, quando partes duæ inter se litigant — una quippe pro minimo defectu alteram increpare solet — ita etiam ibi de dogmatibus logomachia subsecuta est, quæ magnum Orientales inter et Occidentales schisma invexit, unam Ecclesiam ab altera absolute dividens [2]. »

Ergo, juxta Meniatem schismati, ansam præbuit contentio inter Ignatianos et Photianos; logomachia de dogmatibus illud perfecit. Idem auctor fatetur initio non exstitisse nisi unam discrepantiam alicujus momenti inter utramque Ecclesiam, illam scilicet, quæ est de Spiritu Sancto; tempore vero

1. Δύο εἰσὶ τὰ ἀρχικὰ καὶ κάκιστα θεμέλια τῶν μεγάλων καὶ πολλῶν λατινικῶν καινοτομημάτων· ἓν, ἡ περὶ τῆς ὑπάρξεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος βλασφημία, καὶ ταύτης ἐν τῷ συμβόλῳ προσθήκη, καὶ ἕτερον, ἡ τοῦ πάππα θρυλλουμένη μοναρχία· τὸ πρῶτόν ἐστιν αἵρεσις ἀναμφίβολος, τὸ δεύτερόν ἐστιν ἀσέβεια προφανής. Τόμος χαρᾶς. Rimnicii, 1705, p. β.

2. Ἔτζι ἠκολούθησε καὶ ἡ περὶ δογμάτων λογομαχία· ἥτις ἔκαμε τὸ μέγα σχίσμα ἀνὰ μέσον Ἀνατολικῶν καὶ Δυτικῶν, ξεμακρύνωντας ὁλότελα τὴν μίαν ἀπὸ τὴν ἄλλην Ἐκκλησίαν. Πέτρα σκανδάλου. Athenis, 1840, p. 59. Loquitur etiam, p. 61, de *logomachia*, quæ Nymphæ habita est.

quo suam dissertationem scribit, ineunte scilicet sæculo XVIII, monarchiam papalem discrepantiarum omnium gravissimam habet [1].

## ARTICULUS III

### De origine atque causis schismatis juxta historicos et theologos dissidentes nostri ævi.

A sæculi XIX initio usque ad hodiernum diem, theologi et historici græco-russi originem schismatis diversimode explicant; multo tamen communior est illa sententia, quæ totam, vel saltem præcipuam separationis culpam transfert in romanos Pontifices. Hujus autem opinionis quædam notandæ sunt varietates :

1° Quidam enim, ex iis præsertim qui historiæ ecclesiasticæ studio incubuerunt, romanos Pontifices jam a sæculo IV vel vin universalem Ecclesiam jurisdictionem sibi vindicasse fatentur; at negant Ecclesiam orientalem hanc tyrannicam, ut dicunt, usurpationem unquam agnovisse, asseruntque ambitionem papalem a Nicolai papæ tempore multum crevisse. Vera causa, inquiunt, schismatis photiani necnon separationis quæ sub Michæle Cærulario peracta est, effrenatæ dominandi cupiditati paparum omnino tribuenda est. Hi enim omnem occasionem Ecclesiam orientalem sibi subjiciendi semper aucupati sunt. Sic historicus græcus Paparrigopulus :

« Imperium orientale et Ecclesia orientalis, quamquam primatum romanæ Sedis semper agnoverunt, nunquam tamen mutationem primatus in potestatem dominativam ratam habere consenserunt. In hoc reponenda est vera et gravis occasio scissionis Ecclesiarum, non autem in disputationibus dogmaticis et synodicis, quæ meri exstitere prætextus, et in quibus tractandis tanta eruditio inutiliter impensa est, et adhuc impenditur totque passiones commoventur. Ecclesiæ separatæ sunt, quia Ecclesia occidentalis suum dominatum in Ecclesiam orientalem exercere conabatur;

1. Πρώτην διαφοράν ἐγὼ νομίζω τὴν περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα, διατὶ τοῦτο εἶναι κατὰ τοὺς παρόντας καιροὺς τὸ μέγα μεσότειχον, ὁποῦ χωρίζει τὰς Ἐκκλησίας. *Ibid.*, p. 79.

hæc vero non existimabat sui esse, ut Occidentali se subjiceret [1]. »

Idem auctor hæc addit :

« In contentione, quæ inter utramque Ecclesiam exorta est, necessitate compellimur dicere Ecclesiam occidentalem in culpa fuisse. Ejus siquidem vindicationes neque canonibus neque argumentis historicis innitebantur. Orientalis autem Ecclesia agnoscere primatum romani Pontificis nunquam destitit, neque unquam suos cohibuit conatus pro instauratione unionis æquis limitibus circumscriptæ. Photius ipse, ex quo pontifex ad pacem propensus romanam sedem obtinuit, non solum suam famosam encyclicam missam fecit, verum et primatum papæ in dubium non vocavit, quamcumque ad symbolum additionem prohibere contentus. Neque talis prohibitio romanum Pontificem tunc percellebat, quippe qui additionem nondum receperat [2]. »

Notissimus historicus russus A. P. Lebedev integrum volumem *De historia separationis Ecclesiarum sæculis* IX, X et XI conscripsit, ad cujus calcem in modum conclusionis sequentia profert :

« Exemplar seu forma universi ecclesiastici regiminis in canonibus secundi et quarti ex conciliis œcumenicis delineata est, quibus ecclesiasticæ hierarchiæ præsides cum juris æqualibus constituti sunt patriarchæ : Romanus scilicet, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus. In negotiis ecclesiasticis alicujus momenti, nullus ex his supremis ecclesiasticæ potestatis coryphæis sine aliorum prævio consensu quidquam agere debebat. Interea, Romanus episcopus, opportunas ad hoc arripiens occasiones, etiam conciliorum œcumenicorum tempore, hunc ecclesiastici regiminis ordinem quandoque turbare est ausus, moderatorem totius Ecclesiæ cæteris patriarchis superiorem seipsum

1. Ἡ τε ἀνατολικὴ αὐτοκρατορία καὶ ἡ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία, καίτοι ἀείποτε ἀναγνωρίσασαι τὰ πρωτεῖα τῆς Ῥώμης, οὐδέποτε συνήνεσαν νὰ ἀποδεχθῶσι τὴν μεταβολὴν τῶν πρωτείων εἰς κυριαρχίαν... Αἱ δύο Ἐκκλησίαι ἐχωρίσθησαν, διότι ἡ μὲν δυτικὴ ἐζήτει νὰ κυριαρχήσῃ τῆς ἀνατολικῆς, ἡ δὲ ἀνατολικὴ δὲν ἐνόμιζεν ὅτι ὀφείλει νὰ ὑποταχθῇ εἰς τὴν δυτικήν. Paparrigopulos, Ἱστορία τοῦ ἑλληνικοῦ ἔθνους, t. IV, Athenis, 1884, p. 323.

2. *Ibid.*, p. 323-324.

constituens. Ad singularem tamen progressum pertingunt petitiones papales, inde a sæculo IX. Papa potestatem exercere vult etiam in negotia Ecclesiæ orientalis, quemadmodum et Ecclesiæ occidentalis tenebat imperium. Custos vero rationum Ecclesiæ orientalis illius temporis, Photius scilicet patriarcha, papalem arroganiam retudit, et propter hoc anathema papale in se convertit. Quamquam autem Photius et ipse in papam excommunicationem retorsit, meminisse nihilominus oportet ipsum papam primam huic excommunicationi ansam dedisse, dum supra dictum anathema ipse protulit.

« Sua ambitiosa proposita ad plenum effectum adducere papa iterum aggressus est, tempore Nicolai Mystici, Constantinopolitani patriarchæ; res tamen, ex parte papæ, usque ad anathema tunc non est progressa, lisque moderatius composita est. Non ita accidit sub patriarcha Michaele Cærulario. Romana namque Ecclesia, palam, in ipsa urbe regia, ipsam Ecclesiam Constantinopolitanam anathematizat. Constantinopolis vicem reddit, multo tamen mitioribus utens verbis; hocque pacto postremæ Ecclesiarum separationi efficacem occasionem rursus præbet romana Ecclesia. Præ his factis, quibus mutua utriusque Ecclesiæ simultas sese prodidit — simultas, quæ in absolutam communionis abruptionem exivit — pronuntiandum illam Ecclesiam, quæ dissidiorum posuit principium, ipsam esse cui jure imputandi, historiæ tribunali coram, lugendi effectus ex his dissidiis secuti [1]. »

Theologi russi communiter et Græci non pauci originem separationis eodem modo explicant. Sic canonista græcus Eutaxias affirmat veram schismatis causam fuisse « ambitiosos conatus paparum ad constituendam aliquam supremam potestatem in Ecclesia, seu veram monarchiam. Hæ petitiones jam a tempore concilii Chalcedonensis et Leonis Magni inceperant [2]. »

Alexander Lebedev, in suo opere *De primatu papæ*, dicit papales usurpationes jam a sæculo IV deprehendi. Ecclesia,

1. *Historia separationis Ecclesiarum sæculis*, IX, X et XI, 2ª editio Petropoli, 1905, p. 347-348 (russice).

2. Ἀληθὴς αἰτία τοῦ σχίσματος εἶναι αἱ ἀξιώσεις τῶν παπῶν περὶ ἱδρύσεως ὑπερόχου τινὸς ἐξουσίας ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, περὶ ἱδρύσεως ἀληθοῦς μοναρχίας ἐν αὐτῇ. *Jus ecclesiasticum*, p. 218 (Cursus manuscriptus).

inquit ille, sponte sua tendebat ad constitutionem alicujus primatus canonici; Romani autem Pontifices suo ambitioso agendi modo historiam antecesserunt, eorumque culpa, separatio accidit, antequam hæc suprema potestas [non juris divini sane, sed juris canonici] de facto in Ecclesia institueretur [1].

Item Alexander Bieliaev in suo opusculo : *De Ecclesiarum unione*, docet semina ac radices schismatis esse quærenda in diverso vitæ genere necnon in opposita populorum indole inter Orientem et Occidentem vigentibus : « Hæc tamen, inquit, separationem ecclesiasticam non adduxissent absque cooperatione ambitionis papalis, de qua sanctus Cyprianus sanctusque Basilius olim jam querebantur [2]. »

2° Alii causam schismatis reponunt quidem in absolutismo papali, contendunt autem monarchiam papalem non esse sæculo IX antiquiorem. Hæc monarchia, quæ ut regiminis ecclesiastici primaevæ Ecclesiæ depravatio atque corruptio habenda sit, sæculo IX primum apparet : cujus adinventor primusque propugnator fuit Nicolaus I. Secundum hos auctores, primatus jurisdictionis Romani Pontificis est præcipua innovatio latina, quæ sæculo IX incepit aliasque novitates per decursum temporum quasi mater generavit. Hæc est classica thesis, inde a sæculo XIX, apud theologos rigidiores vel historicos minus doctos passim occurrens. Si illis fidem adhibeas, primatus jurisdictionis necnon infallibile Romanæ Sedis magisterium Ecclesiæ octo priorum sæculorum penitus ignota fuere. Hæc sententia expressis verbis proponitur in quadam encyclica epistola patriarchæ œcumenici anno 1863 data : *Inde a Nicolao I, romana Ecclesia in papismum delapsa est* [3]. Eamdem fuse evolvit apostata Vladimirus Guettée in suo opere : *La papauté schismatique, ou Rome dans ses rapports avec l'Église orientale*, Parisiis, 1863 [4].

1. *De principatu papæ* (russice), p. 174-177. Cf. p. 202.

2. *De Ecclesiarum unione* (russice). Serghief Possad, 1897, p. 65-66.

3. Ἀπὸ Νικολάου τοῦ Α', ἡ Ῥωμάνα Ἐκκλησία ὑπέπεσεν εἰς τὸν παπισμόν.

4. Hoc opus maximis effert laudibus A. Bieliaev, *De unione Ecclesiarum*, p. 69. Auctorem titulo doctoris in sacra theologia donavit Academia ecclesiastica Mosquensis. Inter alios theologos qui separationis crimen in papas conferunt, nominandi sunt : a) Rumenus Pletosu, qui scribit : *Omnes christiani orthodoxi, omnes theologi orthodoxi putant jurisdictionis primatum et pontificiam infallibilitatem scissionem*

3° Reperiuntur qui æqualem fere influxum in separationem adducendam tum ambitioni paparum tum additioni ad symbolum aliisque novitatibus latinis tribuere videantur. Ita Nectariuas Kephalas, qui ut præcipuas dissidii causas habet: 1° vindicationes primatus, canonibus moribusque unius, sanctæ et apostolicæ Ecclesiæ contrarias; 2° Innovationes quibus Ecclesia romana ab Ecclesia apostolica et orthodoxa seipsam segregavit; 3° abrogationem potestatis sanctarum synodorum, sine quibus veritates Ecclesiæ commissæ ab erroris commistione servari non possunt [1]. Paucis, juxta Kephalam, ambitio paparum schisma præparavit; innovationes autem dogmaticæ illud ad consummationem perduxerunt.

Item, Vlastos separationis causas reputat additionem ad symbolum, ambitionem et infallibilitatem papæ *ejusque cultum*, illegitimas *kaenotomias* latinæ Ecclesiæ, ut azyma, communionem sub una specie, etc. [2].

4° Theologus græcus C. Œkonomus singularem profert sententiam; dicit enim schisma inter utramque Ecclesiam duobus jam sæculis ante Photium viguisse, id est, inde a tempore monothelismi et synodi Trullanæ, quæ, ut notum est, Ecclesiæ occidentalis usus carpere incepit, expresseque damnavit [3].

5° Demum notanda Slavophilorum russorum theoria, qui, Khomiakovo duce, tenent veram schismatis causam fuisse *romanismum*. Romanismum autem vocant illud regiminis ecclesiastici systema, quod Roma christiana e principiis *juridismi* Romæ paganæ hauserit. Romanamque pagana certis legibus omnia dirigebat regulabatque, quin ad principium morale, ad hominis interiorem emendationem ullo modo animum attenderet. Roma vero christiana hunc juridismum

*Ecclesiarum genuisse. Biserica orthodoxa romana*, t. VIII, 1884, p. 339; b) Græcus Andrutsus, *Symbolica*, p. 73 : *Hæc præcellentia romani pontificis fuit praecipua causa schismatis inter Ecclesiam orientalem et occidentalem* : Ἡ τοιαύτη ὑπεροχὴ ὑπῆρξε ἡ κυρία τοῦ σχίσματος Ἀνατολῆς καὶ Δύσεως αἰτία.

1. Μελέτη ἱστορικὴ περὶ τῶν αἰτίων τοῦ σχίσματος, περὶ τῆς διαιωνίσεως αὐτοῦ, καὶ περὶ τοῦ δυνατοῦ ἢ ἀδυνάτου τῆς ἑνώσεως... t. I, Athenis, 1911, p. 8.

2. *Op. cit.*, p. 70.

3. *Prolegomena in Photii Amphilochiana* (græce) § 2, p. δ′: « τὸ σχίσμα ὑφειστήκει δύο αἰῶνας πρὸ Φωτίου.

in Ecclesiam invexit, principii interni christianæ religionis, amoris scilicet ac charitatis, oblita. Religionem amoris ac fraternitatis in religionem auctoritatis transmutavit. Sub influxu principiorum *juridismi*, in constituenda unitate exteriori ac hierarchica Ecclesiæ tota fuit, donec ad absolutam papæ monarchiam perveniret; principium vero internum vitæ spiritualis neglexit, ita ut christianismus occidentalis quasi quædam species judaismi appareat, ubi nulla libertas, sed servitus, nulla vita mystica, sed tantum signa exteriora ac symbola. *Romanismum* comitabatur superbia, quæ de fraterno amore non curat. Superbia instigante, Occidentales vocem *Filioque* ad symbolum addiderunt, hocque pacto maximum contra fraternum amorem peccatum perpetrarunt, dum sine fratrum consensu formulam fidei communem immutarunt. Hanc Khomiakovi explicationem apud multos Russos hodiernos in quibusdam temperatam vel mutatam invenire est [1].

Præter hanc primam explicationem, hodie inter dissidentes communissimam variisque modis, ut vidimus, propositam, quæ ambitiosis conatibus romanorum Pontificum præcipuam adscribit culpam, quidam auctores a partium studio remotiores sententias veritati historicæ magis consonas proferunt.

Sic, Alexander Sturza fatetur ambitionem patriarcharum Novæ Romæ in præparando ac perficiendo Ecclesiarum discidio suas partes habuisse [2].

1. Cf. Palmieri, *Theologia orthodoxa*, t. II, p. 143-159, ubi invenies, præter expositionem systematis Khomiakovi, sententias N. Iakoblevitch Beliaev, Koleminii, Antonii Volhyniensis archiepiscopi, principis Eugenii Trubeskoi, qui, inter alia, hæc habet : *In catholicismo romano, divinum accipitur præcipue ut auctoritas. In christianismo vero orientali, primum consideratur relatio mystica hominis ad Deum, qua homo sese agnoscit ut novam creaturam. Unde viro occidentali Ecclesia est præsertim auctoritas; viro autem orientali potissimum est domus Dei mystica, locus in quo absolvitur mysterium divino-humanum.* Ex omnibus quæ dicunt Slavophili, illos plus æquo phantasiæ indulgere aperte constat.

2. « Les torts du déplorable schisme furent réciproques; il faut l'avouer, l'ambition de quelques patriarches de Constantinople les poussa à se revêtir du titre pompeux d'œcuméniques. Les papes s'en alarmèrent, redoublèrent d'effort pour s'assurer la domination de tout l'Occident, à la faveur des troubles qui l'agitaient, de l' éloignement du centre de l'Empire, et des invasions des peuples barbares. » *Études religieuses, morales et historiques,* Iasii, 1842, p. 109.

Nicolaus Glubokovskii nuper scribebat : *Schisma ex humanis contentionibus ortum habuit, et humana perdurat obstinatione; quam nutrit mutua diffidentia; unde ad tollendum hoc lugendum obstaculum, nihil opportunius est quam scientia profunda et a partium studio libera* [1].

Canonista russus N. Suvorov historiam schismatis Photii necnon schismatis Cærularii sine ira ac studio, ad instar fere scriptoris catholici, paucis contrahit. Hæc, v. gr., habet de schismate photiano :

« Papa Nicolaus I eo magis sui officii duxit ad hanc causam accedere, quod utraque pars e Constantinopoli ad ipsum se converterat. Papa non potuit aliter se gerere quam revera se habuit, dum partes tuitus est Ignatii, qui homo irreprehensibilis erat virtutis, neque ullo modo secundum canones depositionem merebat; contra Photium autem faciebat quod ex laicis ad patriarchalem sedem evectus fuerat. Non obstantibus hæresibus Occidentis [a Photio in sua Encyclica propalatis], quotiescumque res inter Romam et Constantinopolim melius sese habebant, de hæresibus silentium servabatur, et communio ecclesiastica inter Orientem et Occidentem instaurabatur. Ita factum est post depositionem Photii a Basilio Macedoniano peractam... Post secundam et ultimam Photii depositionem, pax ecclesiastica rursus renovata est, et circa 150 annos perduravit. Per totum hoc tempus, participatio Romæ ad solutionem quæstionum ecclesiasticorum majoris momenti necessaria existimabatur. »

Idem veritatis amor deprehenditur in iis, quæ Suvorov scribit de schismate Michaelis Cærularii : « Præcipuus actor in ultimo dissidio inter Orientem et Occidentem fuit patriarcha Constantinopolitanus, qui multo magis quam alius quivis tanquam caput Ecclesiæ orientalis, cupiebat agnosci. Super hac quæstione [de primatu scilicet totius Orientis] colloquia inter Romam et Constantinopolim, anno 1024, inita sunt; et quidem Romæ, tunc temporis, tanta venalitas invaluerat, ut papa Joannes XIX, ad pactionem accedere paratus fuerit. Colloquia autem divulgata sunt, et communem molestiam in Occidente, præsertim in Gallia, excitarunt. Anno 1053, patriarcha Michael Cærularius, omni spe amissa

1. In periodico russico *Strannik*, 1904, t. I, p. 196.

quamcumque concessionem a Romana Sede obtinendi, huic apertum indixit bellum. Nam absque imperatoris licentia, ecclesias et monasteria ritus latini, quæ Constantinopoli inveniebantur pro Latinis ibi degentibus, sicut et Romæ erant Ecclesiæ græcæ, claudi jussit. Hoc autem omnino notatu dignum est, quod in disputatione polemica, definitivæ separationis præambula, Græci contentioni de azymorum usu in conficienda Eucharistia primas dedere, dum, e contra præcipua e discrepantiis latinis, illam scilicet quæ erat de processione Spiritus Sancti, non fuit memorata [1]. »

De legatis vero romanis, Suvorov dicit eos scientiæ diplomaticæ omnino imperitos fuisse, arguitque illos imprudentiæ ac rusticitatis. Sententia excommunicationis in Michaelem ejusque asseclas ab illis prolata actus fuerit inconsultus, qui proposito Cærularii omnino faverit [2].

Veniamus tandem ad sententiam Vladimiri Soloviev, qui in introductione sui operis : *La Russie et l'Église universelle*, de origine schismatis byzantini præclare disserit, quamvis singularia quædam et nova proferat, de quibus ambigendi locus remanere possit. Secundum Soloviev, in Oriente, inde a sæculo IV, imperatores byzantinii primatui successoris Petri divinitus constituto plus minusve conscie infensi fuerunt, et fere semper hæresi faverunt. Papam enim tanquam æmulum, qui illorum absolutæ potestati limites poneret, considerabant. Unde illi negotia facessere non destiterunt. In Ecclesia vero orientali, quasi tres partes seu factiones per totam hanc periodum, quæ a Constantino Magno ad Michaelem III currit, inter se pugnabant. Prima factio erat quæ hæresibus imperialibus aperte favebat, et contra romanum Pontificem sine hæsitatione rebellabat. Hi illimitatam potestatem non solum in Ecclesiam administrandam et gubernandam, verum etiam in quæstiones dogmaticas definiendas Cæsari tribuebant; qui ad semi-paganismum prope accedebant. Huic primæ factioni directe adversabatur pars sincere catholica, raris membris ad ordinem episcopalem pertinentibus multitudineque monachorum ac fidelium constans. Hæc Ecclesiæ independentiam contra cæsaropapismum tuebatur,

1. *Manuale juris canonici*, 4e editio, Mosquæ, 1912, p. 52-54.
2. *Ibid.*, p. 55.

et tanquam firmissimum præsidium habebat Petri cathedram. Huic parti adhæsere Athanasius Magnus, Joannes Chrysostomus, Flavianus, Maximus Confessor, Theodorus Studita. Inter has duas partes invicem omnino inimicas, factio quædam media intercedebat, quam Soloviev nomine *semi-orthodoxæ* vel melius, *orthodoxo-anticatholicæ* nuncupat. Hujus enim factionis studiosi hæresi quidem proprie dictæ repugnabant; etiam Ecclesiæ unitatem servare volebant, ea tamen condicione, ut unitatis centrum apud ipsos consisteret. Quia vero, de facto, hoc centrum alibi inveniebatur, Græci esse malebant quam christiani, atque Ecclesia divisa illis magis arridebat quam Ecclesia unita sub potestate quæ illis extranea eorumque genti inimica videbatur. Qua christiani quidem, cæsaropapistæ esse jure non poterant; at vero, utpote patriæ suæ græcæ super omnia amantes, Papatui romano byzantinum cæsaropapismum anteponebant. Cum autem viderent imperatores hæresi plerumque aperte favere, et quotiescumque ab hæresi recederent, amicitiam cum papa renovare, utrumque illis maxime displicebat. Unde nihil antiquius habuerunt quam ut imperatores in orthodoxia constituerent ac in perpetuum firmarent, hocque pacto a communione romanæ Sedis illos amoverent. Propositum illis prospere cessit post *festum Orthodoxiæ*, anno 843 celebratum, ultima jam victoria de iconoclastis, et quidem sine papæ auxilio, ab illis reportata. Photius namque et Michael Cærularius factioni orthodoxo-anticatholicæ desiderata procurarunt. Si Solovievo credendum, major pars episcoporum Ecclesiæ byzantinæ huic factioni, schismatis principi causæ, semper adhæsit. Schismate autem peracto, imperatores orthodoxiam in perpetuum amplexi sunt tanquam dogma mere speculativum; orthodoxi vero præsules paganismo vitæ publicæ in sæcula sæculorum benedixerunt [1]. »

In hoc synoptico conspectu, aliquid artificiosi latere negare difficile est; multum tamen veri in eo reperiri pariter concedendum.

1. *La Russie et l'Église universelle*, 2e édit., Parisiis, 1906, p. XXV-XLVIII.

# TRACTATUS SECUNDUS

## BREVIS HISTORIA THEOLOGIÆ GRÆCO-RUSSICÆ A SÆCULO XI EXEUNTE AD NOSTRA TEMPORA

### Prænotamina.

Brevem theologiæ græco-russicæ historiam delineare a consummata Ecclesiarum separatione sub Cærulario ad nostra usque tempora, en totum hujus secundi tractatus argumentum.

Conspectum autem hunc historicum non solum brevem et compendiosum fore, verum etiam valde deficientem et necessario mancum, dicere supervacuum. Historiam enim completam theologiæ græco-russicæ etiam in compendio describere nondum possibile est, cum major pars operum theologicorum a Byzantinis conscriptorum necnon multa recentiorum scripta hactenus sint inedita. Unde materiam summatim tantum attingemus, præcipuas controversias, clariora nomina atque opera, ea præsertim quæ edita sunt, recensentes, diversosque influxus qui, temporum decursu, in theologiam græco-russicam invaluerunt, accurate notantes.

In hac autem historia, epochæ duæ congruenter distinguuntur : epocha scilicet byzantina, quæ a Michaele Cærulario usque ad Constantinopolim a Turcis captam currit; atque epocha moderna, ab anno 1453 usque ad hodiernam diem. In prima, quamquam inde a latino regno ad Bosphori ripas constituto, theologia græca scholasticæ occidentalis influxi patet, suo tamen proprio tramite adhuc incedit, propriamque indolem retinet. In altera vero, eadem ex theologia occidentali quum catholicæ tum reformatæ, magis ac magis pendet, majorque opinionum varietas apud theologos deprehenditur. Agemus ergo : 1° de epocha byzantina; 2° de epocha moderna. Cum vero theologia russica proprie dicta ob suum momentum speciali disquisitione digna sit, de hac in peculiari sectione agemus.

# SECTIO PRIMA

## HISTORIÆ THEOLOGIÆ GRÆCO-RUSSICÆ EPOCHA BYZANTINA

### Divisio.

Sicut tota theologiæ græco-russicæ historia in duas epochas convenienter dividitur, ita in prima ejusdem epocha duæ periodi jure notantur. Prima periodus, post Cærularium incipiens, usque ad imperium latinum conditum producitur; secunda temporis intervallum complectitur, quod ab imperio latino condito usque ad urbem a Turcis captam fluit. Cujus divisionis, præter rationem chronologicam, etiam ratio interna assignari potest.

In prima enim periodo, theologia byzantina dissidens propriam independentiam indolemque omnino servat, atque a quocumque externo influxu immunis fere remanet; in secunda autem, influxus theologiæ occidentalis, mediantibus missionariis, dominicanis præsertim atque franciscanis, palam fit. Tentamina unionis frequentiora evadunt. Inde vero a sæculo XIV, quædam opera latina in græcam dialectum vertuntur. Interim capitum controversorum numerus augescit, et circa illa disceptationes fiunt acriores, donec tandem pangatur unio Florentina. Unde ab hac periodo, duplicem theologorum classem Byzantii invenimus, illorum scilicet, qui ad unionem cum romana Ecclesia propensi, differentias dogmaticas minuunt, attenuant, vel penitus tollunt: qui ideo λατινόφρονες, id est *cum Latinis sentientes*, ab aliis audiunt; et illorum, qui separationi Ecclesiarum suffragantes, photianum dogma de processione Spiritus Sancti a Patre solo acriter propugnare pergunt, Latinosque abhorrent. Sæculo XIV, quando exsurgit controversia hesychastica, theologi λατινόφρονες, Barlaamo et Acindyno præeuntibus, palamismum dialecticæ latinæ armis confodiunt, dum Gregorii Palamæ sectatores, Latinis infensissimi, ad textus patristicos potissi-

mum confugiunt, tritaque via incedere pergunt. Adest ergo ratio sufficiens has duas periodos distinguendi.

Hanc autem primam sectionem tribus capitibus absolvemus; quorum primum erit *de theologiæ byzantinæ indole ac fontibus;* secundum, *de prima periodo supra delineata;* tertium, *de secunda periodo* [1].

1. De historia theologiæ byzantinæ duo præcipua opera sunt : 1° K. Krumbacher-Ehrhard, *Geschichte der byzantinischen Litteratur*, Monaci, 2ª édit., 1897; 2ª A. Demetrakopulus, Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, Lipsiæ, 1867. In his tamen aliquot errores deprehenduntur. Tertia editio operis K. Krumbacher-Ehrhard penitus recognita et quamplurimis aucta jam paratur. Non pauca etiam invenire est in recentibus periodicis scientificis : *Byzantinische Zeitschrift, Revue de l'Orient chrétien. Bessarione, Echos d'Orient*, Νέα Σιών, Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος, Νέος Ἑλληνομνήμων, etc., præsertim vero in *Dictionnaire de théologie catholique*, Vacant, in quo docti articuli de theologis byzantinis publicantur.

# CAPUT PRIMUM

## DE THEOLOGIÆ BYZANTINÆ INDOLE AC FONTIBUS

Per totam epocham byzantinam, theologia græco-russica — vel potius græca simpliciter, quia russica vix apparet — quasdam notas præ se fert, quæ nobis ejus veram indolem repræsentant. Cum vero non de qualibet specie theologiæ, sed de sola dogmatica agamus, quærendum est undenam hujusmodi theologia haurienda sit; raro enim antiqui de dogmatica separatim agebant, neque Byzantinis solemne fuit theologiæ dogmaticæ compendia ad nostrorum formam contexere. Unde duo pro hoc primo capite articuli :

Articulus I : *De theologiæ byzantinæ notis.*

Articulus II : *De ejusdem theologiæ fontibus.*

## ARTICULUS I

### De theologiæ byzantinæ notis.

Quinque notis insignita nobis apparet theologia byzantina. Est enim :

1° positiva magis quam speculativa ;

2° polemica plerumque et raro irenica ;

3° gentica seu nationalis ;

4° Influxui politico obnoxia ;

5° Partibus disjunctis fragmentisque incompositis constans, non in unum systema cohærens redacta [1].

#### I. — Est positiva magis quam speculativa.

Postquam Ecclesia byzantina de iconoclastis definitivam reportavit victoriam, triumphumque Orthodoxiæ anno 843 solemniter egit, theologia byzantina veteri Patrum traditioni

1. Sexta nota addi posset : *plagio plus æquo indulget*, præsertim in operibus polemicis : raro enim polemistæ juniores majorum adinventis aliquid novi adjiciunt. De notis theologiæ byzantinæ vide A. Palmieri, *La teologia byzantina. Caratteri generali. Studi religiosi*, t. II, 1902.

magis ac magis inhæsit, atque de deposito revelato novis indagationibus excolendo ac ditando, duce sana philosophia, parum curavit. Unde ejus præcipua nota est rigidus traditionalismus seu conservatismus. Una tamen exceptio animadvertenda est : Quotiescumque de processione Spiritus Sancti sermo est, theologi byzantini, Photii vestigia prementes, ad humana ratiocinia magis quam ad sacram Scripturam et Patres antiquos confugiunt. Alibi vero positivis argumentis communiter procedunt. Unde non tam theologiam proprie dictam, illam scilicet quæ via scienfitica certas conclusiones ex principiis revelatis deducit, excolunt, quam theologiam stricte dogmaticam exponunt. Identidem quidem novæ quæstiones a quibusdam moventur; auctoritate vero magis quam philosophica ratione perpenduntur ac solvuntur.

### II. — Est plerumque polemica.

Theologia byzantina in impugnandis infidelibus, hæreticis, novatoribus, Latinis fere tota est. Raro quiescit; vix pacifice meditatur ac argumentatur; fere semper dimicat.

Ex infidelibus refelluntur Judæi et Mahumetani. Contra Judæos quædam habet Euthymius Zigabenus in sua *Panoplia dogmatica* [1]. Quidam anonymus, qui sub finem sæculi XIII vivebat, *Dialogum contra Judæos* composuit [2]. Cæterum, plura opera antijudaïca nondum edita sunt [3].

Contra Mahumetanos calamo decertarunt Euthymius Zigabenus [4], Nicetas Akominatus [5], Joannes Cantacuzenus [6], Manuel Paleologus [7], alii quidam auctores incerti nominis [8].

Adversus veteres hæreticos nostri Byzantini antiquorum

1. *Panoplia dogmatica*, tit. 8. *P. G.*, t. CXXX, col. 257-306.

2. *P. G.*, t. CXXXIII, col. 797-924. Hic dialogus Andronico I Commeno (1183-1185) falso adscriptus est.

3. Theophanes Nicænus, Matthæus Blastares, Joannes Cantacuzenus, etc., contra Judæos scripserunt.

4. *Op. cit.*, tit. 28. *Quædam disputatio de fide cum philosopho saraceno* Euthymio falso tribuitur in *Patrologia græca*, t. CXXXI, col. 19-38. Hujus opellæ auctor est Euthymio multo junior.

5. In *Thesauro orthodoxiæ*, *P. G.*, t. CXL, lib. XX, col. 105.

6. *Contra Mahumetum*, *P. G.*, t. CLIV, col. 371-583. *Orationes*, IV, *ibid.*, col. 583-692.

7. *Dialogus cum Mahumetano*. *P. G.*, t. CLVI, col. 125-174.

8. Cf. *P. G.*, t. CLIV, col. 1151-1170; t. CLVIII, col. 1077-1080.

dicta communiter referunt. Quidam polemistæ Armenos, quibuscum unionis tentamina, præsertim sæculo XII, inita sunt, speciatim impugnarunt [1]. Inde autem a Photii tempore, quædam sectæ, manichæorum principiis imbutæ, ut pauliciani, massaliani, bogomili seu phundagiagitæ Ecclesiam byzantinam exagitarunt; quibus confutandis theologi operam dederunt.

In ipso Ecclesiæ byzantinæ gremio, controversiæ theologicæ exortæ sunt, quæ copiosorum scriptorum causa fuere. In secundo dimidio sæculi XII, controversiæ hujusmodi tres exstiterunt.

Prima fuit de sacrifico eucharistico, utrum scilicet hoc sacrificium toti Trinitati offeratur, an Patri et Spiritui Sancto tantum, Filio excluso, cum hic sit qui offerat simul et offeratur, secundum illa sacræ liturgiæ verba : Σὺ εἶ ὁ προσφέρων καὶ ὁ προσφερόμενος : *Tu es qui seipsum offert et qui offertur.* Multi theologi, inter quos Soterichus Panteugenus, Antiochiæ patriarcha electus, Eustathius Dyrrachiensis, Michael Thessalonicensis, sacrificium missæ non offerri Verbo contendebant; qui a concilio Constantinopolitano mensis Januarii anni 1156 condemnati sunt [2].

Altera controversia circa interpretationem verborum Christi : *Pater major me est*, versabatur. Quinque sententias diversas de hac quæstione protulerunt theologi hujus temporis. Quidam dicebant Patrem esse Filio majorem unice propter relationem originis inter Patrem et Filium existentem. Alii autem hanc inferioritatem de Filio hominis seu de Verbo incarnato in duabus suis naturis simul considerato explicabant. Alii vero personam Verbi persona Patris inferiorem prædicabant propter voluntariam ipsius humiliationem, qua naturam humanam sibi conjunxit. Quartæ opinionis defensores, inter quos erant Constantinus, metropolita Corcyrensis et monachus Joannes Irenicus, affirmabant Christum ideo seipsum dixisse Patre inferiorem, quod naturam humanam assumpsisset. Inferioritas, inquiebant, solummodo accipienda est ex parte naturæ humanæ, quam mentis abstrac-

1. Theorianus, *Disputatio cum Armeniæ Catholico*, *P. G.*, t. CXXXIII, col. 119-298.

2. Vide *Acta* hujus synodi apud Mai, *Spicilegium romanum*, t. X, col. 16-93.

tione seu fictione Christus separatim a persona divina considerabat, quando dixit : *Pater major me est* : Διὰ τὴν κατ' ἐπίνοιαν διαίρεσιν ἀνθρωποπρεπῶς εἰρηκέναι τὸν Κύριον μείζονα ἑαυτοῦ τὸν Πατέρα. Quidam demum, Christum Patre inferiorem esse contendebant unice propter mediatoris officium, quo fungitur inter Deum et homines. Ex his quinque sententiis, secundam tantummodo ut orthodoxam habuit synodus Constantinopolitana, die 2 martii anno 1166, congregata, cui præfuit ipse imperator Manuel Comnenus[1]. Quarta expresse tanquam hæretica damnata est ab altera synodo, anno 1170 habita. Constantinus et Joannes Irenicus solemniter anathemati traditi sunt, eorumque nomina in *Synodikon* Magnæ Ecclesiæ inter hæreticos relata.

Circa finem sæculi XII et initio sæculi XIII, altera quæstio mota est de qualitate corporis Christi in Eucharistia. Monachus quidam, nomine Michael Sikedites, quem eumdem esse ac Michaelem Glykam non pauci putant, docuit corpus Christi in Eucharistia, durante missæ sacrificio, corruptibilem esse, passibilem, exanimemque usque ad communionem; qua peracta. Christum in ore communicantium velut in sepulcro positum, ad vitam immortalem et incorruptibilem resurgere[2]. De hac quæstione multum disputarunt theologi byzantini. Porro adventus Crucigerorum, anno 1204, impedivit, ut videtur, ne authentica solutio litis ab Ecclesia byzantina promulgaretur.

Sæculo XIV, magna controversia de hesychasmo seu de palamismo Ecclesiam byzantinam vehementer commovit, et in duas factiones inimicas theologos divisit. De hac contentione quædam infra dicturi sumus, antequam systema palamiticum in secundo volumine fusius exponamus ac discutiamus.

Cæterum polemicæ byzantinæ conatus præcipui et frequentiores contra Latinos diriguntur. Inter capita controversa primas tenet quæstio de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio. Innumeri sunt tractatus de hoc argumento a

1. Mai, *Scriptorum veterum nova collectio*, IV, 1-96; L. Petit, *Documents inédits sur le concile de 1166 et ses derniers adversaires*, in periodico russico *Vizantiiskii Vremennik*, 1904.

2. *Perpétuité de la foi touchant l'Eucharistie*, édit. Migne, t. IV, p. 611-642. De hac controversia quædam exstant documenta inedita.

byzantinis theologis conscripti, quorum non pauci in codicibus reconditi adhuc latent. Per totam hanc epocham, primatus romani Pontificis rarius, saltem ex professo, impetitur, imo a non paucis aperte docetur; qui tamen ejusdem infallibilitatem negant. De azymis satis frequens mentio occurrit. Post Urbem autem a Crucigeris captam, novæ oriuntur contentiones, ex quibus præcipua illa est, quæ circa animarum statum post mortem versatur.

**III. — Est gentica seu nationalis.**

Theologia byzantina est gentica, id est, e solis fontibus græcis suam materiam haurit; traditionem latinam fere penitus ignorat. Equidem verum est, sæculo XIV, quædam opera latina, sancti Augustini præsertim et sancti Thomæ, in græcum translata fuisse; hæ vero translationes, cum tardius apparuerint, tenuem influxum in animum byzantinum habuerunt. Præterea, notandum est theologiam byzantinam non pauca antiquæ traditionis orientalis lumina ignorare vel de industria negligere. De Patribus enim antenicaenis reliquias admodum jejunas retinet; de postnicænis vero multa præterit. Eadem nomina semper redeunt : Athanasius, Cappadoces tres, Joannes Chrysostomus, sanctus Cyrillus Alexandrinus (cujus tamen doctrina de processione Spiritus Sancti a polemistis antilatinis de industria in obscuro relinquitur), Theodoretus, Pseudo-Dionysius, Maximus Confessor, Joannes Damascenus.

**IV. — Est influxui politico obnoxia.**

Byzantii, non solum clerici, sed etiam omnis conditionis laici theologizant. Inter laicos autem theologos, imperatores primas obtinent. Hi fere omnes, Justiniani vestigiis inhærentes, ut docti theologi haberi volunt. Ubi autem aliquam sententiam faciunt suam, omnes subditi quum clerici tum laici eamdem amplectantur oportet. In contradicentes pœnæ tum ecclesiasticæ tum civiles decernuntur. Si de hoc certior fieri volueris, legas velim historiam controversiarum hujus ætatis necnon tentaminum unionis cum Ecclesia catholica.

**V. — Cohærenti synthesi caret.**

Post sanctum Joannem Damascenum, Ecclesia byzantina nullum habuit theologum qui totam theologiæ dogmaticæ

provinciam perlustrarit, et in unum corpus cohærens omnes veritates revelatas ordinaverit, rationisque ope expoliverit. Sæpissime, sub forma quæstionum et responsionum, suam doctrinam tradunt theologi byzantini de locis difficilioribus sacræ Scripturæ vel Patrum. Quæstiones particulares movent, quæ curiositatem excitant. Monographias satis bene exploratas quandoque apud illos invenies; nunquam autem summas theologicas completas, quæ nostrorum Scholasticorum operibus æquiparari possint.

## ARTICULUS II

### De theologiæ byzantinæ fontibus seu locis.

Elementum dogmaticum seu theologicum apud Byzantinos non est tantummodo quærendum, in operibus de fidei veritatibus vel de capitibus controversis ex professo tractantibus. Istud etiam in aliis speciebus theologiæ sensu lato sumptæ occurrit, scilicet in exegetica, concionatoria, ascetica, liturgica, quandoque et hagiographica. Nec prætermittendi canonum ecclesiasticorum interpretes.

Exegesis byzantina proprio ingenio caret. A veteribus exegetis epochæ patristicæ, Joanne Chrysostomo scilicet, Theodoreto, Œcumenio fere omnia mutuatur. Nota tamen hujusmodi excerpta patristica non parvi momenti esse pro apologeta catholico.

Elementum dogmaticum in majori quantitate reperitur apud concionatores et homiletas. Plures homiliæ sunt tractatus theologici veri nominis, v. g., Nicolai Cabasilæ homiliæ mariales, Gregorii Palamæ aliquot sermones, etc.

Inter opera ascetica materiam dogmaticam continentia notanda sunt Symeonis junioris theologi *orationes* et *capitula practica et theologica* [1]; Nicolai Cabasilæ opus *De vita in Christo libri septem* [2]; quædam ascetica a theologis palamismo addictis conscripta.

1. *P. G.*, t. CXX, col. 1-228; 321-508. Nota majorem partem orationum asceticarum hujus Simeonis in codicibus adhuc latere; de quibus vide Allatium, *De Symeonibus*, et K. Holl, *Enthusiasmus und Bussgewalt*, Leipzig, 1898.

2. *P. G.*, t. CL, col. 493-726. Cf. quæ infra dicuntur, p. 443.

Inter liturgica eminent Symeonis Thessalonicensis opuscula, in quibus multa occurrunt ad dogmaticam pertinentia [1]. Præterea libri liturgici Ecclesiæ byzantinæ de quacumque quæstione theologica fructuose consuluntur; thesaurum enim doctrinæ ditissimum continent.

Item, theologus negligere non debet canonistarum byzantinorum interpretationes, epistolas, responsa ad interrogationes; patriarcharum Constantinopolitanorum litteras ac decreta, ex quibus non pauca in *Patrologia graeca* a Migne collecta inveniuntur.

1. *P. G.*, t. CLV. Cf. p. 454.

## CAPUT SECUNDUM

### THEOLOGIÆ BYZANTINÆ PRIMA PERIODUS (1054-1220)

Theologia byzantina dissidens ab ipsis Photii scriptis polemicis contra Ecclesiam occidentalem incepit. Cum autem de hujusmodi scriptis sufficienter egerimus in primo tractatu, ibidemque de Michaele Cærulario necnon de ejus primis asseclis, qui ei operam navarunt, ut suum de consummanda separatione propositum perficeret, necessaria dixerimus, de solis theologis, qui a fine sæculi XI usque ad initium sæculi XIII vixerunt, in hoc capite tractare restat.

Ut vero hujus theologiæ processus in hac prima periodo clarius appareat, non abs re erit paucis memorare unionis tentamina, quæ per totum hoc tempus inter utramque Ecclesiam intercessere. Vixdum enim Cærularius schisma compleverat, quum colloquia ad instaurandam pacem incepere. Unde tentaminibus hujusmodi brevem dabimus articulum, antequam de theologis singillatim loquamur.

### ARTICULUS I

#### De unionis tentaminibus per decursum primæ periodi.

Ab anno 1054 ad annum 1220, unionis tentamina octo fuerunt :

Primum anno 1072 contigit, sub Alexandro papa II et Michaele VII imperatore byzantino. Michael Psellus et Joannes Xiphilinus unionem impedivere.

Secundum, anno sequenti (1073), Gregorio papa VII sedente, prospere non cessit, ob Græcorum adversus doctrinas catholicas repugnantiam.

Tertium, sub Alexio I Comneno et Urbano papa II, ab anno 1089 ad annum 1099 perduravit, occasionemque Latinis præbuit dogma de processione Spiritus Sancti elucidandi ac

solemniter proclamandi in conciliis Bariensi (1098)[1] et Romano (1099).

Quartum sub Paschale papa II et eodem imperatore Alexio I Comneno, annis 1112-1113, evenit. Anno 1113, Petrus Chrysolanus (Grossolano), Mediolanensis episcopus, e Terra Sancta redux, per Constantinopolim iter fecit, ibique de quæstionibus controversis cum theologis græcis Joanne Phurnesio, Eustratio Nicæno, Euthymio Zigabeno et aliis, imo cum imperatore ipso colloquia habuit, sed sine ullo successu.

Anno 1136, imperante Joanne II Comneno (1118-1143), nova colloquia theologica inter theologos græcos et legatum Lotharii II imperatoris Occidentis, Anselmum Havelbergensem episcopum, inita sunt, die decima Aprilis in ecclesia S. Irenes; die decima septima ejusdem mensis, in Magna Ecclesia. De capitibus controversis fuse actum est; necessitas alicujus concilii oecumenici ad lites solvendas utrimque agnita. Præcipuum inter theologos byzantinos collocutorem habuit Anselmus Nicetam, Nicomediæ metropolitam, ut ipse refert [2].

Idem Anselmus, anno 1155, ab Adriano papa IV Constantinopolim missus, de punctis controversis iterum sermonem habuit cum Basilio Achridano, Thessalonicæ metropolita [3]. Patriarcha œcumenicus Michael Anchialenus Ecclesiarum unioni totis viribus obstitit.

De unione, sub pontificatu Innocentii papæ III (1198-1216), non semel actum est. Hujus pontificis conatus pro instauranda communione cum Byzantinis inefficaces omnino evasere, præsertim postquam Crucigeri Constantinopolim ceperunt, Græcorumque iracundiam in se non immerito concitarunt. Joannes et Nicolaus Mesarites Græcorum partes tuiti sunt in controversiis, quæ intra annos 1204-1206 coram legatis pontificiis Petro Capuano et Benedicto a Sancta Suzanna necnon coram patriarcha latino Petro Morosino Constanti-

1. Nota synodo Bariensi non interfuisse Byzantinos proprie dictos, sed solummodo præsules ritus græci in Italia meridionali sub Nortmannorum dominatu degentes; quibuscum unio revera intercessit.

2. Cf. Anselmi *Dialogum*, *P. L.*, t. CLXXXVIII, col. 1163-1248.

3. De hac controversia vide J. Schmidt : *Des Basilius aus Akrida Erzbischofs von Thessalonich bisher unedierte Dialoge*, Monaci, 1901. Cf. Hergenröther, *op. cit.*, t. III, col. 807-808.

nopoli habitæ sunt. Anno 1213, cardinalis Pelagius, Albanensis episcopus, ab eodem Innocentio III Constantinopolim tanquam legatus missus, collationes de unione cum Nicolao Mesarita rursum habuit [1].

Anno 1220, Nicææ imperator Theodorus I Lascaris pacem cum Latinis renovare tentavit, sed incassum [2].

## ARTICULUS II

### De præcipuis theologis byzantinis, qui inde a sæculo XI exeunte usque ad sæculi XIII initium floruerunt.

#### I. — Euthymius Zigabenus.

Sæculi XII ineuntis præcipuus theologus fuit Euthymius Zigabenus seu Zigadenus, de cujus vita fere omnia ignorantur. Novimus enim tantum illum fuisse monachum, atque Alexii Comneni (1081-1118) rogatu, contra omnes hæreses opus conscripsisse, cui titulum præfixit : Πανοπλία δογματική, *Panoplia dogmatica* [3], quodque in viginti octo titulos seu capita distribuit. Usque ad titulum XXII, *Panoplia* nihil aliud est quam longa series locorum patristicorum circa doctrinam de Deo uno et trino, de Deo creante, de Verbo incarnato (I-VII), et contra Judæos ac veteres hæreticos VIII-XXII. Latini impugnantur in titulo XIII, qui constat quodam opusculo circa processionem Spiritus Sancti Photio tributo et verisimiliter

1. Documenta ad has collationes spectantia nuperrime edidit Augustus Heisenberg in *Actis Academiæ scientiarum bavaricæ*, 1922-1923, sub titulo : *Neue Quellen zur Geschichte des lateinischen Kaisertums und der Kirchenunion.* Tres fasciculi. Præcipua documenta edita constant duabus relationibus de colloquiis a Nicolao Mesarita conscriptis. Ultimam, inscriptam : Διάλεξις μετὰ τῶν πρέσβεων τοῦ πάπα, jam ediderat Russus Arsenii in *Lectionibus Societatis amicorum religiosæ culturæ*, 1892, et separatim, Mosquæ, anno 1893. Cf. J. Pargoire, *Nicolas Mesaritès, métropolite d'Ephèse*, in *Échos d'Orient*, t. VII (1904), p. 219-226.

2. *Cf. Vizantiiskii Vremennik*, t. III (1896), p. 248-299. De his omnibus tentaminibus vide S. Vailhé, art. *Église de Constantinople*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, col. 1375-1387.

3. Invenitur in *P. G.*, t. CXXX. In hoc opere concinnando, Euthymius adjutores habuit Joannem Phurnesium et quosdam alios.

ex Photii Mystagogia contracto [1]. Inde vero a titulo XXIII, auctor tractat de hæresibus coævis, et jam e proprio fonte quædam promit. Armenos redarguit propter azymi usum (tit. XXIII), Paulicianos refellit armis a Photio, sancto Joanne Damasceno et tribus Cappadocibus mutuatis (tit. XXIV-XXV). Titulus XXVI massalianos impugnat, et titulus XXVII adversus bogomilos inscribitur. Hic titulus XXVII non mediocris momenti est pro historia bogomilorum qui, vivente auctore, in Ecclesia byzantina primum apparuerunt. Hujus textus variæ lectiones in diversis codicibus occurrunt. Titulus XXVIII et ultimus de Mahumetanis, quos auctor Ismaelitas appellat, fuse agit.

Præter *Panopliam dogmaticam*, Zigabenus posteris reliquit *Commentaria in Psalmos*, *in quatuor Evangelia* et *in Epistolas paulinas*, in quibus raro propriam interpretationem tradit; fere enim omnia ex Patribus recitat aut contrahit, sapienter tamen ac diligenter [2].

Non pauca scripta nostro Euthymio falso tributa sunt; de quibus vide nostram dissertationem de Euthymio et ejus scriptis in *Échos d'Orient* [3].

### II. — Joannes Phurnesius.

Petri Grossolani Mediolanensis adventus ad regiam urbem, anno 1113, theologis byzantinis occasio fuit de Latinorum erroribus disserendi scriptaque polemica non pauca conscribendi. Inter hos theologos notandus venit Joannes Phurnesius, qui Euthymio Zigabeno in *Panoplia dogmatica* concin-

1. *P. G.*, t. CII, col. 391-400.

2. *Interpretatio in Epistolas paulinas* non invenitur in *Patrologia græca*. Eam edidit, anno 1887, Nicephorus Calogheras : Εὐθυμίου τοῦ Ζιγαβηνοῦ ἑρμήνεια εἰς τὰς ιδ' ἐπιστολὰς τοῦ ἀποστόλου Παύλου, καὶ εἰς τὰς ζ' καθολικάς, 2 vol., in-8°, Athenis, 1887. Nota *Commentarium in septem epistolas catholicas* ad Euthymium Zigabenum non pertinere, sed esse cujusdam sacerdotis Andreæ sæculo X antiquioris.

3. *Échos d'Orient*, t. XV (1912), p. 212-225. Nota ad p. 219 opusculum de *die quo Christus Pascha manducavit*, in *cod. Palat. græc. 361*, fol. 123-124ᵛ, contentum, *incip* : Ὀψίας γενομένης, nihil aliud esse quam excerptum *Commentarii in Matthæum*, *P. G.*, t. CXXIX, col. 657 et 660. Inter Euthymii opera nondum edita venit quoddam *Commentarium in decem cantica*, in quibusdam codicibus sæculi XII, ut *cod. Paris. 142* et *Coisl. 104*, occurrens.

nanda adjutor fuit, et quamdam dissertationem de processione Spiritus sancti, ab A. Demetrakopulo editam [1], composuit. Ejusdem publicata est etiam homilia in Domitionem Deiparæ inter homilias Theophanis Ceramei [2].

### III. — Eustratius Nicænus et Nicetas Seides.

Eustratius, Nicææ metropolita († post annum 1117), septem opuscula polemica conscripsit tum de processione Spiritus Sancti tum de azymis, ut Petro Grossolano, episcopo Mediolanensi, responderet. Ex his quatuor (tria de Spiritu Sancto, unum de azymis) edidit A. Demetrakopulus [3]. Eustratius disceptavit etiam cum Armenis monophysitis; quos ut confutaret, dissertationem de duabus in Christo naturis composuit, a Demetrakopulo item editam [4].

Eustratii coævus, Nicetas Seides suas etiam partes habuit in controversia de processione Spiritus Sancti deque azymis ab eodem Petro excitata. Quæ de utraque quæstione concinnavit nondum edita sunt, si excipias quædam excerpta ad tractatum de Pascha pertinentia [5] et opusculum quoddam contra Latinos [6].

### IV. — Symeon et Joannes Hierosolymitani. Joannes Antiochenus.

De his tribus polemistis simul agimus, quia eodem fere tempore, scilicet primis annis sæculi XII, atque de eodem

1. Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη, Lipsiae, 1886, p. 36-47.

2. Editio Gregorii Palamæ, Hierosolymis, 1860, p. 270-276. Phurnesius alia opuscula inedita conscripsit, ex quibus quædam notat A. Demetrakopulus, *op. cit.*, p. η' sq.

3. Demetrakopulus, *op. cit.*, p. 47-127. Hic auctor inter inedita Eustratii recenset « secundum tractatum de azymis (λόγος δεύτερος περὶ ἀζύμων), a quo synodus Constantinopolitana anni 1156 quemdam locum mutuatur, quemque edidit Dositheus in Τόμῳ ἀγάπης, Iassii, 1698, p. 504-527, sub nomine Joannis patriarchæ Hierosolymitani. Codices evincunt illum potius ad Joannem Hierosolymitanum pertinere. Cf. art. *Jean de Jérusalem*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VIII, col. 766-767, a L. Petit conscriptum.

4. *Ibid.*, p. 160-198. Dum monophysismum impugnaret, Eustratius ad nestorianismum declinare visus est. Unde, ut ab hac accusatione se purgaret, confessionem fidei imperatori Alexio Comneno præsentavit, quam legere est apud Demetrakopulum, *ibid.*, p. ια'-ιε'.

5. *P. G.*, t. CXXVII, col. 1484-1487.

6. Pavlov, *op. cit.*, p. 186-188.

argumento, de azymis nempe, scripserunt; quorum opuscula fortuna favente, lucem aspexere.

Opusculum Symeonis II, qui patriarcha Hierosolymorum erat, tempore primi belli cruce signatorum, a Bernardo Leib nuperrime editum est [1]. Scriptum est Constantinopoli circa an. 1107-1113, ad confutandum quemdam libellum Latinorum de usu azymi in sacrificio missæ [2]. Auctor Latinorum argumentis sine ira respondet et sententiæ adhæret asserentium Christum legale pascha non manducasse.

Symeonis II successor fuit Joannes quidam, qui sane Hierosolymis nunquam sedit, sed Constantinopoli mansit, Latinis hoc tempore sacram Urbem tenentibus. Hic tamen prius Hierosolymis vixerat, ut constat ex ejus opusculo sic inscripto : *Disceptatio de azymis, quam in urbe Hierosolymitana cum philosopho quodam Italo habuit* [3]. De azymis etiam conscripsit duo alia opuscula, quæ Dositheus suo *Tomo Amoris* inseruit [4]. Præterea, in quibusdam codicibus sub Joannis nomine occurrunt opellæ duæ nondum editæ, una de schismatis origine, cui titulus : *Synodicum editum Constantinopoli a Joanne beatæ memoriæ patriarcha Hierosylymitano* [5], altera de processione Spiritus Sancti [6]; et eidem fortasse tribuen-

1. In Actis Instituti pontificii Orientalis : *Orientalia christiana*, t. II, p. 177-190, 217-239. Editor, post alios, opinatur hoc opusculum non esse genuinum Symeonis scriptum, quia 1° Symeon anno 1099 obierit; 2° pacifico animo erga Latinos fuerit. Sed num Symeon anno 1099 mortuus fuerit, incertum est, quidquid dicere videatur Albertus Aquensis, apud Lequien, *Oriens christianus*, t. III, col. 498-500; imo *in cod. Coisl.* 36, Symeon dicitur cuidam synodo Constantinopolitanæ interfuisse, Alexio I Comneno imperante; quod evenire vix potuit ante Jerosolymam a Crucigeris captam. Cf. Montfaucon, *Bibliotheca Coisliana*, p. 105. Ad secundam autem rationem quod attinet, hanc contra authenticitatem difficile urgebis, cum noster Symeon sat irenice Latinos alloquatur. Cæterum, animum mutare potuit.

2. Omnino verisimile est hunc libellum esse tractatum sancti Brunonis Astensis *De sacrificio azymo*, *P. L.*, t. CLXV, col. 1085 seq., ad Benedictinos Constantinopolitanos circa an. 1107-1112 missum, ut ex collatione utriusque scripti constare videtur. Cf. Leib, *op. cit.*, p. 182-184.

3. Hunc dialogum edidit Dositheus in Τόμῳ ἀγάπης, p. 527-538.

4. *Ibid.*, p. 504-527.

5. Incipit : « Μέχρι μὲν Σεργίου, τοῦ εὐσεβοῦς πατριάρχου. Agitur de tempore quo nomen papæ e diptychis Constantinopolitanis expunctum fuerit.

6. Incip : Γέγονεν ἐν Ἐφέσῳ. Cf. Allatium, *Contra Hottingerum*, p. 526.

dum est aliud opusculum in *cod. Paris. græc. 947* asservatum sic inscriptum : *Joannis Hierosolymitani patriarchæ adversus illos qui aquam calidam in mysteriorum celebratione negant esse adhibendam* [1].

Joannes IV Oxita Antiochenæ Ecclesiæ præerat, quando Crucigeri urbem ceperunt (anno 1098). Primum quidem cum Latinis pacifice vixit; mox vero cum Nortmannorum ducibus Bohemondo et Tancredo lites habuit, atque circa annum 1101 Constantinopolim aufugit. Latinis infensissimus, silere non sustinuit, cum de instauranda unione colloquia inita sunt inter Alexium Comnenum et Paschalem papam II (circa an. 1112-1113), calamunque arripiens, libellum de azymis sub forma epistolæ ad metropolitam Adrianopolitanum missæ conscripsit; quem B. Leib recenter edidit [2]. Joannes *Italos* acerrime carpit ob azymi usum, quem præcipuum unionis obstaculum habet [3]. Concedit quidem Christum agnum paschalem manducasse sive cum fermentato sive cum azymo; at contendit illum anticipasse diem legalem, fermentatoque adhibito, sacrificium novi fœderis instituisse. Cæterum, argumenta Pectorati et Leonis Achridani adversus azyma recoquit, sacrificiumque Italorum vocat ἄθυτον, eorumque communionem ἀκοινώνητον [4].

### V. — Nicolaus Methonensis.

Nicolaus episcopus Methonensis (†circa 1165), unus fuit e celebrioribus theologis sæculi XII; ejus tamen fama non parum obscurata est post editionem quorumdum ejus operum, ex quibus constat illum plagiarium insignem fuisse, multaque antiquorum Patrum ac scriptorum ad verbum transcripsisse. Suas partes habuit tum in controversia de sacrificio missæ, tum in illa quæ ad interpretationem verborum Domini *Pater major me est* spectabat; de quibus supra

1. De Joanne Hierosolymitano vide art. *Jean de Jérusalem*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VIII, col. 766-767, auctore L. Petit.

2. B. Leib, *op. cit.*, p. 191-201, 244-263.

3. Τὸ δὲ τῶν ἀζύμων περὶ αὐτὸ μὲν τείνει τῆς εὐσεβείας τὸ κεφάλαιον. *Ibid.*, p. 245.

4. Ex quo inferre licet Joannem consecrationem in azymo invalidam habere. In *P. G.*, t. CXXXII, col. 1117-1149, Joannis occurrit opusculum Περὶ μοναστικῆς διδασκαλίας.

locuti sumus [1]. Ad primam referuntur duo tractatus ab A. Demetrakopulo editi [2]. De processione Spiritus contra Latinos tria opuscula conscripsit, ex quibus duo a Constantino Simonida et a Demetrakopulo publicata sunt [3]; tertium vero, cui titulus : Ἀπομνημονεύματα ἐκ τῶν ἐν διαφόροις λόγοις γεγραμμένων κατὰ Λατίνων περὶ τῆς εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα βλασφημίας, vulgavit A. J. Arsenii, Novogrodii, 1897, una cum ejusdem dissertatione de azymis. Notanda est etiam ejus commentatio *de corpore et sanguine Domini* contra bogomilos [4]. Accurata descriptio ejus operum ineditorum adhuc desideratur.

### VI. — Joannes Zonaras et Theodorus Balsamon.

Notissimi canonistæ Joannes Zonaras et Theodorus Balsamon, qui sæculo XII vixerunt (hic tamen illo junior), in suis canonum commentationibus necnon canonicis responsis non

1. Cf. p. 397.

2. Κατὰ τῆς αἱρέσεως τῶν λεγόντων τὴν σωτηρίον ὑπερ ἡμῶν θυσίαν μὴ τῇ τρισυποστάτῳ θεότητι προσαχθῆναι, ἀλλὰ τῷ Πατρὶ μόνῳ. Lipsiæ, 1865.

3. K. Simonidès, Ὀρθοδόξων Ἑλλήνων γραφαὶ τέσσαρες, 2ª edit., Londini, 1865, p. 1-39, (1ª editio, Londini, 1858). Demetrakopulus, Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη, Lipsiæ, 1866, p. 359-380, habet tantum secundum tractatum, cujus titulus est : Ἔλεγχοι κεφαλαιώδεις τοῦ παρὰ Λατίνοις καινοφανοῦς δόγματος τοῦ ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ προέρχεται. Idem Demetrakopulus, Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, p. 25, Nicolao falso adscribit tres dissertationes polemicas cujusdam Anonymi sæculi XIII ineuntis, quas publici juris fecit Arsenii, Mosquæ, 1892. Illas ex parte tantum ediderat Nicephorus Kalogeras, Lipsiæ, 1890. Prima dissertatio est confutatio tractatus Hugonis Etheriani contra Græcos; secunda est de azymis; tertia, inscripta : Περὶ τοῦ ὅπως ἴσχυσε καθ'ἡμῶν ὁ Λατῖνος, sævitias Latinorum in Græcos post expugnationem Constantinopolis, anno 1204, patratas memorat, et ad theologiam vix refertur.

4. *P. G.*, t. CXXXV, 509-514. Ejusdem Nicolai *Bibliotheca ecclesiastica* Demetrakopuli continet tres dissertationes « περὶ ὅρου ζωῆς καὶ θανάτου », p. 219-265, quæ, teste Ehrhard, (Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur*, 2ª édit., Monaci, 1897, p. 86-87), rerum summam in opere S. Germani Constantinopolitani de eodem argumento contentam exhibent. Ad quæstionem de processione Spiritus Sancti refertur etiam prima dissertatio a Demetrakopulo, *ibid.*, p. 199-218, edita : πρὸς τὸν μέγαν Δομέστικον ἐρωτήσαντα περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, πῶς λέγεται οὐσιωδῶς ἐπιδημῆσαι τοῖς ἀποστόλοις. » Quinta dissertatio, *ibid.*, p. 293-320, spectat controversiam circa sensum verborum : *Pater major me est.* Nicolaus ex professo explicat verba Apostoli in I Corinth., XV, 28 : *Cum subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia.*

pauca habent ad theologiam dogmaticam spectantia, et ad capita inter utramque Ecclesiam controversa quandoque alludunt [1].

Insuper Zonaras quædam de processione Spiritus Sancti ex professo scripsisse videtur [2]. In quodam autem canone in Virginem Deiparam, Italos redarguit quod duo in Trinitate principia ponant [3].

### VII. — Nicolaus Hydruntinus.

Nicolaus, ex Hydrunte oriundus, monasterio græco Cazulensi præerat, quando ad officium interpretis deputatus est in controversiis, quas post annum 1205 inter se habuerunt Græci et Latini de rebus fidei. Hac occasione, tres dialogos polemicos adversus Latinos conscripsit, primum de processione Spiritus Sancti, in quo syllogismos Nicolai Methonensis repetit; secundum de azymis; tertium de missa præsanctificatorum tempore Quadragesimæ, de cælibatu clericorum et de quibusdam aliis. Hos dialogos ex parte edidit Arsenii, Novogrodii, anno 1896, sub titulo : Σύνοψις σὺν Θεῷ ἐκ τῶν κατὰ πλάτος δογματισθέντων περὶ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκπορεύσεως, κτλ. Doctrinam Latinorum auctor perperam refert [4].

### VIII. — Andronicus Camaterus.

Andronicus Camaterus, rogante imperatore Manuele Comneno (1143-1180), suum *Sacrum Armamentarium*, Ἱερὰν ὁπλοθήκην, contra Latinos et Armenos composuit circa annum 1170-1175. Opus, in formam dialogi redactum, in duas partes dividitur, quarum prima contra Latinos, altera contra Armenos dirigitur. Præcipua persona dialogi est ipse imperator, qui orthodoxiam græcam contra adversarios tuetur, præclarasque victorias de romanis cardinalibus in prima parte refert : siquidem assentationes in Manuelem passim occurrunt. Longam locorum patristicorum seriem victor recenset; quibus adjungit syllogismos a polemistis antilatinis antecedentis ævi, Photio scilicet, Niceta Byzantino, Eustratio Nicæno,

1. Vide, *P. G.*, t. CXXXVII et t. CXXXVIII.
2. Cf. Demetrakopulum, Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, p. 15.
3. *P. G.*, t. CXXV, col. 422.
4. Cf. Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, p. 34-35.

Euthymio Zigabeno, Nicolao Methonensi mutuatis [1]. In secunda parte, monophysitas, monothelitas, theopaschitas et aphthartodocetas sigillatim carpit. Excerpta primæ partis dat Joannes Veccus in suo *Antirrhetico adversus Camaterum* [2]. Cætera editorem adhuc exspectant.

### IX. — Nicetas Maronensis.

Nicetas, Maroneæ in Thracia natus, primum archidiaconus et chartophylax Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, postea Thessalonicæ archiepiscopus, in primo dimidio sæculi XII, ut conjicimus, florebat. Præcipuum ejus opus constat *sex dialogis de processione Spiritus Sancti*, quos certe jam ante conscripserat quam Hugo Hetherianus suum opus Alexandro papa III (1159-1181) dicatum : *De hæresibus quas Græci in Latinos devolvunt*, in lucem ederet; quippe qui illum refellit [3]. Porro hi dialogi maximi sunt momenti pro historia controversiæ de processione Spiritus Sancti. Nicetas enim, postquam doctrinam Patrum accurate investigavit, atque argumenta Latinorum scrutatus est, ad hanc tandem devenit conclusionem, scilicet doctrinam catholicam de processionis Spiritus Sancti ab utroque esse orthodoxam, atque sententiæ Patrum græcorum de processione διὰ τοῦ Υἱοῦ plane consonam; additionem vero vocis *Filioque* ad symbolum illicitam esse, ac proinde a Latinis, ob bonum pacis, removendam. Huic conclusioni, ut videtur, stetit, ne suos concives nimis offenderet, utque eos ad unionem alliceret.

*Dialogi* Nicetæ tum in Nicephorum Blemmidam, tum in Joannem Veccum, qui dogma catholicum sequenti sæculo probaverunt, efficacem influxum habuerunt. In primis tribus, exponuntur objectiones contra processionem ab utroque quibus Latinus respondet; in quarto, utramque formulam processionis Spiritus Sancti, Latinorum scilicet et Græcorum, eumdem sensum exprimere ostenditur. Ultimi duo Patrum doctrinam fuse ac dilucide evolvunt [4].

1. Citatur synodus, quæ, anno 1166, ad solvendam quæstionem circa verba : *Pater major me est*, excitatam, congregata est.

2. Vide *P. G.*, t. CXLI, col. 395-614.

3. *P. L.*, t. CCII, lib. II, 6, 10; lib. III, 18-19. De hoc Niceta vide *Bessarione*, an. 1912, p. 80; *Echos d'Orient*, 1918, p. 243-244.

4. Hi duo ultimi nondum editi sunt. Primum et quædam excerpta ex aliis invenies in *P. G.*, t. CXXXIX, col. 169-222; secundum, tertium et

### X. — Theorianus.

De Theoriano magistro et philosopho scimus eum a Manuele Comneno, anno 1170, ad *Catholicum* Armenorum legatum fuisse, ut unionem Ecclesiæ armenæ cum byzantina promoveret. Duas cum Catholico Nersete IV collocutiones habuit de quæstionibus controversis inter Byzantinos et Armenos, quarum præcipua circa dogma christologicum versatur, earumque summam scripto mandavit[1]. Etiam cum Theodoro, Syrorum Jacobitarum patriarcha, de unione sermonem habuit. Cæterum hæc unionis tentamina ad nullum felicem exitum perducta sunt. Ut ex excerpto cujusdam epistolæ ineditæ judicare licet, Theorianus erga Latinos pacifico animo erat, consultamque de azymis sententiam proferebat[2].

### XI. — Nicetas Acominatus († post 1210).

Nicetas Acominatus, theologus et historicus magni nominis, sub finem sæculi XII et initio sæculi XIII florebat. Compilationem theologicam amplissimam, titulo insignitam : *Thesaurus orthodoxiæ*, Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας, in viginti septem libros divisam composuit. Suorum prædecessorum Euthymii Zigabeni et Andronici Camateri vestigia premens, errores fidei orthodoxæ oppositos adjutorio potissimum traditionis patristicæ refellit, etsi et ad argumenta ex ratione petita identidem provocat. Ejus expositio rerum amplitudine necnon fontium patristicorum copia opus Euthymianum superat, illudque in non paucis, præsertim vero in antiquarum hæresum recensione ac confutatione, feliciter complet. *Thesaurus orthodoxiæ* partim tantum hactenus editus est[3].

quartum una cum versione latina, in *Bessarione*, fasc. 119-134; omnes simul, in cod. *Vat. græc. 1115.*

1. *P. G.*, t. CXXXIII, 120-297. Narrationi Theoriani ut minus veraci communiter reclamant Armeni.

2. Vide hujusmodi exceptum in *P. G.*, t. XCIV, col. 405.

3. In *P. G.*, inveniuntur quinque primi libri integri, sed latine tantum, et copiosa excerpta librorum VI, VIII-X, XII, XV, XVII, XX, XXIII-XXV, t. CXXXIX, 1091-1444; t. CXL, 9-284. Anno 1906, Sophronius Eustratiades totum librum XXVII edidit in prologo ad *Litteras theologicas* Michaelis Glykæ, t. I, p. κ'-μ'.

Optimum conspectum totius materiæ tractatæ a Theodoro Skutariota concinnatum invenies in *Patrologia græca.*

In primo libro, auctor hellenismum et judaïsmum confutat. Mysteria Trinitatis et Incarnationis exponit in secundo et tertio libro. In libro IV, quadraginta quatuor hæreses arianismo antiquiores recenset breviterque refellit. A libro V ad librum XVI inclusive, tractat de magnis controversiis circa Verbi divinitatem et ejus incarnationem. In libris XVII-XXII, errores Armenorum, paulicianorum, Bogomilorum, saracenorum necnon Latinorum oppugnat. In quinque ultimis libris fuse loquitur de controversiis intestinis, quæ sub imperatoribus Alexio I Comneno, Manuele I Comneno et Alexio Angelo Ecclesiam byzantinam commoverunt; de quibus pauca supra diximus. Totus liber XXVII est de doctrina Michaelis Siceditæ seu Glycæ circa qualitatem corporis Christi in Eucharistia.

### XII. — Michael Glykas.

Hic Michael Glykas, Nicetæ Acominati coactaneus, et ipse theologus simul et historicus fuit, nec ulli cuiquam hujus temporis inferior; apud quem non pauca invenire est, quæ proprii ingenii notam præ se ferunt, quamvis hæc doctrinæ orthodoxæ non semper consonent. Hujus *Litteræ theologicæ* seu *Capita in difficultates divinæ Scripturæ*, εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας γραφῆς κεφάλαια, numero XCVIII, a Sophronio Eustratiadi, episcopo dissidenti Leontopoleos, nuper editæ sunt[1]; et quidem tales sunt quæ theologorum attentione non sint indignæ. Multæ in eis quæstiones singulares ac curiosæ proponuntur, v. g., : *Si Salomon pœnitentiam egerit sub finem vitæ suæ. — Si Jesus Christus sacerdotio judaico insignitus fuerit. — Si bruta animalia intellectu prædita sint. — Si Joannes Apostolus mortuus fuerit. — Si primitivorum hominum vita astrorum cursu mensa fuerit. — Si perseverabit sexuum distinctio post resurrectionem. — Si iis attendere debeamus qui dicunt paradisum esse corruptibilem, et latronem non statim post crucem in eum introivisse. — Quonam abeant animæ e corporibus solutæ*, etc. *Capita* Glykæ non solum ad

1. Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας γραφῆς κεφάλαια, t. I, Athenis, 1906; t. II, Alexandriæ, 1912.

dogmaticam proprie dictam spectant, sed etiam ad ritus sacros, jus canonicum, theologiam moralem et asceticam, sanctæ Scripturæ exegesim. Jam diximus auctorem docuisse sententiam singularem circa statum corporis Christi in Eucharistia. Quod vero attinet ad controversiam circa illud *Pater major me est*, noster Michael quartam, de qua locuti sumus, sententiam amplectitur [1]. Notandum præterea, in ejusdem *Annalibus* (ab initio mundi ad annum 1118), non pauca occurrere quæ ad theologiam referuntur.

### XIII. — Hujus periodi oratores præcipui.

Inter oratores sæculi XI, mentione digni sunt : 1° Joannes Agapetus cognomento Hieromnimon, qui sub nomine Joannis IX (1111-1134), œcumenicam sedem tenuit. Hic seriem homiliarum in Dominicas totius anni, seu Κυριακοδρόμιον, reliquit, diversis auctoribus a diversis tributam, quarum viginti quinque primæ editæ sunt [2]. 2° Joannes Mauropus, cognomento Euchaitensis e sua sede metropolitana, prædicator celeberrimus, de quo pauca tantum ex iis quæ ad theologiam pertinent edita sunt [3]; 3° Jacobus, monachus lauræ Kokkinobaphensis, qui de beata Maria virgine præclara dicit in suis homiliis marialibus [4]. Cæterum non pauca ab antecessoribus suis mutuatur.

Sæculi XII oratores insigniores fuere : 1° Theophanes Kerameus, sub cujus nomine sexaginta duæ homiliæ in Dominicas et festivitates anni ecclesiastici vulgatæ sunt [5].

1. Cf. p. 397.

2. Sophronius Eustratiades, Ὁμιλίαι εἰς τὰς κυριακὰς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκ χειρογράφου τῆς ἐν Βιέννῃ αὐτοκρατορικῆς Βιβλιοθήκης νῦν πρῶτον ἐκδιδόμεναι μετὰ προλεγομένων. Trigestæ, 1903. Has homilias Eustratiades tribuit Theophylacto Bulgariæ archiepiscopo; codices quidam eas patriarchæ œcumenico Joanni Xiphilino (†1075) adscribunt; unde etiam in *P. G.*, t. CXX, col. 1259-1293 homiliam XV et initium XXVæ sub nomine Xiphilini veniunt. At L. Petit, art. *Jean Agapetus, Dictionnaire de théologie catholique*, t. VIII, col. 644-645, clare demonstrat illas ad Joannem Agapetum pertinere.

3. Notandus est præsertim sermo in *Deiparæ Dormitionem*, *P. G.*, t. CXX.

4. Sex homiliæ mariales Jacobi a P. Ballerini, in sua *Sylloge Monumentorum de Im. Concept.*, t. I, editæ sunt. *Patrologiæ græcæ*, t. CXXVII, insertæ sunt. Quædam aliæ homiliæ mariales ejusdem ineditæ sunt.

5. *P. G.*, t. CXXXII.

Quinam fuerit hic Theophanes, adhuc critici certant. Juxta probabiliorem sententiam, harum homiliarum major pars ad Theophanem, Rossanensem archiepiscopum in Calabria, pertinet, cæteræ cujusdam Joannis Philagathi sunt fetus. Vivebat autem Theophanes regis Rogerii tempore (1129-1152); 2° Neophytus Reclusus, monasterii Novæ Sion in insula Cypro fundator (1134-1220?), multas homilias et panegyricos sermones conscripsit, ex quibus quidam nuper editi sunt [1]; 3° Eustathius Thessalonicensis († 1198), qui quosdam panegyricos et orationes habet in *Patrologia græca* [2]; 4° Michael Acominatus, Nicetæ frater, cujus operum major pars inedita est [3].

1. Neophyti duas homilias mariales in *Patrologia Orientali* Graffin-Nau, t. xvi, edidimus, unam in *Nativitatem Deiparæ*, alteram in ejus τὰ εἰσόδια. Joannes Ch. Chatzi-Joannes, in suo opere : Ἱστορία καὶ ἔργα Νεοφύτου πρεσβυτέρου μοναχοῦ καὶ ἐγκλείστου, Alexandriæ, 1914, edidit Neophyti *sermones* xvi de *Hexaemero*, *panegyricos* viii et narrationem cujusdem miraculi, inscriptam : βιβλίον τῆς Θεοσημίας. In *cod. Parisiensi 1189*, occurrunt xxx sermones, inter quos duæ homiliæ mariales a nobis publicatæ, et in *cod. Athonensi 3628*, duodecim homiliæ in Psalmos. De Neophyto vide etiam L. Petit, in *Échos d'Orient*, t. ii, p. 257-268.

2. *P. G.*, t. cxxxv-cxxxvi.

3. In *P. G.*, t. cxl, latine tantum edita est homilia Michaelis in *Ramos palmarum*.

## CAPUT TERTIUM

### THEOLOGIÆ BYZANTINÆ SECUNDA PERIODUS (1220-1453)

#### Prænotamina.

Ut jam supra diximus, inde ab imperio latino condito, theologia byzantina cum theologia occidentali sæpius congreditur, ejusque influxui magis ac magis est obnoxia; unde theologorum duplicem classem habemus, *latinophronas* scilicet, atque rigidos photianos. Unionis tentamina, per hanc periodum, undecim numero fuerunt [1]; ex quibus duo præcipua illa sunt, quæ in concilio Lugdunensi II (1274) et in concilio Florentino (1438-1439) habita sunt; nullum tamen illorum pacem stabilem inter Ecclesias adduxit, tum propter rationes magis politicas quam religiosas, quibus Byzantini, et non raro etiam Occidentales, ad paciscendam unionem impellebantur, tum præsertim ob odium in Latinos, quod plerique clerici ac monachi byzantini in pectore gerebant. Hæc colloquia continua de unione instauranda præ oculis habenda sunt, ut bene perspiciatur theologiæ byzantinæ indoles in hac secunda periodo. Inter capita controversa, primas semper tenet quæstio de processione Spiritus Sancti; attamen, notandum est impetus contra primatum Romanæ Sedis frequentiores ac vehementiores fieri; jamque quosdam invenimus polemistas declarantes potiorem schismatis causam fuisse romanorum Pontificum superbiam.

Præterea, sæculo XIV, magna exorta est controversia intestina, de hesychasmo seu de palamismo dicta, quæ theologos byzantinos in duas partes invicem adversas sejunxit, ita tamen, ut Palamitæ Latinis plerumque infensi fuerint rigidoque photianismo addicti; Antipalamitæ vero plerumque ad unionem cum romana Ecclesia propensi.

Hæc igitur omnia perspecta habentes, præsens caput in

1. De his variis tentaminibus vide compendiosam narrationem S. Vailhé, in articulo : *Église de Constantinople, in Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, col. 1387-1402.

cres dividimus articulos; quorum primus erit de theologis tum photianis tum latinophronibus, qui ab ineunte sæculo XIII usque ad exortam controversiam de palamismo floruerunt; secundus, de theologis palamismo addictis; tertius de iis, qui vel palamismo adversati sunt, vel plus minusve latinophrones fuerunt.

## ARTICULUS I

### Præcipui theologi qui ab anno 1220 usque ad annum 1340 vixerunt.

Cum theologorum duplicem classem habeamus, *Latinophronas* scilicet et Photianos, de utrisque separatim agemus. Unus autem remanet neque inter Latinophronas neque inter Photianos recensendus, quippe qui quasi viam mediam inter utrosque teneat, scilicet Georgius Cyprius; de quo ultimo pauca dicemus.

#### A. — THEOLOGI LATINOPHRONES

##### I. — Nicephorus Blemmida († 1272).

Nicephorus Blemmida in omnibus fere scientiæ quum profanæ tum sacræ provinciis præclarum nomen sibi comparavit. Collocutionibus interfuit, quæ inter legatos Romani Pontificis et theologos græcos, Nicææ, anno 1232, et Nymphææ, anno 1234, iterumque Nicææ, anno 1250, initæ sunt. Ejus operum major pars adhuc inedita est. Inter ea quæ in lucem producta sunt, notandi potissimum sunt duo de processione Spiritus Sancti tractatus, ab Allatio primum in sua *Græcia orthodoxa* publicati (Cf. *P. G.*, t. CXLII), et a Laemmer critice emendati [1]. Primus ad Jacobum quemdam, Bulgariæ archiepiscopum electum, dirigitur; alter ad ipsum imperatorem Theodorum II Dukam (1254-1258), qui ejus discipulus quondam fuerat. Quidquid alibi dixerit Nicephorus, certum omnino est eum in his scriptis doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti a *Patre et Filio* vel *per Filium* diserte

1. *Scriptorum Græciæ orthodoxæ bibliotheca selecta*, t. I, p. 109 sq. Nota hanc editionem non omnino esse ad criticæ apices.

propugnare tanquam Patrum græcorum dictis plane consentaneam, sophismataque photiana pleraque luculentissime enodare. Verum quidem est formulam latinam propter ambiguitatem, quam præ se fert, Nicephoro non arridere; illam tamen acceptam habet, si eo sensu explicetur, quo sanctus Augustinus jam explanaverat, docendo Spiritum Sanctum ab utroque, Patre scilicet et Filio procedere tanquam ab uno principio, sed a Patre *principaliter* seu *originaliter* [1].

Plerique dissidentes Nicephorum veritatem dogmatis catholici agnovisse concedere nolunt. Res tamen omnino certa est, ut duos tractatus supra dictos legenti patet. Cæterum non negamus hunc theologum aliquamdiu, id est ante annum 1250, sententiæ photianæ adhæsisse, illamque in colloquiis Nymphænis ac Nicænis propugnasse; item, eum Latinis infensum fuisse eosque in suis scriptis non semel carpere; imo, etiam post annum 1250, dogma catholicum non palam, sed quasi occulte in litteris ad amicos professum fuisse. Non enim, ut videtur, theologis sententiæ photianæ addictis apertius contradicere ausus est, ne eorum animos in se concitaret.

Præter hos tractatus de Spiritu sancto, aliud opus theologicum cui titulus *De fide*, περὶ πίστεως, composuit Nicephorus; ex quo excerptum quoddam legitur in Patrologia græca [2].

### II. — Joannes Veccus († 1296).

Joannes Veccus, qui post unionem Ecclesiarum in concilio œcumenico Lugdunensi II pactam (an. 1274), patriarcha constantinopolitanus renuntiatus est nomenque habuit Joannem XI (26 maii 1275 — 26 decembris 1282), inter theologos byzantinos sæculi XIII sine controversia primas obtinet. Primum quidem photianum dogma de processione Spiritus Sancti a Patre solo acriter propugnavit, prepositoque Michaelis VIII Palaeologi imperatoris Ecclesias uniendi adversatus

1. De Nicephoro Blemmida vide Aug. Heisenberg, *Nicephori Blemmidæ curriculum vitæ et carmina*, Lipsiæ, 1896, in *collectione Teubneriana*, et *M.-V.-J.*, Barvinok, *Nicephorus Blemmida et ejus scripta*, Kioviæ, 1911 (russice). Cf. hujus operis recensionem in *Échos d'Orient*, t. XVII (1914-1915), p. 153-155.

2. *P. G.*, t. CXLII, col. 583-606. Vide etiam in *P. G.*, *ibid.*, col. 1321-1622, Nicephori *Expositionem in psalmos*; quæ tamen nonnisi ex parte ad eum pertinet.

est; quam ob causam in custodiam conjectus, scripta Patrum volvere cœpit, et tum Nicetæ Maronensis dialogos, tum Nicephori Blemmidæ tractatus de processione Spiritus Sancti attente legit. Mox doctrinæ catholicæ veritatem plane perspiciens, unionis Ecclesiarum fervidus promotor evasit, multisque scriptis sententiam photianam impugnavit, eam doctrinæ antiquorum Patrum quum græcorum tum latinorum contrariam esse invictis argumentis demonstrans. De origine schismatis quædam etiam historice conscripsit; quibus Photii versatilitatem palinodiasque palam ostendit.

Post Michaelis Palaeologi mortem, e sede patriarchali pulsus, suæ depositioni, ob bonum pacis, in synodo Constantinopolitana, die 5 januarii anni 1283 habita, primum quidem consensit; postea vero, cum adversarii unionis suis promissis non stetissent, sed eum in exsilium pepulissent, huic injustæ depositioni reclamavit; unde, instigante Georgio Cyprio, unionis quondam studioso, qui jam inde a die 11 aprilis anni 1283, jussu Andronici II, ad sedem patriarchalem evectus fuerat, in quadam synodo Constantinopolitana anno 1285 habita, depositus et excommunicatus fuit, imo in carcerem trusus. Non persecutionibus fractus nec promissis illectus, dogmati catholico invicto animo addictus semper remansit; quod, etiam in carcere detentus, tum contra rigidos Photianos, tum contra Georgium Cyprium, qui novam quamdam hæreticalem de processione Spiritus Sancti theoriam commentus erat, calamo tueri non destitit, donec unitatis ecclesiasticæ martyr, anno 1296 (?), animam efflavit.

Forte fortuna, pleraque nostri Joannis scripta lucem jam aspexere; quæ in unum collecta in tomo CXLI *Patrologiæ græcæ* invenies[1]. Omnium præcipuum inscribitur : *De unione*

1. Præcipua opera Joannis Vecci edidit Allatius in sua *Græcia orthodoxa*, 2 vol., Romæ, 1652 et 1659; quam editionem exhibet *P. G.*, in tomo CXLI. *Epigraphas* jam anno 1629 vulgaverat Arcudius, *Opuscula aurea theologica*. Accuratiorem scriptorum *Græciæ orthodoxæ* Allatii editionem paravit H. Laemmer : *Scriptorum Græciæ orthodoxæ bibliotheca selecta*. In tomo I hujus editionis, Friburgi, 1864, p. 191-652, occurrunt quædam opera Joannis Vecci. *Confutationem libri photiani de processione Spiritus Sancti* primum edidit Hergenröther in *P. G.*, *t. cit.*, col. 717-864. Criticam editionem operum Vecci adhuc desideratur. Nota Veccum duplicem quorumdam suorum scriptorum editionem vulgasse.

*ac pace Ecclesiarum Veteris et Novæ Romæ*, Περὶ τῆς ἑνώσεως καὶ εἰρήνης τῶν τῆς παλαιᾶς καὶ νέας Ῥώμης Ἐκκλησιῶν. In duas dividitur partes. In prima, Veccus demonstrat antiquos Ecclesiæ græcæ Patres, Athanasium videlicet, tres Cappadoces, Chrysostomum, Epiphanium, Cyrillum Alexandrinum Maximum Confessorem, latinum dogma docuisse, simulque falsas locorum patristicorum interpretationes ab adversariis prolatas sollerter refellit. In secunda autem, ex professo confutat præcipuos dogmatis photiani propugnatores, Photium scilicet, Joannem Phurnesium, Nicolaum Methonensem et Theophylactum, Bulgariæ episcopum.

Aliud opus, cui titulus : *Epigraphæ* seu *Inscriptiones*, primæ parti hujus primi cognatum est. Est enim collectio locorum patristicorum in tredecim capita distributa; cujus scopus est demonstrare utramque formulam : *A Patre per Filium procedit — A Patre Filioque procedit*, eumdem sensum præ se ferre. Præter Patres supra laudatos, citantur Sophronius Hierosolymitanus, Joannes Damascenus, Theodorus Rhaituensis, Tarasius, Theodorus Studita et Simeon Metaphrastes [1].

Scriptum : *De Processione Spiritus Sancti*, in duodecim capita divisum, quosdam Patrum locos explicat, quos Photiani ad suam sententiam detorquebant, vel quorum genuinam lectionem in dubium revocabant.

Præter hæc tria opera, quibus addenda est dissertatio historica de origine et indole schismatis photiani nonnisi ex parte edita [2], Joannes quasdam monographias polemicas contra præcipuos dogmatis photiani coryphæos conscripsit, scilicet : *Refutationem libri photiani de Mystagogia Spiritus Sancti; Librum in Andronici Camateri de processione Spiritus Sancti animadversiones; Confutationem tomi Georgii Cyprii; Antirrheticus contra Georgium Moschabarum* [3]. Notandum, in

1. Contra *Epigraphas* Vecci, Gregorius Palamas suas concinnavit *Antepigraphas*. Vide infra, p. 439. *Antepigraphas* autem palamiticas Bessarion in suis propriis *Epigraphis* confutavit.

2. Hæc dissertatio, quæ his verbis incipit : Ἦν ἂν μακάριον ἀληθῶς, versatilitatem Photii in separandis et conjungendis Ecclesiis optime detegit. Hujus excerptum habet *P. G.*, t. cit., col. 925-946, sub titulo : *De pace ecclesiastica*, jam ab Allatio datum.

3. Hæc *Refutatio Georgii Moschabari* nondum edita est.

*libro contra Camaterum*, Joannem non solum ad Patres græcos verum etiam ad Latinos, Hieronymum nempe, Augustinum, Gregorium Magnum provocare.

Alias dissertationes de dogmate catholico pro amicis in fide consentientibus et explanationes quærentibus conscripsit, inter quas veniunt : 1° *Tres libri ad Theodorum Sugdææ episcopum;* 2° *Ad Constantinum Melitiniotam, captivitatis socium, libri quatuor;* 3° *Epistola ad Alexium Agallianum*, diaconum, cui exprobrat apostasiam a fide catholica.

Quarta demum scriptorum classis distinguenda est, eorum scilicet quæ scripsit Joannes de propriis gestis, vita et scriptis, Ad hanc referuntur : 1° *Fidei professio ad Joannem papam XXI*, mense Aprili anni 1277 missa, cujus textum græcum invenire est apud A. Theiner et F. Miklosich, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum græcæ et romanæ*, Vindoboni, 1872, p. 21-28; 2° *Epistola ad Nicolaum papam III*[1]; 3° *Oratio prima de depositione* [2]*sua;* 4° *Oratio apologetica et antirrhetica*[3]; 5° *Apologia*, in qua ostendit unionem cum Ecclesia romana immutatas relinquere consuetudines Ecclesiæ byzantinæ[4]; 6° *Animadversio de propriis libris*[5]; 7° *Testamentum*[6].

Dogmatis catholici de processione Spiritus Sancti præclarissimus in Oriente doctor exstitit Joannes Veccus; qui doctrinæ photianæ lethale vulnus inflixit. Ut supra vidimus, Photius, in oppugnanda doctrina catholica, de Patribus græcis altum silentium servaverat. Veccus invictis testimoniis demonstravit sententiam photianam traditioni patristicæ adversari, ita ut, post ipsum, polemistæ anticatholici vel Photio valedixerint, et novas commenti sint theorias, vel ad nugas recurrere coacti.

### III. — Constantinus Melitiniota.

Constantinus Melitiniota, primum archidiaconus, postea et chartophylax Magnæ Ecclesiæ, anno 1270, ab imperatore

1. Pitra, *Analecta novissima*, Parisiis, 1885, p. 611-613.
2. *P. G.*, col. 949-969.
3. *P. G.*, col. 969-1009.
4. *P. G.*, col. 1009-1020.
5. *Ibid.*, col. 1020-1028.
6. *Ibid.*, col. 1028-1032.

Michaele Palaeologo ad sanctum Ludovicum, Galliæ regem, una cum Joanne Vecco legatus, ipsius Vecci amicus fuit atque, etiam in exsilio, fidelis socius ; cui Veccus suos quatuor de processione Spiritus Sancti libros dicavit. Ipse, amici inhærens vestigiis, duas de eadem materia conscripsit dissertationes, ab Allatio primum editas, et a Migne in *Patrologia græca*, t. CXLI, rursus vulgatas, in quibus selectis textibus ostendit Patres græcos, eos præsertim qui sæculis IV et V vixerunt, doctrinam catholicam diserte docuisse.

### IV. — Georgius Metochita († 1328).

Hic etiam Joannis Vecci amicus, discipulus ac in tuenda unione commilito fuit, qui et dogmatis catholici martyr in custodia, anno 1328, occubuit. Multa scripsit de processione Spiritus Sancti, ex quibus edita sunt :

1° Fragmenta ex *quinque libris de Processione Spiritus Sancti;*

2° *Refutatio trium capitum Maximi Planudis;*

3° *Refutatio eorum quæ scripsit Manuel Moschopulus*, nepos Nicephori Moschopuli, metropolitæ Cretensis [1].

Insuper, opus historicum composuit de origine schismatis necnon de controversiis theologicis, quæ sub Michaele VIII et Andronico II Ecclesiam byzantinam in partes adversas sciderunt ; quod A. Mai et J. Cozza-Luzi sub titulo : *Historia dogmatica*, ediderunt [2].

### V. — Georgius Acropolita (1217-1282).

Inter theologos latinophronas hujus temporis annumerandus est etiam Georgius Acropolita, qui Nicephori Blemmidæ discipulus fuit Theodorique Lascaris magister. Primum quidem Latinis infensus fuit, unionisque ecclesiasticæ adversarius ; postea vero conatibus Michaelis VIII pro pace Ecclesiarum instauranda totis viribus obsecundavit. Ipse unus e legatis byzantinis fuit, qui concilio œcumenico Lugdunensi

1. Hæc opera, jam ab Allatio edita in *Græcia orthodoxa*, inveniuntur in eodem tomo CXLI, *P. G.*, col. 1275-1418.

2. *Nova Patrum bibliotheca*, t. VIII, 2ª pars, Romæ, 1871, p. 1-227 ; t. X, 1ª pars, Romæ, 1905, p. 319-370. Hujus operis duo fragmenta dederat Allatius, quæ in *P. G.*, *ibid.*, col. 1419-1424, inveniuntur.

interfuerunt, ejusque decretis subscripserunt. Mortuus est anno 1282, paulo ante Michaelem imperatorem, usque ad finem in catholica fide perseverans.

Tres de Spiritus Sancti processione tractatus conscripsit; quorum duo primi, antequam unioni adhæreret, compositi, sententiæ photianæ suffragantur [1]; tertius autem, qui dogma catholicum propugnabat, deperiit; quippe qui sub Andronico II igni traditus est.

#### VI. — Georgius Pachymeres (1242 — post 1308).

Historicus Georgius Pachymeres, qui in XIII libris suæ *Historiæ* res gestas sub Michaele VIII et Andronico II, ab anno 1261 ad annum 1308, fuse narrat, unionis quidem cum Latinis adversarius fuit, nec tamen sententiæ photianæ de processione Spiritus Sancti adhæsit, ut videre est ex ejus opella : *Ad eos qui dicunt Spiritum Sanctum ideo Spiritum Filii dici, quia est ei consubstantialis, vel quod ab eo dignis datur* [2]. In hac enim, formulam Patrum græcorum « ἐκ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ » ita interpretatur, ut Filius a processione Spiritus Sancti non omnino excludatur, falsasque explicationes hujus διὰ τοῦ Υἱοῦ a Photianis excogitatas convellit. Ejus tamen explicatio non videtur veritati catholicæ omnino consona, eademque, quam Joannes Veccus tanquam arianismum sapientem carpit [3].

### B. — THEOLOGI PHOTIANI

#### I. — Germanus II, patriarcha Constantinopolis.

Germanus II, ab anno 1222 ad annum 1240 patriarcha Constantinopolis, qui tamen, ob politicos eventus, non Constantinopoli sed Nicææ sedit, in colloquiis cum Latinis pro unione instauranda inde ab anno 1232 initis, necnon in synodo

1. Unum e tractatibus heterodoxis edidit A. Demetrakopulus in sua *Ecclesiastica bibliotheca*, p. 395-410.

2. Περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι διὰ τοῦτο λέγεται Πνεῦμα Υἱοῦ διὰ τὸ ὁμοούσιον ἢ διὰ τὸ χορηγεῖσθαι ὑπ'αὐτοῦ τοῖς ἁξίοις. *P. G.*, t. CXLIV, col. 923-930.

3. Hæc explicatio arianismum sapit, quatenus Filio tribuit quasi passivam mediationem in productione Spiritus Sancti. In præfata tamen opella, nihil explicitum occurrit de sensu illius διὰ τοῦ Υἱοῦ. Cf. Joannis Vecci, l. IV, 3, *ad Constantinum*, t. CXLI, col. 388.

Nymphææ, prope Smyrnam, anno 1234. habita, suas partes habuit. Anno 1232, tres de unione scripsit epistolas, unam ad Gregorium papam IX, alteram ad romanæ Ecclesiæ cardinales, tertiam ad patriarcham latinum Constantinopolis, in quibus Latinos et ipsum papam sat arroganter carpit [1]. De differentiis inter utramque Ecclesiam tunc ventilatis, scilicet de processione Spiritus Sancti, de azymis, de Purgatorio, de tribus modis administrandi baptismum opuscula conscripsit; quæ omnia hactenus inedita sunt. De opere circa processionem Spiritus Sancti, cujus initium est : « Ἐὰν ὑμεῖς μένητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ, » hæc habet Allatius : « Collegit simul omnes auctoritates Patrum etiam Latinorum, græcis tamen verbis expressas, quæ de processione Spiritus Sancti agunt. Illis conatur probare Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, additis de suo, ubi visum fuerit, considerationibus, quas ipse, Camaterum imitatus, ἐπιστασίας (= *instantias*) vocat. Illis loca quædam difficilia explicat; sententias, quæ pro Latinis faciunt, in Græcorum opinionem invertens, mentem auctorum detorquet; quæ pro Græcis facere videntur ex miro fastu jactat. Auctor tenuis est, et ex trivio, cum et argumentis, et eloquentia, et judicio destituatur; fereque aliorum Græcorum more, sententias omnes, quæ Spiritum Sanctum ex Patre dicunt procedere, ipse tanquam suæ opinionis testes, ac si ex *solo Patre*, dixissent, non veretur adducere. »

Summam sui operis dedit auctor in *Synodali responsione ad Confessionem fidei Gregorii papæ IX de processione Spiritus Sancti*, a Franc. Carolo Altero, anno 1796, publicata [3]. Tangit etiam capita controversa in *duabus epistolis ad Cyprios*,

1. Duæ primæ epistolæ (ad papam et ad cardinales) inveniuntur in collectionibus conciliorum, Hardouin, t. VII, 149 sq. Mansi, t. XXIII, col. 48 sq. Fragmentum epistolæ a dpatriarcham Constantinopolis dat Demetrakopulus, Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, p. 40-41.

2. *De perpetua consensione*, l. II, cap. XIV, 3.

3. Edita est ad calcem *Chronici* Georgii Frantzis, Vindob. Aust., 1796, p. 139 sq. Sic inscribitur : Τοῦ ἁγιωτάτου Γερμανοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως καὶ τῆς σὺν αὐτῷ ἱερᾶς συνόδου ἀπάντησις πρὸς τὴν τοιαύτην ὁμολογίαν τοῦ πάπα καὶ πρὸς τοὺς ὑπ' ἐκείνου σταλέντας Φρεμινορίους (= *Fratres Minores*) καὶ λοιποὺς περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος.

annis 1223 et 1229 datis [1], in quibus infensissimum animum in Latinos manifestat. *Cod. Coisl. Paris. 278* sub nomine Germani quadraginta sex homilias et sex catecheses habet; num vero hæ omnes ad illum revera pertineant, nondum critice probatum est. Et certe dubitandi gravis exstat ratio, cum quædam ex homiliis sub ejus nomine jam vulgatis alius sint auctoris [2].

### II. — Theodorus II Lascaris (1254-1259).

Theodorus II Lascaris, imperator Nicænus, quem Nicephorus Blemmida habuit discipulum, quæstionibus theologicis libenter incumbebat. *De christiana theologia sermones octo* conscripsit, in quibus de Deo uno et trino tractat. Solus sermo quartus *De divinis nominibus*, περὶ θεωνυμίας, editus est [3]. Sermones VI et VII de processione Spiritus Sancti contra Latinos inscribuntur. De hoc eodem argumento dissertationem specialem ad Joannem Cotronensem episcopum misit Theodorus, a B. Swete editam [4]. Publicatus est etiam ejus sermo *de acathisto* [5].

1. *P. G.*, t. CXL, 601-622.

2. Ex septem homiliis sub ejus nomine editis, tres falso ei adscribuntur, inter quas venit longa homilia *in Annuntiationem Deiparæ* a Ballerini in *Sylloge monumentorum de conceptu immaculato B. Mariæ virginis*, t. II, p. 293-376, primum edita. Hanc enim sumpsit Ballerini ex *codice Monacensi 393*, qui sæculo XI fuit exaratus. Cf. Ehrhard-Krumbacher, *op. cit.*, p. 174. Inter opera publicata Germani II, notanda est etiam quædam *epistola encyclica* anno 1230 data, quam Joannes Nicole, in *Revue des Études grecques*, t. VII (1894), p. 68-80, primum edidit. Item, *tria responsa canonica*, quæ in *P. G.*, t. CXIX, col. 797-807 invenies.

3. *P. G.*, t. CXL, col. 763-770.

4. B. Swete, *Theodorus Lascaris junior : De Processione Spiritus Sancti oratio apologetica*. Londini, 1875.

5. Hic sermo primum vulgatus est in periodico Σωτήρ, t. XVI, (1894), p. 186-192, et iterum in Νέα Σιών, t. VI, 1907, p. 826-833; sed in hoc ultimo periodico S. Andreæ Cretensi adscribitur. Theodorus aliarum homiliarum nondum editarum auctor fuit, necnon hymnorum et canonum in sanctam Deiparam, ex quibus unus in *P. G.*, *t. cit.*, col. 771-780, invenitur. De Theodoro vide Dræseke, *Theodoros Laskaris*, in *Byzantinische Zeitschrift*, t. III (1894), 498-515.

### III. — Unionis Lugdunensis adversarii praecipui.

Inter adversarios unionis, quæ in concilio œcumenico Lugdunensi II, Michaele Palæologo imperante, facta est, nominandi veniunt :

1° Hierotheus hieromonachus, qui trium orationum de processione Spiritus Sancti auctor fuit nondum editarum. Rigidus hic Photianus geometricas figuras adhibet ad relationes divinas repræsentandas [1].

2° Jobus Jasita, monasterii Constantinopolitani τοῦ Ἰασίτου dicti hieromonachus, qui patriarchæ Josepho I (1267-1275) addictus fuit, ejusque nomine apologiam adversariorum unionis ad imperatorem Michaelem directam conscripsit. In hac opella, quæ nondum edita est, Jobus declarat condiciones a papa pro renovanda unione propositas esse rejiciendas, quamdiu ipse papa novitatibus latinis sanctorum Patrum traditioni contrariis non valedixerit. Ob hanc adversus unionem repugnantiam, a Michaele dire tractatus, anno 1272, supplicii novi Holobolo irrogati particeps fuit, annoque 1275 in exsilium missus. Hic Jobus idem videtur esse ac Jobus peccator, qui tractatum *de septem Ecclesiæ sacramentis* composuit sic inscriptum : Τῶν ἑπτὰ μυστηρίων τῆς Ἐκκλησίας ἐξηγηματικὴ θεωρία καὶ διασάφησις πρὸς Φωκαεῖς. Hunc tractatum quibusdam interpolamentis corruptum edidit Chrysanthus, patriarcha hierosolymitanus, anno 1715 [2].

3° Georgius Moschabarus, Magnæ Ecclesiæ chartophylax, qui synodo Constantinopolitanæ anni 1283, in qua unio Lugdunensis anathematizata est, interfuit. Opuscula polemica non pauca contra Latinos conscripsit, ex quibus nihil, ut videtur, remanet præter *Capita refutatoria contra*

1. Primæ orationis conclusionem profert A. Demetrakopulus, Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, p. 53-55. Cf. Allatium, *De perpetua consensione*, p. 871.

2. Hunc tractatum edidit Chrysanthus hierosolymitanus ad calcem sui operis Συνταγμάτιον inscripti, Tergovisti, 1715, p. ρκγ'-ρλε'. Jobus septem quidem sacramenta enumerat, sed inter sacramenta recenset habitum monasticum, τὸ ἅγιον σχῆμα, et pro uno sacramento habet Extremam Unctionem et pœnitentiam, εὐχέλαιον ἤτοι ἡ μετάνοια. In editione Chrysanthi, Jobus ad normam orthodoxiæ reducitur : τὸ ἅγιον σχῆμα expungitur, cujus locum obtinet pœnitentia. De Jobo Iasita lege articulum S. Petridès, in *Échos d'Orient*, t. xv, 1912, p. 43-48.

*Joannis Vecci capita*, sub nomine Gregorii, patriarchæ hierosolymitani, anno 1281 vulgata [1].

4° Theodorus Muzalon, magnus logotheta, qui contra Joannem Veccum tractatum polemicum concinnavit nondum editum [2], et Photianorum partes in synodo Constantinopolitana anni 1285 contra eumdem Veccum tuitus est. Sub Michaele imperatore, catholicæ fidei adhæserat.

5° Constantinus Acropolita, Georgii Acropolitæ filius, qui Latinis infensissimus fuit, et quædam adversus illos de processione Spiritus Sancti polemice scripsit [3]. Cæterum, ut hagiographus potissimum claruit. *Novusque Metaphrastes* inter coætaneos audivit [4].

### IV. — Maximus Planudes († circa 1310).

Maximus Planudes, monasterii constantinopolitani « τοῦ Ἀκαταλήπτου monachus, primum quidem, tempore scilicet Michaelis Palæologi, catholicam fidem professus est; postea vero, Andronico II imperante, ad photianum dogma reversus est. Dum catholicus esset, opera quædam latina græce vertit : nempe S. Augustini *libros XV de Trinitate*[5], Boethii *libros V de consolatione philosophiæ* [6], quasdam etiam *quæstiones Summæ theologicæ S. Thomæ*. Photianus, *quatuor syllogismos* de processione Spiritus Sancti conscripsit, quos confutarunt Georgius Metochita, Demetrius Cydonius et Bessarion[7]. Alterum ejus opus polemicum de eodem argumento, viginti capitibus constans, in *codice theol. 269* Vindobonensis biblio-

1. Cf. Demetrakopulum, *op. cit.*, p. 60-63, ubi invenies fragmentum hujusmodi capitum, quæ editorem exspectant.

2. *Ibid.*, p. 66.

3. De opusculis polemicis Constantini loquitur Allatius in *De perpetua consensione*, p. 779, qui duorum de processione Spiritus Sancti tractatuum initia refert.

4. Cf. Krumbacher, *op. cit.*, p. 204, et articulum: *Acropolite* (Constantin) in *Dictionnaire d'hstoire et de géographie* Baudrillart. In *P. G.*, t. CXL, col. 811-936, duo ejus encomia : *In S. Joannem Damascenum* et *in S. Theodosiam* reperiuntur.

5. *Fragmenta hujus translationis*, in *P. G.*, t. CXLVII, col. 1113-1130.

6. Ed. E. A. Bétant, Genève, 1871.

7. Cf. P. Arcudius, *Opuscula aurea*, Romæ, 1630. et *Refutationem* Bessarionis, in *P. G.*, t. CLXI, 309-318.

thecæ asservatur. Cæterum, non ut polemista, sed ut humanista, compilator et translator potissimum claruit [1].

### V. — Alii quidam minoris notæ.

1° Manuel Moschopulus, qui sub Andronico II (1282-1328) florebat, inter grammaticos et scholiastas potius quam inter theologos nomen habet. A polemicis tamen impetibus adversus Latinos non abstinuit, opellamque inscriptam Διάλεξις πρὸς Λατίνους composuit, quam Georgius Metochita, ut supra diximus, confutavit [2].

2° Gennadius, Bulgariæ archiepiscopus, sub Andronico II item vixit, Latinosque circa processionem Spiritus Sancti argumentis præsertim positivis refutare conatur in quodam tractatu nondum edito, cujus titulus est : Σύνταγμα ἐκ διαφόρων χρήσεων ἀναντιρρήτων τῆς θείας γραφῆς τῆς τε παλαιᾶς καὶ τῆς νέας ἀνατρέπον καὶ καταβάλλον τὴν λατινικὴν δόξαν [3].

3° De Joanne Chila, metropolita ephesino († post 1317) perpauca scimus et habemus. Novam sententiam Georgii Cyprii de *processione Spiritus Sancti* impugnavit. Scripsit etiam contra schisma Arsenitarum [4].

4° Nicephorus Chumnus, qui sub Andronico II floruit, ut philosophus et rhetor præsertim celebratur; sed theologiæ etiam et eloquentiæ sacræ indulsit. Inter ejus sermones sacros editus est ille qui de *Festo Dormitionis B. Mariæ virginis* inscribitur [5]. Quædam *Refutatio dogmatis latini de processione Spiritus Sancti* nondum edita est [6].

1. Cf. Krumbacher, *op. cit.*, p. 543-546. In *P. G.*, t. cxlvii, col. 985-1112, Planudis exstant duæ orationes : *In sepulturam Domini et lamentationem Deiparæ; Encomium SS. Petri et Pauli.*

2. Asservatur hæc opella in *cod. Barocc. 68* et *cod. Paris. 969.* Cf. *Refutationem* Georgii Metochitæ.

3. Occurrit *in cod. Monacensi 256*, fol. 1-37.

4. Excerpta utriusque operis in *P. G.*, t. cxxxv, col. 503-504, 505-508.

5. Θέσπισμα ἐπὶ τῇ μεγάλῃ καὶ τελευταίᾳ ἑορτῇ τοῦ κατὰ Χριστὸν παντὸς μυστηρίου. Hic sermo, a Boissonnade in suis *Anecdotis græcis* editus, in *P. G.*, t. cxl, col. 1497-1526, reperitur; ubi etiam invenies duas epistolas : *De miraculo in Cana facto*, et *de petitione Elisæi ad Eliam*, col. 1451-1466.

6. Ἀνασκευὴ τοῦ δόγματος τῶν Λατίνων περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ Ἁγίου Πνεύματος. De operibus philosophicis et aliis Chumni, cf. Krumbacher, p. 478-482, et Boissonnade, *Anecdota græca*, 5 vol.

### C. — GEORGIUS CYPRIUS († 1290).

Georgius Cyprius (1241-1290), qui sub nomine Gregorii II, ab anno 1283 ad annum 1289, Constantinopolis patriarcha fuit, specialem meretur mentionem, quippe qui neque catholicus neque perfectus photianus visus est, ad quæstionem de processione quod attinet, sed mediam quamdam viam adinvenit Latinos inter et Photianos, et propterea tum horum tum illorum tela in se induxit. Subtilem siquidem et illa tenus in theologia inauditam explicationem formulæ *a Patre per Filium* imaginatus est, juxta quam illud διὰ τοῦ Υἱοῦ intelligendum esset non de processione æterna, qua Spiritus Sanctus suam existentiam habet a Patre tanquam a principio originali, et a Filio tanquam a principio principiato, non tamen a Patre in spiratione distincto, quemadmodum Catholici docent; neque de sola missione temporali, ut volunt Photiani; sed de quadam æterna manifestatione Spiritus Sancti per Filium. Secundum Gregorii dicta, Filius non est spirator seu productor proprie dictus Spiritus Sancti relate ad existentiam æternam, sed est solummodo ejusdem æternus manifestator : τὴν εἰς ἀΐδιον ἔκφανσιν ἡ λέξις « διὰ τοῦ Υἱοῦ », οὐ τὴν εἰς τὸ εἶναι πρόοδον σημαίνειν βούλεται. Spiritus Sanctus *progreditur, effulget per Filium*; non autem *existentiam habet per Filium* : προέρχεται, ἐκλάμπει διὰ τοῦ Υἱοῦ, οὐ τὴν ὕπαρξιν ἔχει διὰ τοῦ Υἱοῦ. *Per Filium et ex Filio natura existit, verum per Filium et ex Filio existentiam non habet* : δι' Υἱοῦ καὶ ἐξ Υἱοῦ φυσικῶς ὑπάρχει, οὐ μὲν οὖν δι' Υἱοῦ καὶ ἐξ Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχει. Hæc subtilis distinctio inter *existentiam habere* et *existere* est prorsus inintelligibilis. Logice Gregorius ad unam ex his tribus sententiis deveniat necesse est :

1° Aut Filius active concurrit una cum Patre ad communicandam existentiam tertiæ personæ, et tunc in dogma catholicum incidimus;

2° Aut Filius est instrumentum passivum et quasi canalis iners productionis Spiritus Sancti, quod personæ divinæ omnino repugnat; quam tamen sententiam quidam Joannis Becci adversarii propugnarunt!

3° Aut demum *manifestatio æterna*, ἔκφανσις ἀΐδιος, de qua loquitur Georgius, concipi debet quasi quædam actio divina

ab ipsa essentia distincta necnon a proprietatibus hypostaticis Patris et Filii, scilicet a generatione et ab ipsa processione, inquantum processio est communicatio existentiæ Spiritui Sancto a Patre solo manans; actio igitur omnino specialis, Patri et Filio communis, qua Spiritum Sanctum ab æterno manifestarent. Hanc tertiam sententiam amplexus est Georgius. Unde tanquam doctrinæ palamiticæ prænuntius jure habendus est. Palamas enim, ut mox dicturi sumus, realem posuit distinctionem inter essentiam divinam ejusque æternam operationem.

Cæterum hanc singularem sententiam non semper tenuit Georgius. Primum enim, ab anno scilicet 1266 ad annum 1273, Georgii Acropolitæ discipulus fuit, unionique cum Latinis adeo favit, ut contra ipsum Veccum dogma catholicum aliquando tuitus fuerit. Mortuo autem Michaele Palæologo, ad schisma rediit, synodo Photianorum anni 1283 interfuit, orationemque polemicam contra Joannem Veccum hac occasione conscripsit [1]. Anno 1285, cum jam patriarcha Constantinopolis esset, contra Veccum ejusque amicos in Blakhernarum synodo acriter disputavit. Verum, verborum sancti Joannis Damasceni : Ὁ Πατὴρ διὰ Λόγου προβολεὺς ἐκφαντορικοῦ Πνεύματος, quæ ei Veccus objecerat, nullam probabilem explicationem adinvenire potuit. Unde, synodo præmature dimissa, ei onus incubuit authenticam explationem verborum Damasceni promulgandi. Hanc mox dedit in sua *Confessione fidei*, τόμος πίστεως [2], in qua Georgius primum suam evolvit theoriam de *æterna manifestatione Spiritus Sancti a Patre per Filium*. Novam theoriam tanquam sapientem hæresim latinam statim aggressi sunt Photiani rigidi, inter quos emicuit ille Joannes Chilas metropolita Ephesinus, de quo supra locuti sumus. Theoleptus vero Philadelphiensis in *tomo fidei* Georgii errores cujusdam monachi Marci, ex judaismo ad fidem christianam conversi, deprehendit. Insuper, Arsenitæ schismatici et patriarcha Alexandriæ, Athanasius, Gregorium ut patriarcham legitimum agnoscere renuebant. Contra suos adversarios Gregorius propriam *Apologiam* necnon novam *Fidei professionem* conscribere debuit, donec

1. Excerpta hujus in Vecci responsione legere est, *P. G.*, t. CXLI, 864.
2. *P. G.*, t. CXLII, 233-246.

tandem, inimicis non placatis, rogante Andronico, anno 1289, patriarchatu se abdicavit, et in monasterium Aristeni, Psamathiæ secessit, ubi suam opinionem novis scriptis propugnare perrexit, suoque, tractatui de processione Spiritus Sancti finem imposuit [1].

Sententia Georgii nullo solemni Ecclesiæ byzantinæ judicio unquam proscripta fuit. Quidam inter recentiores quum Russos tum Græcos illam amplexati sunt [2].

## ARTICULUS II

### Controversia hesychastica seu palamitica. Palamismi præcipui fautores.

#### Prænotamina.

Antequam de theologis singillatim agamus qui doctrinæ hesychasticæ seu palamiticæ addicti sunt, pauca de ipso hesychasmo necnon de origine controversiæ cui ansam dedit, præmittenda sunt.

Jam inde a sæculo v, Orientales *Hesychastarum* nomine designabant monachos contemplationi mysticæ deditos. *Hesychasmus* est status animæ, quæ jam ad vitæ spiritualis perfectionem pervenit, et per jugem orationem habitualiter Deo unitur. De *hesychia*, seu de felici pace ac quiete, qua gaudet anima a passionibus liberata Deoque per contemplationem unita, sæpe loquuntur mystici antiqui, v. g., sanctus Maximus Confessor, sanctus Joannes Climacus, etc. In monasteriis seu *lauris*, *hesychastæ* classem monachorum specialem efformabant, eorum scilicet qui propre monasteria vitam agebant solitariam in cellulis seu κελλίοις· (unde et κελλιῶται vocabantur), sub moderamine tamen hegumeni, et nonnisi raro, dominicis scilicet et festis diebus, cum cœnobitis in unum conveniebant ad psallendum et sacræ synaxi adsisten-

1. *P. G.*, CXLII, col. 269-300. In eodem tomo opera theologica edita Georgii invenies.

2. De theologis istis agemus in secundo tomo. Alia opera conscripsit Georgius; de quibus vide articulum F. Cayré, in *Dictionnaire de théologie catholique*, et doctas dissertationes B. M. de Rubeis, *P. G.*, t. CXLII, p. 18-220.

dum. In monte Atho, hesychastarum numerus admodum parvus erat pro unoquoque monasterio; et hoc, ex instituto ipsius fundatoris monasterii *Lauræ*, sancti Athanasii (sæc. IX-X), servabatur. Porro, quando Gregorius Sinaita dictus, sæculo XIV ineunte, ad Sanctum Montem advenit, vita hesychastica omnino obsoleverat. Monachi fere omnes virtutibus practicis addicti erant, illis scilicet, quibus mens contra passiones pugnat, et seipsam a vitiis purificat. Nullus fere erat, qui orationem mentalem, νυερὰν προσευχήν, et contemplationem frequentaret. Unde Gregorius in Monte Atho vitam contemplativam seu hesychasticam instaurare aggressus est.

Vitæ contemplativæ scopus est ad intimam cum Deo unionem pervenire. Hujus mysticæ unionis descriptio invenitur in scriptis antiquorum mysticorum græcorum, quorum dicta cum iis quæ theologi mystici catholici medii ævi et sæculi decimi sexti de gratiis extraordinariis scripserunt, non raro concordant. In describendis autem hujusmodi donis prorsus supernaturalibus, persæpe mystici metaphoris utuntur ac comparationibus e terrenis rebus desumptis. Porro accidit, ut monachi rudiores, qui tum in Atho, tum alibi vitam degerent, has metaphoras ac comparationes in sensu litterali intelligerent, hocque pacto doctrinam mysticam antiquorum absurdis interpretationibus perverterent.

Insuper, massalianismus et bogomilismus in monachos athonitas influxum quemdam habuisse videntur. Juxta Massalianos seu Euchitas, de quibus jam meminit sanctus Epiphanius, in unoquoque homine habitat quidam dæmon, qui nonnisi oratione expelli potest; quo fugato, Spiritus Sanctus animæ illabitur, illam claritate implens, suamque præsentiam sensibiliter manifestans. Post hunc Spiritus illapsum, corpus concupiscentiæ motus jam non experitur, et passionum mortificatio inutilis evadit; siquidem perfecti aliquo modo naturam divinam participant, et etiam oculis corporeis Trinitatem contemplantur. Massalianis Bogomili valde affines erant. Ipsi omnes precationes vocales aspernabantur, præter orationem dominicam.

Notandum præterea inter metaphoras a mysticis et præsertim a Simeone Novo Theologo adhibitas ad exprimendos effectus sensibilis præsentiæ divinæ in anima, illam quæ

de lumine est primas obtinere. Simeon in suis scriptis sæpe loquitur de hoc lumine divino, quod animam implet, purgat, sanctificat, miraque dulcedine perfundit. In capite vero XI libri *Divinorum amorum*, divinum hoc lumen idem esse affirmat quod tum Stephanus martyr, cum a Judaeis lapidaretur, tum Saulus prope Damascum viderunt.

Sub his diversis influxibus, hesychastæ athonitæ doctrinam mysticam particularem excogitaverunt, quæ sic breviter contrahi potest :

1° Deus in anima justi habitat, et ei seipsum manifestat sub specie alicujus luminis ineffabilis, quod illam miris deliciis et consolationibus replet. Hujus enim divini luminis participatio est quasi quædam prælibatio ac prægustus æternæ beatitudinis;

2° Anima locatur in corde vel in media parte ventris;

3° Hesychasta totis viribus conari debet ut spiritum suum (νοῦν), qui circa res externas et corporales evagatur, intra corpus seu intra cor reducat, includat, atque recolligat;

4° Ad hunc effectum obtinendum, actiones quædam corporales, ut respirationis suspensio, oculorum in cor, vel in mediam ventrem, vel in umbilicum intentio, non parum conferre possunt.

5° Postquam spiritus intra cor totus reductus et recollectus est, tunc divinum lumen ei apparet, quo sese videt omni ex parte circumfusum ac mire delectatum;

6° Hoc divinum lumen est idem ac gratia sanctificans, lumen gloriæ et ipsa gloria seu beatitudo sanctorum. *Est aliquid divinum et increatum, a divina essentia non separatum, sed ab ipsa realiter distinctum.* Essentia enim divina, ut sic, est omnino imparticipabilis, invisibilis, incommunicabilis. Hoc vero divinum lumen *oculis corporeis virtute supernaturali elevatis ac roboratis viderunt* tum Stephanus, tum Saulus prope Damascum, tum Apostoli in monte Thabor. Siquidem lumen, quo Dominus noster transfiguratus et illustratus apparuit, erat gloria, effulsio, radius ipsius divinitatis; ergo aliquid increatum, etsi a divina essentia distinctum.

Hæc fuit, ut videtur, prima delineatio et quasi primum stadium doctrinæ mysticæ hesychastarum; cui postea Gregorius Palamas nova incrementa novasque explicationes addi-

dit. Unde, postquam ille hanc theologiam suo modo expolivit hesychasmus vocatus est etiam *palamismus*. Obliviscendum autem non est in Oriente primum exstitisse hesychasmi formam quamdam omnino laudabilem ac irreprehensibilem; palamismum vero non esse nisi hujus depravationem, post Ecclesiarum separationem inter monachos athonenses exortam [1].

### I. — Gregorius Sinaita.

Hujus falsi mysticismi primus doctor exstitit, ut videtur, Gregorius Sinaita dictus, e Kukulo prope Clazomenas oriundus, et in monte Sina monachus factus, antequam ad montem Atho se conferret, ubi vitam monasticam reformare aggressus est. Quantum scire est, primus ille fuit initiator hesychasmi adulterati, qui ad actiones corporales mediaque mechanica recurrit, ut visionem ac fruitionem divini luminis producat. In illius enim scriptis sequentia legimus :

« A mane quidem sedens in cathedra unius palmæ (vel in scamno, vel in culcita), spiritum rationalem ad cor coge, et in eo retine; ac laboriose incurvatus, et pectus humerosque et collum graviter afflictans, perseveranter clamita spiritualiter sive mentaliter : *Domine, Jesu Christe, miserere mei.* Deinde propter angustiam et laborem, forsitan et fastidium ex eorumdem verborum repetitione continua proveniens..., transferens spiritum ad alterum dimidium, dic : *Fili Dei, miserere mei;* et sæpe repetens hoc dimidium, non debes perpetuo mutare hæc verba; non radicantur enim plantæ continuo translatæ. *Comprime etiam respirationis motum, ne pro libitu respires : aura enim spirituum de corde emissa obtenebrat spiritum, et cogitationem ventilat, spiritum ipsum e corde expellens;* et illum vel captivum oblivioni tradit, vel ad diversas cogitationes inducit illicitisque ac incongruis occupat. Si autem videris immundas cogitationes a malis spiritibus excitatas menti occurrentes, ne stupeas; et si bonæ cogitationes tibi affulserint, ne attendas; *sed comprimens, quantum potes, respirationem, et spiritum in corde concludens*, invocationemque Domini Jesu assidue ac peramanter repetens, brevi

1. De hesychasmi depravati origine vide ea quæ scripsit J. Bois, in *Echos d'Orient*, t. v, p. 1, 65. Doctrinam Palamæ fuse exponemus in secundo tomo nostri operis, quando de *Deo uno* sermo erit.

combures illas ac reprimes, eas invisibiliter divino flagellans nomine... Nec oportet crebro invocationis voces permutare, sed lente ac perpetim recitare. Alii ore, alii mente illam recitare docent. Ego autem utrumque suadeo [1]. »

Quamvis hæc scripserit Gregorius, multa tamen habet quæ irreprehensibilia sunt circa mysticam animæ unionem cum Deo, tum in suis *centum triginta septem capitibus seu paragraphis* [2], tum in aliis opusculis quorum quædam sunt inedita [3].

Insuper, notandum est illum non loqui de lumine thaborico, sed tantummodo de lumine divino in genere, eo scilicet modo, quo alii mystici de hoc disserere solent. Attamen quia modum orationis singularem supra descriptum commendavit, noxium influxum habuit, ut videtur, in monachos rudiores, qui mox ineptis exercitationibus se dederunt, ut divini luminis fruitionem sibi procurarent. Siquidem, aliam habemus descriptionem modi orandi hesychastarum Simeoni Novo Theologo ab ipsis tributam [4], et non parum differentem ab ea, quam mox legimus His autem verbis concipitur :

« Attende ut facias quod tibi dico; clausis foribus, sedeas in uno aliquo angulo seorsim, mentemque tuam abstrahas ab omni vanitate, omni re fragili et caduca. Deinde *mentum tuum pectori innexum inhæreat, moveasque sensibilem oculum cum toto spiritu tuo, in medio ventris vel circa umbilicum; quin etiam constringe attractionem spiritus, quæ per nares fit, ut non facile spires; et inquire intus in visceribus* (ἔνδον ἐν τοῖς ἐγκάτοις), *ut reperias locum cordis, ubi omnes animæ facultates morari solent.* Et primum quidem invenies tenebras et crassitudinem minime cedentem (πάχος ἀνένδοτον = densam caliginem impenetrabilem). *Sed si perseveraveris ac dies noctesque in hoc opere consumpseris, o rem admirandam! percipies lætitiam continuam. Quamprimum enim spiritus locum cordis reperit* (εὕρῃ ὁ νοῦς τὸν τόπον τῆς καρδίας), statim aspicit

1. *De quietudine et duobus orationis modis. P. G.*, t. CL, col. 1316. Cf. *ibid.*, col. 1330 : *Quomodo oporteat sedere hesychastam ad orationem, nec cito surgere.*
2. *P. G.*, t. CL, col. 1240-1300.
3. Ea quæ edita sunt, in *P. G.*, *ibid.*, col. 1300-1346.
4. Immerito tamen, juxta valde probabilem sententiam

quæ numquam sciebat. Siquidem viso aere, qui inter spatium cordis exstat, seipsum etiam totum lucidum et discernendum præbet (καὶ ἑαυτὸν φωτεινὸν ὅλον καὶ διακρίσεως ἔμπλεον). »

Falsum mysticismum hic certe deprehendimus. Talis orandi via quamdam præ se fert analogiam cum mediis a fakiris indianis adhibitis, ut quietem τοῦ Nirwana sibi procurent, et a quibusdam phenomenis moderni hypnotismi non multum distare videtur.

### II. — Gregorius Palamas.

Theologorum hesychastarum princeps fuit Gregorius Palamas; qui ex Asia nobili genere oriundus et in aula imperiali primum educatus, postea in Sacro Monte vitam monasticam professus est. Postquam autem Barlaamus Calaber, circa annum 1338-1339, hesychastas impetere incepit, Gregorius Palamas eorum defensionem suscepit, multaque contra Calabrum conscripsit. Anno 1341, concilium quoddam Constantinopolitanum Barlaamum condemnavit, hesychastisque potius favit, quamvis quæstionem theologicam a Palama excitatam circa relationem inter essentiam divinam et ejus operationem non examinaverit, imo expresse prohibuerit, ut hæc quæstio a quopiam agitaretur. Huic vero prohibitioni non steterunt Palamas et ejus asseclæ. Unde a patriarcha Joanne Caleca, anno 1345, condemnati sunt. Mox vero Joannes Cantacuzenus sceptrum imperiale usurpavit, Gregorii Palamæ doctrinis adhaesit, et Joannem Calecam e sede pepulit, cujus loco Palamitam Isidorum suffecit, mense februario anni 1347. Isidorus, anno 1349, Palamam sedi metropolitanæ Thessalonicensi praefecit. Novus vero metropolita nonnisi anno 1350 suam sedem occupare potuit; qui anno sequenti, magnæ synodo a Joanne Cantacuzeno Constantinopoli congregatæ interfuit, ubi ejus doctrina solemniter approbata est. Mortuus est anno 1360. Anno autem 1368, in quodam concilio Constantinopolitano, a Philotheo patriarcha, qui ejus discipulus et amicus fuerat quique ipsius vitam conscripsit, inter sanctos relatus est, mirisque laudibus decoratus. Ab hoc tempore, ejus festum in Ecclesia græco-russica quotannis, secunda dominica Quadragesimæ, celebratur.

Gregorius Palamas scriptor fuit fecundissimus. Ejus operas quorum major pars nondum typis mandata est, in tres classe, dividi possunt, in *polemica* scilicet, in *moralia seu ascetica*, et in *concionatoria;* quibus addendæ sunt epistolæ non paucæ.

### 1. — Opera polemica

Palamas tum in hesychastorum adversarios tum in Latinos calamo decertavit.

Contra Barlaamum, antihesychastarum principem, quinque tractatus composuit : a) *Philosopho Barlaamo, qui non recte se defenderat circa duo principia, de quibus sermonem fecerat; sive contra græcanicam speculationem* [1]; b) *Adversus Barlaamum, qui scripserat super nulla divinarum rerum demonstrationem haberi, refutatio quod sit demonstratio super quibusdam, et quod illa sit vera demonstratio; aristotelica vero demonstratio sit incerta et instabilis* [2]; c) *Catalogus et refutatio absurdorum, quæ sequuntur ex secundis Barlaami philosophi scriptis: libri tres, quorum primus inscribitur* : *De deificatione*, περὶ θεώσεως [3]. d) *Dialogus orthodoxi cum Barlaamita, quo barlaamiticus error minutatim refutatur* [4]; e) *Ejusdem orthodoxi Theophanis dialogus cum Theotimo ex Barlaamitis converso. Theophanes, sive de deitate et de eo quod non participari vel participari ex illa potest* [5]. Omnia ista scripta contra Barlaamum, præter ultimum, *Theophanes* nuncupatum [6], nondum edita sunt.

Contra Acindynum, alterum hesychastarum adversarium, non minus quam *decem libros refutatorios* conscripsit; qui omnes in *codice 98 Coisl.* continentur, quorumque accuratam descriptionem per capita confecit Montfaucon[7] . Item, contra

1. Titulus græcus legitur in *P. G.*, t. CL, col. 834, ex descriptione operum Palamæ a Montfaucon in *Bibliotheca Coisliana*, p. 150 sq. facta. Inveniuntur siquidem in *Bibliotheca Coisliana* quatuor codices integri scriptorum Palamæ, quorum tres opera polemica continent.
2. *Ibid.*, col. 834-835.
3. *Ibid.*, col. 836.
4. *Ibid.*, col. 829.
5. *Ibid.*
6. *Theophanes* legitur in *P. G.*, t. CL, col. 909-960. Editio princeps : Matthæi, *Lectiones Mosquenses*, t. II.
7. *Ibid.*, col. 807-828. Ex capitum titulis tota doctrina palamitica satis clare elucet.

Acindynum aliud opus habet, cujus titulus est : *Antithesis contra ea quæ Acindynus composuit adversus Palamam, sed revera contra pietatem ipsam et contra pios omnes* [1]. Ineditum.

Contra Barlaamum et Acindynum simul duo tractatus diriguntur : a) *Expositio stupendæ multitudinis impietatum Barlaami et Acindyni* [2], ubi per quadraginta et unum capita errores Barlaamo et Acindyno adscripti sigillatim refelluntur; b) *Quod Barlaamus et Acindynus ii sint qui unam deitatem in duas vere inæquales perperam et impie diviserint* [3]. Inedita.

Contra Nicephorum Gregoram veniunt; a) *Duo libri de Gregoræ in scribendo mendaciis et impietate* [4]; b) *Refutatio omnimodæ blasphemiæ Gregoræ circa divinissimum lumen transfigurationis Domini*, missa ad œcumenicum patriarcham [5]; c) *Refutatio iterum omnimodæ blasphemiæ Gregoræ circa divinissimum lumen transfigurationis Domini; et demonstratio prolixior, quod illud vere increatum sit et aeternum, non autem divina natura, quæ omnibus omnino invisibilis est* [6]; d) *Epistola ad quemdam circa dictum Basilii Magni in synodico tomo allatum et a Gregora calumniis impetitum quasi non genuinum* [7].

Contra Joannem Calecam patriarcham *liber unus ostendens expositionem tomi a patriarcha Barlaamitis addicto conscriptam ipsius tomi depravationem esse et claram refutationem* [8].

Contra Ignatium patriarcham antiochenum *liber unus, demonstrans Antiocheni contra Palamam scriptum esse mendacium et tum synodico tum hagioritico tomo in omnibus oppositum* [9].

Contra omnes adversarios hesychastarum in genere : a) *Capita centum quinquaginta physica et theologica, ethica et practica et purgantia a barlaamitica lue*, in quibus quasi

1. *P. G.*, t. CL, col. 829-831. De hoc opere dat etiam Montfaucon titulos capitum.
2. *Ibid.*, col. 828.
3. *Ibid.*
4. *Ibid.*, col. 836. Inediti.
5. *Ibid.*, col. 836-837. Inedita.
6. *Ibid.*, col. 837. Inedita.
7. *Ibid.*, col. 837-838. Inedita.
8. *Ibid.*, col. 832. Ineditus.
9. *Ibid.*, Ineditus.

summam totius theologiæ Palamæ invenies [1]; b) *Apologia prolixior adversus eos qui putant duos ostendi deos, si deificum donum Spiritus, cui secundum substantiam supereminet Deus, non solum non facta deificatio, sed etiam deitas a sanctis nominetur, seu de divinis operationibus et de participatione secundum ipsas* [2]; c) *De divina et deifica participatione, seu de divina et supernaturali simplicitate* [3]; d) *Sex libri pro iis qui in sacra quiete degunt.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶς ἡσυχαζόντων [4]; e) *Quædam epistolæ*, quæ controversiam hesychasticam spectant [5].

Contra catholicum dogma de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio quatuor tractatus Palamas composuit : a) *Liber demonstrationum primus, quod non ex Filio, sed ex solo Patre procedat Spiritus Sanctus*; b) *Liber secundus de eodem argumento. Item, adversus ea quæ a Latinis ex divina Scriptura ad sui patrocinium afferuntur*; c) *In inscriptiones* (*seu* ἐπιγραφάς), *quas Veccus pro Latinis, congregatis a se scriptis locis præposuit, oppositæ inscriptiones* (ἀντεπιγραφαί) *quibus ostenditur illas inscriptiones impie se habere et collectis sanctorum locis adversari*; d) *Quod Latini, dicentes ex Filio quoque esse Spiritum Sanctum, non possint effugere ab accusantibus eos, quod unius Spiritus duo principia dicant : et quod theologicos syllogismos potius demonstrativos oporteat dicere, quam dialecticos.* Scriptum est ad Acindynum, qui adhuc cum piis et amicis numerabatur [6].

### 2. — Opera ascetica, moralia et hagiographica

Ad hoc genus scriptorum pertinent :

a) *Decalogus christianæ legis* (Δεκάλογος τῆς κατὰ Χριστὸν νομοθεσίας). Est brevis explicatio Decalogi. Palamas quodcumque juramentum in quocumque casu omnino prohibet [7]; b) *De*

1. Edita in *P. G.*, t. CL, col. 1121-1226.
2. *Ibid.*, col. 827. Inedita.
3. *Ibid.*, col. 828. Inedita.
4. *Ibid.*, col. 835-836. Solus liber secundus est editus in *P. G.*, col. 1101-1118.
5. *Ibid.*, col. 831-832. Ineditæ, præter unam ad Nomophylacem, *P. G.* t. CXLVIII, col. 73-74.
6. Hi omnes tractatus contra Latinos editi non sunt; cæterum breves sunt, et nonnisi 64 folia unius codicis tenent. Cf. *P. G.*, *ibid.*, col. 833-834.
7. *P. G.*, *ibid.*, col. 1089-1112.

*passionibus, virtutibus et mentalis quietudinis fructu, ad Xenam sanctimonialem*, ubi optima invenies de vita ascetica et religiosa [1].

c) *De oratione et puritate cordis capita tria* [2].

d) *Vita sancti Petri anachoretæ in Monte Atho* [3]. Hic Petrus sæculo VIII antiquior perhibetur.

Notandum est Palamam modum orationis hesychastarum supra descriptum explicite approbare. Hæc enim de sede potentiæ intellectualis seu spiritus in *secundo libro* ὑπὲρ τῶν ἱερῶς ἡσυχαζόντων scribit :

« Intelligentiam intra nos esse omnes consentiunt, sed quidam disputant quo interiore utatur organo. Alii eam velut in arce quadam in cerebro ponunt; alii vero partem ventris mediam, illam scilicet quæ est ab animali spiritu (seu flatu) pura et separata. Nos autem ipsi, non quidem intus, velut in vase, quia est spiritualis, nec foris, quia est corpori unita, sed in corde quasi in organo intelligentiam nostram (τὸ λογιστικόν) esse certo novimus, non ab homine id edocti, sed ab ipso creatore hominis dicente in Evangelio : *De corde enim exeunt cogitationes* [4]. »

Praxim vero mechanicam spiritum recolligendi et in cor includendi his verbis comprobat :

« Potentiam rationalem nostram diligenti studentes vigilantia examinare ac regere, quomodo discutiamus, nisi intellectum nostrum per sensus ad exteriora diffusum recolligentes, ad interiora reduxerimus, et ad ipsum cor, quod est cogitationum thesaurus?... Cernis quomodo penitus sit necesse, ut qui volunt in quiete sibimet attendere, reducant et includant intra corpus spiritum, ac præsertim intra illud quod est maxime intimum in corpore corpus, quod nempe cor (καρδία) nuncupatur... Nos non solum intra corpus et cor, sed et intra seipsum mittimus spiritum (τὸν νοῦν)... Hortari

1. *P. G.*, col. 1043-1088.

2. *Ibid.*, col. 1117-1123.

3. *Ibid.*, col. 995-1040. Abjudicandum est Palamæ, et Michaeli Acominato restituendum opus asceticum cui titulus : προσωποποιΐαι, *ibid.*, col. 1347-1372. Cf. A. Sonni, in *Vizantiiskii Obozrenie*, t. I, 1915, p. 103-109. Arsenii *epistolam ad monachos Joannem et Theodorum* una cum duabus homiliis, de quibus infra, edidit Novogrodii, anno 1895. Hæc epistola inter opera ascetica computanda est.

4. Col. 1105.

autem præsertim incipientes, *ut in semet inspiciant, et per respirationem intro mittant intellectum, non est incongruens...* Quia formis exterioribus interior homo assimilari solet post peccatum, cur non multum prodesset ei qui studet coercere spiritum in seipsum, *seque movere non directo, sed circulari et non erratico motu, oculum haud huc illucque circumagere, sed quasi fulcro cuidam infigere suo pectori vel umbilico* (τοῦτον προσερείδειν τῷ οἰκείῳ στήθει, ἢ τῷ ὀμφαλῷ)? *Nam simul ac in circulum se quasi ab extrinsecus pro viribus reflectet, reflexe pariter in seipsum studens movere spiritum, vim intellectus visu exterius diffusam intra cor refundet hujusmodi habitu corporis. Quod si rationalis belluæ potestas residet in ventris umbilico, quia hic viget peccati lex, qua illa alitur, cur non isti repugnantem mentis legem oratione armatam opponamus?...* Non solos dico recenter incipientes, sed et perfectiorum nonnulli hoc situ in oratione usi, exauditi sunt a Deo, non tantummodo post Christum, sed etiam ante ejus ad nos adventum. Ipse enim contemplatione perfectissimus Elias, ponens faciem suam inter genua sua, et sic mentem in se et in Deum reducens diligentius, illam multorum annorum diluit siccitatem... Publicanum imitantur qui in seipsos visum orando intendunt; qui vero eos vocant *omphalopsychos* (ὀμφαλοψύχους), Pharisæorum morbo laborant, et non solum evidenter calumniantur quos accusant (quis enim eorum in umbilico reponit animam?); sed et ostendunt seipsos laudabilium conviciatores virorum. »

Hunc autem, orandi modum probat auctoritate Simeonis Novi Theologi, Nicephori Haghioritæ, Theolepti, Philadelphiæ antistitis, et aliorum [1]. In quadam epistola dicit *fervorem spiritus quandoque etiam e naribus inefflabili modo exire* [2].

### 3. — Concionatoria

Multas homilias in dominicas et festivitates totius anni reliquit Palamas, quarum sexaginta septem editæ sunt [3].

1. Col. 1106-1107, 1110, 1112, 1114.

2. Ἠθέρμη τοῦ Πνεύματος, ἥτις ποτὲ καὶ ἐκ τῆς ῥινὸς ἀρρήτως ἐξέρχεται. *Epist. ad Menam.* Hic locus citatur in opere Niphonis monachi *contra Palamam*, Demetrio Cydonio erronee tributo, *P. G.*, t. CLIV, col. 841 A.

3. XLIII homiliæ, in *P. G.*, t. CLI, col. 9-550. Sophocles Œconomus alias XXII edidit : Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ Παλαμᾶ

Amplam doctrinæ segetem theologo præbent. Auctor est disertus assertor immaculatæ conceptionis B. Mariæ virginis necnon primatus B. Petri apostoli [1].

### III. — Nilus Cabasilas († 1363).

Nilus Cabasilas, Gregorii Palamæ successor in cathedra metropolitana thessalonicensi (1361-1363), ejusque fautor in controversia hesychastica, contra Barlaamum dissertationem composuit nondum editam; quam quinque libris refutavit Joannes Cyparissiota. Famam autem potissimum sibi comparavit suis scriptis polemicis contra Latinos. Duplicem siquidem de primatu romani Pontificis tractatum conscripsit, unum inscriptum *de Ecclesiarum dissidio*, de quo jam supra pauca diximus [2]; alterum *de papæ imperio*, in quo negat tum infallibilitatem tum primatum juris divini romani Pontificis [3].

De processione vero Spiritus Sancti longum tractatum composuit in tres partes divisum. In prima parte, cui titulus : Ἀπάντησις σαφής τε καὶ σύντομος πρὸς Λατίνους, ὥσπερ ἐγχειρίδιόν τι προκείμενον τοῖς βουλομένοις ἀγωνίζεσθαι πρὸς ἐκείνους, tradit principia, quibus inniti debet polemista antilatinus, ut objectationibus adversariorum respondeat, sententiamque photianam in tuto ponat. In secunda, per quinque libros integros thesim de processione a Patre solo variis munit argumentis et potissimum auctoritate œcumenicorum conciliorum. In tertia, auctoritates Latinorum profert eorumque propositiones ac syllogismos quadraginta novem; quibus postea fusiori calamo respondet. Hoc magnum opus inter theologos dissidentes celeberrimum nondum prelo man-

ὁμιλίαι κβ'.. Athenis, 1861 ; et Arsenii duas, unam *in divitem et Lazarum*, alteram *in Dæmoniacum*, Novogrodii, 1895.

1. Cf. ea quæ scripsimus in *Revue Augustinienne*, t. XVII, 1910, p. 145 sq. : *Grégoire Palamas et l'Immaculée Conception.*

2. Cf. supra, p. 375.

3. Hi duo tractatus in *P. G.*, t. CXLIX, continentur una cum refutatione secundi tractatus *De papæ imperio* a Joanne Mattheo Caryophyllo conscripta. Nota Nilo Cabasilæ a quibusdam erronee adscriptum fuisse opusculum de Purgatorio, quod revera est *Prima responsio Græcorum ad Latinos* de hoc argumento in concilio Ferrariensi-Florentino. Hanc responsionem nuper edidit L. Petit in *Patrologia orientali* Graffin-Nau, t. XV, p. 39-60.

datum est. Non Nilus ipse, ut videtur, sed ejus nepos, Nicolaus illud publici juris fecit cum præfatione totius contenti indicativa; quam apud Demetrakopulum legere est [1]. Unde accidit, ut quidam ipsi Nicolao opus tribuerint [2].

### IV. — Nicolaus Cabasilas († 1371).

Nicolaus Cabasilas, Nili nepos, motibus politicis qui sub Joanne V Palæologo contigerunt, sese immiscuit; unde mirum non est eum non eamdem semper sententiam de palamismo tenuisse. Primum quidem Palamæ adversatus est; postea vero ejus causam ac doctrinam amplexus est; quam in quodam scripto inedito, cui titulus : *In Nicephori Gregoræ deliramenta*, κατὰ Γρηγορᾶ παραληροῦντος, contra Gregoræ criminationes defendit. Fuit etiam antilatinus ac photianus, ad processionem Spiritus Sancti quod spectat, ut ex præfatione ad opus sui avunculi patet. Utrum vero ipse aliquid de hac quæstione scripserit, incertum remanet, quidquid in contrarium dicant Oudin et Demetrakopulus, qui titulum alterius operis polemici : Περὶ ὧν μέμφονται ἡμῖν οἱ Λατῖνοι, in bibliotheca Metochii aghiotaphici constantinopolitani, in *cod. 558* asservati, profert.

Nicolai duo celebriora scripta, in *P. G.*, t. CL, contenta, ad liturgiam, asceticam ac mysticam spectant.

Primum est *Sacræ liturgiæ interpretatio*, Ἑρμηνεία τῆς θείας λειτουργίας, ubi ritus ac preces missæ græcæ doctis ac piis commentationibus prosequitur. In capitibus XXVII-XXX hujus operis, doctrinam erroneam de forma sacramenti Eucharistiæ tradit, Latinosque carpit quod doceant consecrationem panis et vini solis verbis dominicis perfici; siquidem, juxta illum, conversio non ante perfecta est quam sacerdos verba sic dictæ *epicleseos* pronuntiaverit; non infitiatur tamen verba dominica suas partes habere in consecratione efficienda, illisque vim conditionis sine qua non tribuere videtur.

Alterum est *De vita in Christo libri septem*, Περὶ τῆς ἐν

1. Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, p. 78-80.

2. In suo tractatu, Nilus S. Thomam Aquinatem, cujus utramque *Summam* Demetrius Cydonius græce nuper verterat, non semel impetit. Sanctum doctorem Demetrius speciali dissertatione defendit. Cf. ea quæ dicuntur infra, p. 476.

Χριστῷ ζωῆς, ubi agitur non tam de theologia mystica proprie dicta, quam de vita supernaturali, homini christiano per tria prima sacramenta, baptismum scilicet, confirmationem et Eucharistiam tributa (libri I-V), necnon de modo quo hæc vita servanda sit (lib. VI). Tandem, in ultimo libro, postquam pauca de peccato dixit, perfectorum unionem cum Deo describit, et jam quædam ad mysticam pertinentia docet. Hujus operis fere omnia sunt optima ædificationisque plena. Occurrunt tamen quædam sententiæ minus rectæ (v. g., quando loquitur de effectibus Eucharistiæ), vel etiam falsæ (Cf. ea quæ tradit de iteratione confirmationis supra apostatas).

Præterea, Nicolaus non paucos reliquit sermones panegyricos, dogmaticos vel morales, ex quibus sex tantum sunt editi [1].

### V. — Theophanes Nicænus († 1381).

Theophanes III, Nicææ metropolita, inter theologos sui ævi enituit; hactenus tamen parum notus, quia ejus scripta fere omnia in codicibus adhuc latent. Ex ejus scriptis theologicis tres tantum epistolæ pastorales editæ sunt, quas misit Theophanes ad suos fideles et clericos, cum jam urbs Nicæa a Turcis teneretur. Duæ primæ, ad omnes Nicænos directæ, consolatoriæ sunt et exhortatoriæ. Tertia, ad sacerdotes et clericos, est stricte dogmatica, et quasi breve compendium theologiæ tradit.

Inter ejus opera inedita, hæc notanda sunt : 1° *Contra Judæos libri septem;* 2° Contra eosdem : *Symphonia Veteris et Novi Testamenti;* 3° *Apologia religionis christianæ adversus Mahometanum,* libris quinque constans; 4° *De lumine viso ab Apostolis in Monte Thabor libri quinque,* in quibus auctor doctrinam palamiticam tuetur contra Barlaamum et Acin-

1. In *P. G.*, t. CL, inveniuntur : *Oratio contra fœneratores*, col. 727-750, et *Laudatio sanctæ Theodoræ*, col. 753-772. Theophilus Joannu *Laudationem sancti Demetrii martyris* edidit in suo opere : Μνημεῖα ἁγιολογικά, Venetiis, 1884. Homilias mariales tres : *In Nativitatem, in Annuntiationem et Dormitionem,* in *Patrologia Orientali* Graffin-Nau, t. XIX, nuper edidimus; de quibus in *Echos d'Orient,* t. XVIII, (1919), p. 375-388, quædam diximus. De excellentia et prærogativis Deiparæ Nicolaus præclare disserit.

2. *P. G.*, t. CLI, col. 287-350.

dynum; 5° *Contra Latinos de processione Spiritus Sancti sermones quatuor;* 6° *Liber de B. Virgine et mysterio Incarnationis;* 7° *Disputatio qua ostenditur mundum ab æterno esse potuisse;* 8° *Duæ epistolæ dogmaticæ ad quæsita Pauli, patriarchæ latini Constantinopolis, de doctrina hesychastarum.* Paulus Joanni Cantacuzeno imperatori scripserat, elucidationem quærens circa doctrinam Palamæ. Theophanes quæssitis patriarchæ respondit [1].

### VI. — Imperatores Joannes et Matthæus Cantacuzeni.

Joannes VI Cantacuzenus imperator († 1383) fuit Palamitarum protector, hujusque sectæ præclarus theologus. Ejus opera, palamismus Ecclesiæ byzantinæ doctrina authentica evasit, et tanquam norma orthodoxiæ receptus est. Synodis constantinopolitanis annis 1347 et 1351 habitis ipse præfuit, et postquam imperio se abdicavit, ac in monasterium secessit (an. 1355), multa pro doctrina palamitica conscripsit, quæ nondum edita sunt, scilicet :

1° *Contra Barlaamum et Acindynum* perlongum opus in quatuor partes distributum, cujus proœmium tantum publicatum est una cum brevi conspectu totius operis [2];

2° *Contra Prochorum Cydonium* λόγοι ἀντιρρητικοί;

3° *Sermones item refutatorii contra Isaacum Argyrum necnon contra Joannem Calecam patriarcham;*

4° *Epistola ad Paulum patriarcham latinum Constantinopoleos contra Barlaamum et Acindynum*, quam scripsit, cum adhuc imperaret [3].

Famam apologetæ christianæ religionis sibi comparavit scribendo tum *Contra Judeos dissertationes novem*, tum *Contra Mahumetum apologiam*, in duas partes divisam, quarum singulæ quatuor orationibus constant; prima pars est apologetica, secunda, polemica [4].

Ejus filius ac successor Matthæus (1354-1357) palamismo item adhæsit, Actisque synodi palamiticæ anni 1351 propria

1. De hujusmodi operibus ineditis vide Fabricium-Harles, *Bibliotheca græca*, t. XI, p. 221.

2. *P. G.*, t. CLIV, col. 693-710. Totum opus in *cod. Laurent.*, pl. 8,8.

3. Invenitur in *cod. Paris.* autographo *1242.*

4. *Dissertationes contra Judæos* ineditæ sunt. *Apologia contra Mahumetum*, in *P. G.*, t. LIV, col. 371-692.

manu, anno 1354, subscripsit. Commentatus est *Canticum canticorum* et *Sapientiam Salomonis* [1]. Ei tribuuntur etiam quædam opuscula theologica.

### VII. — Nilus, Rhodi insulae metropolita († post 1379).

Hic Palamæ sectator non pauca scripsit, ex quibus hæc tantum edita sunt :

1° *Enarratio synoptica de sanctis et œcumenicis synodis*, in qua Nilus synodum palamiticam anni 1341 pro œcumenica IX habet [2].

2° *Vita sanctæ Matronæ* et *tres homiliæ evangelicæ* ab Arsenii, anno 1891, editæ [3].

### VIII. — Matthaeus Koiestor Angelus Panaretus.

Hic accerrimus polemista antilatinus, quem sæculo XIII vixisse non pauci erronee putarunt, ad secundum dimidium sæculi XIV revera pertinet, ut nuper probavit Petrus Risso [4]. Non minus quam decem et octo opuscula polemica contra Latinos concinnavit, ex quibus quinque edidit P. Risso, scilicet :

1) Unum *De origine schismatis* : Πῶς καὶ τίνα τρόπον καὶ ἐν ποίοις χρόνοις ἐχωρίσθη ἡ Ἐκκλησία πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀφ' ἡμῶν, καὶ πῶς ἀπεκόπη τῶν διπτύχων, καὶ τῶν πρωτείων ἐστέρηται : *Quomodo et quo tempore Ecclesia senioris Romæ a nobis divulsa est, et quo pacto e diptychis suppressa est, primatuque privata* [5].

1. *Commentarium in Canticum*, in *P. G.*, t. CLII, col. 997-1084; *Commentarii in Sapientiam Salomonis* excerpta quædam, in t. c, col. 395, 411, 418, 447, 449.

2. Vœl et Justel, *Bibliotheca juris can. veteris*, t. II.

3. *In codice Mosquensi 492*, Nili exstant duæ homiliæ *In Præsentationem Deiparæ in templum*, *Canon iambicus in Dormitionem Deiparæ*, et *Sermo Dei genitricis ad Filium in cruce pendentem*, inscriptus ἠθοποιΐα. Cf. ed. Arsenii, Mosquæ, 1891.

4. P. Risso, *Matteo Angelo Panaretos e cinque suoi opuscoli*, in *Roma e l'Oriente*, an. IV, V et VI (1914-1916) passim. Auctor fontes manuscriptos opusculorum Panareti sedulo indicat, brevemque singulorum analysim tradit, præsertim illorum quinque, quæ ibidem edit.

5. N. 50, p. 112-117. Hoc opusculum erroribus, scatet historicis, primoque ab Hergenröther de eodem argumento in *Monumentis ad Photium pertinentibus* edito valde affine. Cf. Risso, n. 47-48, p. 274-276.

b) Secundum, *De processione Spiritus Sancti* : Ἀπόδειξις εἰς ὅσα πίπτουσιν ἐξ ἀνάγκης οἱ Λατῖνοι τὰ ἄτοπα, λέγοντες τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι : *Demonstratio patefaciens absurditates in quas necessario incidunt Latini, dum docent Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere* [1].

c) Tertium, *De aliis absurditatibus cacodoxorum Latinorum numero viginti quatuor* : Περὶ τῶν ἄλλων ἀτοπημάτων τῶν κακοδόξων Λατίνων, κδ' ὄντων. [2].

d) Quartum, *De aqua calida, quomodo divinis mysteriis immiscetur* : Περὶ τοῦ ζέου ὕδατος κατὰ τίνα τρόπον ἐν τοῖς θείοις μυστηρίοις εἰσβάλλεται [3]. Simon Atumanus, Thebarum episcopus latinus, usum τοῦ ζέου carpserat. Ei respondet Panaretus in hoc brevi opusculo.

e) Quintum, *Azymorum latinorum sermo refutatorius*, Κατὰ τῶν λατινικῶν ἀζύμων ἀνασκευαστικὸς λόγος [4]. Hic tractatus præcedentibus multo productior est. Auctor diversa argumenta Latinorum pro pane azymo exponit, eaque convellere nititur.

Ex aliis tredecim opusculis, novem circa processionem Spiritus Sancti versantur; et primum quidem dirigitur contra opusculum sancti Thomæ Aquinatis : *Declaratio quorumdam articulorum contra Græcos* [5]; quartum vero et quintum confutant *Epigraphas* Joannis Vecci. De primatu sancti Petri et Romani Pontificis tria opuscula tractant [6], et unum de pur-

1. N. 50, p. 117-120. Cf. n. 47-48, p. 277-278. Ex decem opusculis de processione Spiritus Sancti, hoc ordine tertium venit in quibusdam codicibus.

2. N. 51-52, p. 202-206; n. 55-56, p. 63-77. Cf. n. 47-48, p. 278-280. Pleræque hujusmodi absurditates e *tractatu contra Francos* transcribuntur. Cf. supra, p. 367 sq.

3. N. 57-58, p. 146-148.

4. N. 57-58, p. 149-164; n. 59-60, p. 238-251; n. 61, p. 28-35; n. 62, p. 76-80; n. 63-64, p. 154-160. Cf. n. 47-48, p. 284-290.

5. Hoc opusculum in codicibus generatim sic inscribitur : Τοῦ Θωμᾶ· πῶς ἐν τοῖς θείοις ληπτέον ἂν εἴη τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ Ἁγίου Πνεύματος· ἀντίθεσις πρὸς ταῦτα τοῦ Ἀγγέλου τοῦ Παναρέτου.

6. Primum opusculum contra primatum sic inscribitur : Ἀνασκευὴ τῶν λεγομένων παρὰ Λατίνων, ὡς ὁ πάπας ἔχει τὴν ἀρχὴν πάσης Ἐκκλησίας, λαβὼν αὐτὴν κατὰ διαδοχὴν ἀπὸ τοῦ μακαρίου Πέτρου· καὶ ὡς ἔξεστιν αὐτῷ κατὰ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δογματίζειν καὶ ποιεῖν ὅσα καὶ βούλοιτο. Cf. Risso, n. 45, p. 175.

gatorio igne contra sanctum Thomam [1]. Sicut alii polemistæ, Panaretus pleraque ab antecessoribus mutuatur; hoc autem laudis ei debetur quod argumenta adversariorum fideliter profert [2].

### IX. — Philotheus Kokkinus et alii patriarchae constantinopolitani saeculi XIV.

Præter Joannem XIV Calecam (1343-1347), qui tamen in synodo Constantinopolitana, anno 1341 habita, palamismo plus æquo favit [3], omnes patriarchæ constantinopolitani, inde ab anno 1347, Palamitæ fuere; ex quibus quatuor in controversiis hujus temporis suas partes habuerunt, et in historia theologiæ byzantinæ mentionem merentur, scilicet :

1° Isidorus I (1347-1349), qui a Joanne Caleca et ab Ignatio Antiocheno (an. 1344 et 1345) tanquam erroribus Palamæ addictus condemnatus fuit. Ejus constitutiones synodicæ quatuordecim a Miklosisch et Muller editæ sunt [4].

2° Callistus I (1350-1354, et 1355-1363), qui synodo palamiticæ anni 1351 præfuit. Ejus constitutiones et Acta una cum Actis Philothei item vulgata sunt a Miklosisch et Muller [5]. In *codice Athonensi 229*, lii homiliæ sub ejus nomine reperiuntur, ex quibus edita est homilia in Dormitionem Deiparæ [6].

1. Θῶμᾶ φιλοσόφου τοῦ Ἀχίνου λόγος περὶ καθαρτηρίου πυρὸς καὶ πρὸς τοῦτον ἀντίθεσις Ματθαίου Κοιαίστωρος τοῦ Παναρέτου. Agitur de iis quæ profert S. Thomas in eodem opusculo : *Declar. quor. art. contra Græcos.*

2. Notandum est in codicibus occurrere 22 opuscula Panareti, quatuor autem ex illis non esse nisi excerpta antiquorum scriptorum vel spuriorum documentorum, scilicet : 1° Fragmentum operis Joannis Vecci nondum editi, cujus initium : ἦν ἂν μακάριον ἀληθῶς; refertur ad synodum photianam anni 879-880; 2° Epistola spuria Joannis papæ VIII ad Photium de additione ad Symbolum; 3° Canones duo synodi photianæ sanctæ Sophiæ; 4° Fragmentum epistolæ S. Maximi ad Marinum Cypri sacerdotem. Duo codices referunt quintum documentum, nempe confessionem fidei, cui Joannes Veccus in synodo Constantinopolitana anni 1283 subscripserit, qua catholicum dogma abjuraverit. Cf. Risso, n. 45, p. 162-166.

3. De Joanne Caleca vide quæ infra dicuntur, p. 475.

4. *P. G.*, t. cli, col. 1283-1302.

5. *Ibid.*, col. 1303-1460.

6. In periodico Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος, an. 1911, mense Augusto, p. 114-119.

Harum homiliarum versio russica publicata est jussu Petri Moghilæ, Kioviæ, anno 1637 [1].

3° Philotheus Kokkinus (1354-1355 et 1364-1376), anno 1379 mortuus, qui magnus Gregorii Palamæ laudator et tenax sectator exstitit, multaque pro hesychastis Palamitis conscripsit. Antequam patriarcha renuntiaretur, Lauræ athonensis primum hegumenus, postea heracleensis metropolita fuerat. Anno 1368, in synodo Constantinopolitana, cui præfuit, Gregorium Palamam inter sanctos solemniter retulit, Cydoniumque Prochorum anathematizavit ac deposuit [2]. Ipse a Græcis ut sanctus colitur [3].

Præcipuum ejus opus inscribitur : *Contra Nicephorum Gregoram antirrhetici libri duodecim;* quibus adnectuntur *tres de doctrina palamitica dissertationes* [4]. Alia ejus opera palamitica nondum vulgata recensentur sequentia :

a) *Refutatio 14 capitum Barlaami et Acindyni;*

b) *Orationes duæ dogmaticæ contra Acindynum de lumine thaborico*;

c) *Longa fidei confessio*, anno 1252 data;

d) *Dissertatio contra quemdam Barlaami concivem*;

Editæ sunt : *Refutatio anathematismorum Harmenopuli* [5] et *Laudatio in Gregorium Palamam* [6].

Plures homiliæ sub ejus nomine in codicibus asservantur, quarum quædam tantum editæ sunt [7].

Duo opera liturgica : a) *De officio diaconi* [8]; b) *De divina liturgia* [9], composuit, nec a polemicis impetibus contra Latinos omnino abstinuit [10].

1. Cf. Legrand, *Bibl. hellénique*, XVII^e siècle, t. IV, p. 135.
2. Vide *Tomum contra Prochorum Cydonium* in *P. G.*, t. CLI, col. 693-716.
3. Cf. *P. G.*, t. CLII, col. 309.
4. Hoc opus ex *Tomo charitatis* Dosithei desumptum græce tantum in *P. G.*, t. CLIV, col. 773-1186, occurrit.
5. *P. G.*, t. CXIX, 895-900.
6. *P. G.*, t. CLI, col. 551-656.
7. Cf. *P. G.*, t. CLIV, col. 719-730, 730-746, 767-820, et Krumbacher, *op. cit.*, p. 108 et 204.
8. *P. G.*, t. CLIV, col. 745-766.
9. Ineditum.
10. Opusculum quoddam contra Latinos asservatur in *cod. Taurinensi 151*, fol. 146-149. Cf. A. Demetrakopulum, *op. cit.*, p. 85-86. Arsenii tres Philothei orationes exegeticas in illud Proverbiorum : *Sapientia ædificavit sibi domum*, etc., edidit Novogrodii, 1898, 140 p.

4° Nilus (1379-1388), qui *Encomium in Gregorium Palamam* concinnavit [1]. In *cod. Coisl. Paris. 243*, hujus Nili habentur 43 homiliæ et quædam dissertatio ascetica.

### X. — Nilus Damylas.

Hic hieromonachus Cretensis, qui sub finem sæculi XIV et initio sæculo XV vivebat, opus polemicum de processione Spiritus Sancti conscripsit in quatuor partes divisum, quas pro tot opusculis distinctis erronee habuit A. Demetrakopulus, *op. cit.*, p. 88. Hunc tractatum composuit Damylas, ut cuidam epistolæ Maximi Chrysovergæ, Græci ad fidem catholicam conversi et religiosi ordinis Prædicatorum [2], responderet. Hunc edidit Russus Arsenii cum versione russica, Novogrodii, 1895. Textum græcum hujus editionis exhibet Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια Constantinopolitana, (1895), t. XV, p. 382 sq.

### XI. — Nicephorus Callistus Xanthopulus.

Celeber hic historicus quædam ad theologiam spectantia conscripsit. Ejus *Synaxaria in præcipuas Triodii festivitates* non uno errore dogmatico maculantur, et quædam contra Latinos continent. In commentatione troparii : Ἄξιόν ἐστιν primus, ut videtur, inter Byzantinos immaculatam conceptionem B. Mariæ virginis expresse negavit, attamen cum aliqua hæsitatione seseque excusando [3].

### XII. — Matthæus Blastares.

Matthæus Blastares, hieromonachus thessalonicensis, inter canonistas præsertim nomen habet. Ejus *Syntagma alphabeticum*, Σύνταγμα κατὰ στοιχεῖον, per omnes Ecclesias autocephalas est vulgatum [4]. In hoc opere auctor quæstiones controversas obiter tantum memorat. De illis autem integros tractatus conscripsit, ex quibus tres in codicibus occurrunt. Productioris titulus hic est : Ἔλεγχοι τῆς πλάνης τῶν Λατίνων *(Erroris Latinorum confutatio)*, cujus tria capita in Τόμῳ

1. *P. G.*, t. CLI, col. 655-678.
2. De Maximo Chrysoverga, infra, p. 448, quædam dicimus.
3. De hac Nicephori opinione in t. II loquemur.
4. Invenitur in *P. G.*, t. CXLIV, col. 959-1400; t. CXLV, col. 9-212.

καταλλαγῆς edidit Dositheus [1]. Secundus est de processione Spiritus Sancti, ad Cypri principem Guy de Lusignan (græce = Σερ Γιν δε Λευζινίανος) missus, quem edidit Russus Arsenii [2]. Tertius, qui nondum editus est, de azymis tractat. Eidem tribui debent, ut videtur, *quinque libri adversus Judæos* [3], necnon quædam *dissertationes adversus Barlaamum* [4]. Fuit quippe Blastares Palamæ sectator.

### XIII. — Josephus Bryennius († circa 1435).

Josephus Bryennius, Spartæ natus circa dimidium sæculi XIV, anno 1381 in Cretam insulam missus est, ut munere prædicatoris et exarchi Magnæ Ecclesiæ fungeretur. Annos circiter viginti ibi mansit; deinde Constantinopolim perrexit, monasticamque vitam egit in monasterio Studitarum. Anno 1405, in insulam Cyprum legatus est a patriarcha Matthæo I (1397-1410), ut Græcos qui ad catholicam fidem conversi erant ad Ecclesiam byzantinam reduceret. Suas partes habuit in colloquiis, quæ sub Manuele Palæologo inter Græcos et Latinos inita sunt pro unione instauranda, et, ut conjicere est, unus fuit ex legatis imperialibus ad concilium Constantiense (1418). Latinis infensissimus, totis viribus unioni Ecclesiarum obstitit; ita ut postquam Joannes VII Palæologus (1425-1448) collocutiones iniverit unionis Florentinæ prævias, aulæ imperiali valedixerit, Cretamque reversus fuerit; ubi mortuus est circa annum 1435.

Bryennius, qui linguæ latinæ notitia pollebat, theologiam occidentalem non ignorabat. Opera sancti Thomæ a Demetrio Cydonio, qui unus ex ejus magistris fuit, græce translata præ manibus habuit. Non raro etiam citat sancti Augustini scripta, quorum versiones græcæ exstabant tum a Maximo Planude tum a Demetrio Cydonio effectæ.

Bryennii opera præcipua ab Eugenio Bulgari, annis 1768 et 1784 in tria volumina distributa Lipsiæ publicata sunt. Hanc editionem Migne prorsus ignoravit; unde in *Patrologia*

1. Τόμος καταλλαγῆς, p. 441-445. Hæc tria capita ad secundum librum operis pertinent.

2. *Epistola Matthæi Blastaris ad Cypri principem Guy de Lusignan*, Mosquæ, 1891.

3. Occurrunt in *cod. Bodl. Seld. 44.*

4. In *codice Athonensi, 3701.*

*græca* nihil ex Bryennio occurrit. Ejus scripta theologica sunt sequentia :

1° *Homiliæ XXI in sanctam Trinitatem*, in imperiali palatio, anno 1419, dictæ. Hæ homiliæ inter se intime connectuntur, et quasi tractatum completum de sancta Trinitate constituunt. Post dogmatis christiani expositionem in tribus primis factum, inde a quarta, quæstionem de *Filioque* aggreditur, Latinosque impugnat, eorum scholasticam methodum carpens et processionem Spiritus Sancti per Filium (διὰ τοῦ Υἱοῦ) de missione temporali interpretans.

2° *Dialogus I circa processionem Spiritus Sancti, Candiæ Cretæ, anno 1396, publice habitus cum latinophrone Maximo Chrysoverga, Ordinis Prædicatorum.* In hoc dialogo, sanctum Thomam redarguit ob ea quæ de græcis Patribus erronee protulit tum in *Summa theologica* tum in opusculo *Contra errores Græcorum* [1]. Juxta Bryennium, doctrina latina duo principia in Trinitate necessario statuit.

3° *Dialogus II de processione Spiritus Sancti*, cum legatis Martini papæ V, anno 1423, Constantinopoli habitus;

4° *Dialogus III de eodem argumento, cum Latinophronibus Constantinopolitanis, quorum nomina tacentur, quia, cum adhuc superstites sint, sententiam mutare possunt;*

5° *Sermo consultatorius de Ecclesiarum unione*, anno 1419 coram Manuele Palaeologo dictus. Bryennius declarat unionem primo schismate pejorem evasuram, si cum detrimento « Orthodoxiæ » pacta fuerit. « Filioque » et azyma Latinorum impetit;

6° *Disquisitio de unione Cyprorum ad Ecclesiam orthodoxam* : contra hierarchiam latinam in Cypro insula constitutam vehemens insectatio;

7° *Homiliæ mariales sex* (tres in Annuntiationem, duæ in Nativitatem, una in gratiarum actionem pro beneficiis a Deipara populo christiano collatis), in quibus Bryennius miris laudibus exaltat sanctam *Theotocon*, ejusque immaculatam conceptionem aperte docet;

8° *Capita* XLIX, Κεφάλαια ἑπτάκις ἑπτά, *De variis quæstio-*

1. Notum est in hoc opusculo S. Thomæ quosdam textus spurios de facto occurrere. Cf. F. H. Reusch, *Die Falschungen in dem Tractat des Thomas von Aquin gegen die Griechen*, Monaci, 1889.

*nibus theologicis, philosophicis et moralibus;* quæ magnam cum Michaelis Glycæ capitibus affinitatem præ se ferunt [1].

### XIV. — Demetrius Chrysoloras († circa 1430).

Demetrius Chrysoloras Thessalonicensis, Manuelis Palæologi imperatoris amicus, quorumdam scriptorum polemicorum adversus Latinos auctor est, adhuc in codicibus latentium, scilicet :

1° *Compendium operis Nili Cabasilæ Thessalonicensis episcopi de processione Spiritus Sancti*, XLIX constans capitibus [2];

2° *Dialogus evertens librum Demetrii Cydonii contra beatum Nilum Cabasilam Thessalonicensem.* Dialogi collocutores : *Thomas Aquinas, Cydonius, Nilus, Chrysoloras* [3];

3° *Dialogus alter de processione Spiritus Sancti;*

4° *Dialogus refutatorius de papæ primatu : Latinorum instantiæ et Romanorum (= Byzantinorum) solutiones* [4].

Reliquit etiam quosdam sermones sacros, inter quos duo mariales in Annuntiationem et in Dormitionem. Ejus *Disputatio cum Antonio Ascoliensi de verbis Christi : Melius esset ei, si natus non fuisset homo ille*, a G. Tromba, Florentiæ, anno 1618, edita est.

### XV. — Manuel Palæologus († 1425).

Inter varia scripta hujus doctissimi imperatoris duo prolixa opera polemica recensentur, quorum primum est *de processione Spiritus Sancti contra Latinos*, CLVII capitibus constans ; alterum *Contra Mahumetanos*, XXVI dialogos habens. Opus de processione conscripsit, dum Parisiis, an. 1400-1403, degeret, ut dissertationem de eodem argumento a quodam doctore sorbonico sibi oblatam refelleret [5].

Ex *dialogis contra Mahumetanos* duo primi tantum editi

1. De Joseph Bryennio, cf. art. A. Palmieri, in *Dictionnaire de théologie catholique.*
2. In *cod. synodali Mosquensi 13.*
3. Laurent. Bibl. *plut. 5, cod. 12.*
4. In *cod. Naniano Venet. 305.* Cf. A. Demetrakopulum, *op. cit.*, p. 87, et art. « Demetrius Chrysoloras », in *Dictionnaire de théologie catholique.*
5. Ineditum.

sunt[1]; qui circa angelos, animam, cælum et terram, Adami lapsum et Mahumetis paradisum versantur. Alii, usque ad dialogum XI inclusive, agunt de anima brutorum, de islamismi bellicis successibus, de præstantia Moysis super Mahumetem, de excellentia mandatorum moralium religionis christianæ, de providentia et divina prædestinatione. Inde a dialogo XII, incipit systematica expositio præcipuorum dogmatum christianismi, Trinitatis nempe, Redemptionis, missionis Apostolorum, Eucharistiæ, ultimi Christi adventus. Inter opera polemica a Byzantinis contra Mahumetanos conscripta, hoc Manuelis sine controversia primas tenet.

Manuel quasdam homilias composuit, ex quibus illa quæ est de *Dormitione B. Mariæ virginis* edita est[2]. In hac, auctor dogmati catholico de conceptione immaculata Deiparæ aperte suffragatur.

### XVI. — Symeon Thessalonicensis († 1429).

Symeon, Thessalonicæ metropolita (1410-1429), in hoc a suis coævis differt, quod non tam polemice quam irenice sacram doctrinam exponit. Dogmaticis liturgica miscet. Veteri traditioni addictissimus, tanquam antiquæ theologiæ byzantinæ ultimus repræsentator habendus est.

Ejus scripta variis opusculis quum dogmaticis tum liturgicis constantia, a Dositheo, Iasii, anno 1683 primum edita, in *Patrologia græca*, t. CLV, continentur :

1° Præcipuum opus dogmaticum est *Dialogus contra hæreses*, col. 33-176.

2° Subsequitur *tractatus de sacramentis necnon de officiis et ritibus ecclesiasticis*, inter quos ultimo venit *ordo sepulturæ*, col. 176-696.

3° *Expositio de divino templo et de sacra liturgia*, ad Cretenses directa, col. 697-750.

4° *Quatuor opuscula de divino symbolo et de sacerdotio*, col. 751-830, 953-976.

1. *P. G.*, t. CLVI, col. 125-174. De vita et scriptis Manuelis vide Berger de Xivrey, *La vie et les ouvrages de l'empereur Manuel Paléologue*, in *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et belles-lettres*, t. XIX, 1853, p. 1-201.

2. In *Patrologia Orientali*, Graffin-Nau, t. XVI. In *P. G.*, *ibid.*, p. 91-108, reperitur versio latina hujus homiliæ.

5° *Responsa ad Gabrielem Pentapolitanum* de variis quæstionibus, liturgicis præsertim ac dogmaticis, col. 829-952.

Symeon est palamita et antilatinus. Barlaamum et Acindynum inter hæreticos computat. Latinis exprobrat τὸ *Filioque*, azyma, indulgentias, formam baptismi, communionis infantium suppressionem, hostiarum formam rotundam, et alia quædam. Negat papæ infallibilitatem, at ejus primatum diserte agnoscit.

### XVII. — Macarius Ancyranus.

Macarius, metropolita ancyranus, initio sæculi XV florebat. Manuelem Palaeologum occidentales regiones peragrantem comitatus, opus polemicum contra Latinos CXX capitibus constans Parisiis incepit, alibique perfecit. In fine, Barlaamum et Acindynum confutat. Istud opus Dositheus suo *Tomo Reconciliationis* præmisit. Macarius quosdam sermones panegyricos nondum editos composuit. Sub Joanne VII Palæologo adhuc vivebat, et ab hoc imperatore ad Martinum papam V legatus est.

### XVIII. — Marcus Eugenicus († 1444).

Celeberrimus hic unionis florentinæ adversarius, qui cum Latinis in synodo Ferrariensi-Florentina tam acriter disputavit, decretoque unionis subscribere recusavit, primum quidem Constantinopoli, ubi natus est, monasticam vitam egit; deinde, nempe anno 1437, Ephesi metropolita creatus est. In synodo Florentina, vicarii patriarchæ antiocheni et Græcorum oratoris partes egit. Mortuus est anno 1444, annos natus LII. Inter sanctos a Græcis relatus est; cujus officium liturgicum Joannes, ejus frater, ipse composuit. Ejus dies festus agitur die 19 januarii.

Accuratus catalogus operum hujus polemistæ famosioris adhuc desideratur. Nuper L. Petit *tres ejus orationes dogmaticas de Purgatorio* in concilio Ferrariensi-Florentino habitas[1], necnon diversa opuscula et epistolas adversus concilium et

1. *Patrologia Orientalis*, t. XV, p. 39-60 (oratio I); p. 108-151 (oratio II); p. 152-160 (oratio III). *Ibid.*, p. 61-79, invenies *Responsionem publicam Græcorum ad positionem Latinorum de igne purgatorio*, a Bessarione Nicæno recitatam, die 14 Junii 1438, quam non pauci Barlaamo erronee tribuerunt.

unionem conscripta in *Patrologia Orientali* Graffin-Nau edidit; ex quibus pleraque jam vulgata erant, sed quædam ex parte tantum et absque critico apparatu [1]. Hujusmodi scripta adversus concilium sunt sequentia :

1° *Oratio ad Eugenium papam IV*, Ferrariæ scripta, in qua Marcus papam arroganter alloquitur, illumque exhortatur ut *Filioque* e symbolo expungat et, azymo relicto, panem fermentatum in conficienda Eucharistia adhibeat [2].

2° *Collectio testimoniorum quibus probatur Spiritum Sanctum e solo Patre procedere* [3]. Huic collectioni præmittitur epistola hactenus inedita ad imperatorem Joannem VII Palælogum [4]. Est series textuum sacræ Scripturæ et sanctorum Patrum, quibus Marcus dogma photianum adstrui putat.

3° *Capita syllogistica* LVI *adversus Latinos de Spiritus Sancti ex solo Patre processione* [5]. Est præcipuum opus Marci circa processionem Spiritus Sancti, quod confutarunt tum Georgius Scholarius junior, tum Bessario [6].

4° *Dialogus cui titulus* LATINUS, *sive de additione ad symbolum* [7]. In hoc, auctor quædam repetit, quæ jam in præcedentibus scriptis dixerat.

5° *Argumenta decem adversus ignem purgatorium* [8], quorum

1. *Patrologia Orientalis*, t. XVII, p. 307-524. In introductione, doctissimus editor probat Marcum anno 1444 e vita cessisse, p. 326-327.

2. P. 336-341.

3. *Ibid.*, p. 342-367.

4. Quamquam in hac epistola, imperator, cui dicatur opus, vocatur Novus Constantinus, hic non est Constantinus XII Palæologus, qui nonnisi anno 1448 regno potitus est, sed Joannes VII Palæologus (1425-1448).

5. *Ibid.*, p. 368-415. Hujusmodi capitum tres jam editiones completæ exstabant; prima fuit Seraphim Pisidici, ad calcem operis, Ῥαντισμοῦ στηλίτευσις, Lipsiæ, 1757; secunda, Theodosii Kottonii, Vindobonæ, 1784; tertia, Eugenii Bulgaris, ad calcem tomi II tractatus Zernikavii *De processione Spiritus Sancti*, Petropoli, 1797.

6. Georgius Scholarius junior unioni florentinæ adhæserat, et paulo post synodum, XVII capita syllogistica Marci confutaverat. Hanc confutationem una cum textu Ephesii edidit Hergenröther in *P. G.*, t. CLXI, col. 11-137. Bessarion XXI *alia capita* ejusdem refutavit, cujus opus item cum textu Marci Hergenröther, *ibid.*, col. 137-244, vulgavit. In *P. G.* ergo, XVIII capita desiderantur.

7. *P. O.*, *ibid.*, p. 415-421. In *P. G.*, *t. cit.*, col. 1099-1102, idem dialogus occurrit, sed truncatus.

8. *Ibid.*, p. 422-425.

summa in secunda oratione Marci de Purgatorio jam occurrit.

6° *Libellus de consecratione eucharistica : quod non solum a voce dominicorum verborum sanctificantur divina dona, verum a consequente oratione et benedictione sacerdotis, virtute Sancti Spiritus* [1]. Hunc libellum Marcus composuit sub finem concili Florentini.

7° *Confessio fidei Florentiæ scripta, sed post absolutam synodum in lucem edita* [2], a Gregorio Mamma refutata [3].

8° *Relatio de rebus a Marco in synodo gestis* [4], a Josepho Methonensi confutata [5].

9° *Epistola encyclica omnibus ubique terrarum orthodoxis* [6], quam Gregorius Mammas item fuse confutat [7].

10° *Epistola ad Georgium Scholarium, qua in eum invehitur quod aliquam cum Latinis concordiam fieri posse existimasset* [8].

11° *Epistola ad Georgium presbyterum Methonensem contra ritus Ecclesiæ romanæ* [9], quam refutavit Andreas, Rhodi archiepiscopus.

12° *Quatuor aliæ epistolæ ad diversos de unione florentina* [10].

13° *Marci morientis oratio ad amicorum cœtum ac nominatim ad Georgium Scholarium* [11].

In *Patrologia græca*, Marci duo alia scripta occurrunt, scilicet :

1° *De vitæ termino ad Isidorum monachum*[12]. In hac epistola, Marcus suam declarat sententiam de quæstione apud theologos byzantinos sæpe agitata, num scilicet Deus uniuscujusque hominis mortem decreto prædefinierit ; quæ questio illi, quæ de prædestinatione est, omnino affinis est.

1. *Ibid.*, p. 426-434, et in *P. G.*, t. CLX, col. 1079-1090. Hunc libellum Bessarion speciali tractatu confutavit. Cf. *P. G.*, t. CLXI, col. 493-526.
2. P. 435-442.
3. *P. G.*, t. CLX, col. 13-110.
4. P. 443-445.
5. *P. G.*, t. CLIX, col. 1023-1094.
6. P. 449-459.
7. *P. G.*, t. CLX, col. 112-204.
8. P. 460-464, et in *P. G.*, t. CLX, col. 1092-1096.
9. P. 470-474. Hanc jam ediderat Simonides, *op. cit.*, Londini, 1858, p. 211-214. Refutatio Andreæ asservatur in *Cod. Palat. lat. 604.*
10. P. 475-483. Has epistolas ediderat Lambros, Παλαιολόγεια καὶ Πελοποννησιακά, Lipsiæ, 1912, t. I, p. 17-26.
11. P. 484-489. Cf. *P. G.*, *ibid.*, col. 529-538.
12. *P. G.*, *ibid.*, col. 1193-1200.

2° *Expositio officii ecclesiastici* [1] : Opusculum liturgicum de horis canonicis.

Marcum Ephesium Palamæ sectatorem fuisse constat ex ejus *Capitibus syllogisticis adversus hæresim Acindynistarum*, quæ W. Gass edidit [2]. Editum est etiam ejusdem opusculum *de hominis imbecillitate*[3], ad imperatorem Joannem Palæologum, in quo de æternitate pœnarum inferni auctor speciatim disserit.

In scriptis suis polemicis, si orationes de Purgatorio excipias, Marcus nihil fere novi profert. Ad processionem Spiritus Sancti quod attinet, Josephus Methonensis jam notaverat illum a Nilo Cabasila, Palama aliisque præcedentis ævi polemistis pleraque mutuari.

### XIX. — Joannes Eugenicus († post 1453) [4].

Marci frater ac in bello contra unionem socius, Joannes Eugenicus primis synodi Ferrariensis-Florentinæ actionibus interfuit; die vero 14 septembris 1438, e Ferrara profectus, Constantinopolim rediit. Post pactam unionem, ob suos in unionistas impetus, in Peloponnesum a Joanne Palæologo relegatus, totis viribus ibi adlaboravit, ut suos gentiles ab unione removeret. Mortuus est post urbem a Turcis captam.

Multa scripsit, quorum pleraque inedita sunt. Suam *Refutationem impii et falsi decreti Florentiæ compositi* Dositheus *Tomo Reconciliationis* inseruit, p. 206-273.

S. Lambros, in primo tomo suorum Παλαιολογείων, præcipuas epistolas Joannis publicavit, quæ magni sunt momenti pro historia Ecclesiæ byzantinæ, a synodo Florentina ad urbem captam. Veram hujus fautoris schismatis indolem in illis deprehendimus ejusque contra unionem conatus. In epistola quadam ad imperatorem Constantinum Palæologum hæc habet : *Quamvis Latini sabellianismum et dualitatem*

1. *Ibid.*, col. 1163-1194.

2. In appendice ad suum opus : *Die Mystik des Nicolaus Kabasilas*, Greifswaldii, 1849.

3. A. Jahn, in *Zeitschrift für historische Theologie*, t. xv, 1845, p. 42-73. Iterum editum est a M. Evanghelidi, Athenis, 1893.

4. De vita et scriptis Joannis Eugenici vide articulum in *Dictionnaire de théologie catholique*, atque ea quæ de eo scripsit S. Petridès, in *Échos d'Orient*, t. xiii, p. 111-114, 276-281.

*principii in Trinitate rejiciant, attamen eorum doctrina cum doctrina sancti Joannis Damasceni conciliari nequit.*

Opuscula quædam ascetica composuit :

1° *De vita monastica, ad fratrem Gennadium;*

2° *De ingressu religionis, ad Theodorum Palæologum despotam* (a Lambro edito) ;

3° *De confessorum officiis.*

Inter opera theologica nondum edita, notanda est *Explicatio symboli fidei;* quidam sermones, etc.

Sermo *De rebus ecclesiasticis compositis*, a Lambro editus, ad quamdam synodum, quæ unionem florentinam abrogaverit, alludere videtur.

Jam diximus Joannem sui fratris ἀκολουθίαν texisse. Illum, una cum Gregorio Palama, tanquam sanctum Ecclesiæ doctorem extollit.

### XX. — Georgius Scholarius († post 1468) [1].

Omnium theologorum dissidentium epochæ byzantinæ Georgius Scholarius est simul præstantissimus atque ultimus. Ipse enim, post Constantinopolim a Turcis captam, sub nomine Gennadii, quod sibi sumpserat, quando monasticam vitam amplexus fuerat, primus patriarcha œcumenicus fuit, dux religiosus simul et civilis suæ gentis a Mahumete II constitutus.

Historici quidam, Allatio duce, duos, imo tres Scholarios erronee distinxerunt, unum scilicet, unionis florentinæ sectatorem, quem Georgium vel Gennadium Scholarium vocaverunt; alterum, *Georgium Scholarium*, qui sub nomine Gennadii II primus patriarcha Constantinopolis, post expugnationem urbis, exstiterit, tertium demum, quem nomine Georgii Scholarii Curtesii designabant, auctoremque habebant diversorum scriptorum polemicorum contra Latinos. Hujus autem erroris causa duplex : siquidem Georgius Scholarius non solum nomen, verum etiam sententiam circa unionem cum Latinis mutavit. Præterea, falso ei tribuebant opus inscriptum : *Apologia contra Ephesii* [Marci] *confessionem*, quod ad patriarcham catholicum Gregorium Mammam revera pertinet.

1. De Georgio Scholario vide copiosam bibliographiam apud Palmieri, *Theologia orthodoxa*, t. I, p. 435-436.

« Tricesimo ætatis anno, Georgius Scholarius, ut scribit Renaudotius, votum fecit amplectendæ solitariæ vitæ; quod tamen nonnisi paulo ante captam urbem, et post Joannis Palæologi mortem persolvit [1]. » Sub hoc imperatore, munus egit *universalis judicis judicii imperialis* (ὁ καθολικὸς κρίτης τῆς βασιλικῆς κρίσεως, seu κριτης τῶν Ῥωμαίων). Synodo Ferrariensi-Florentinæ interfuit, in qua quatuor orationes pro unione pronuntiavit. Unionis tamen decreto non subscripsit, quia laicus erat, neque ultimis actionibus adfuit. Constantinopolim reversus, inter Catholicorum et Schismaticorum partes anceps aliquamdiu remansit; mox vero, instigante ac redarguente Marco Ephesino, adversariis unionis sese adjunxit, et usque ad mortem separationis tenax fautor exstitit. Illi Marcus moriens causam « Orthodoxorum » commendaverat; quam totis viribus, verbo, opere et calamo tuitus est. Abdicato mox patriarchatu, ad quem evectus fuerat invitus, in monasterium sancti Præcursoris, ad montem Menœceum, prope Serras situm, se recepit, ubi reliquum vitæ suæ tempus transegit, legendis, transcribendis, componendisque libris assidue incumbens.

Scholarius theologus fuit non parvi ingenii scriptorque fecundissimus. In utraque theologia quum græca tum latina optime versatus erat. Sanctum Thomam Aquinatem magna admiratione prosequebatur; cujus opera quædam in græcum transtulit, et utramque Summam diu noctuque volvebat; imo I$^{æ}$-II$^{æ}$ *Summæ theologicæ compendium* propria manu sibi confecit [2]. Fuit etiam philosophus insignis, Aristotelis magis quam Platonis amator. Ejus opera theologica in quinque classes distribuimus, in *apologetica* scilicet, *polemica*, *irenica*, *concionatoria* et *liturgica*. De ejus epistolis, necnon de scriptis philosophicis et de operum latinorum in græcum translationibus pauca insuper subjiciemus [3].

1. *Gennadii Vita*, apud Migne, *P. G.*, t. CLX, p. 255.

2. Cf. Salaville : *Un thomiste à Byzance au XV$^{e}$ siècle* : *Gennade Scholarios*, in *Échos d'Orient*, n. 134, (1924), p. 129-136. Quod de auctore hujus compendii ibi dubitanter asseritur, est omnino certum. *Codex* enim *Vatic.* 433, qui hoc compendium continet, est Scholarii autographus.

3. De operibus Scholarii fuse disserit Renaudotius, in opere : *De Gennadii vita et scriptis*. Parisiis, 1709, quod Migne tomo CLX *P. G.* inseruit, col. 249-308. Quædam nova addit Fabricius, *Bibliotheca græca*, *ibid.*, col. 307-312.

### 1. OPERA APOLOGETICA

Hoc nomine designamus scripta a Scholario composita occasione collocutionum, quas tum cum sultano Mahumete II tum cum aliis duobus Turcis de religione christiana habuit. Sultanus enim non una vice de christianismo patriarcham Græcorum interrogavit. Horum colloquiorum summam duplicem Gennadius ipse conscripsit, unam longiorem, formam dialogi præ se ferentem; alteram breviorem et in modum confessionis fidei contractam, viginti articulis constantem. Utraque autem vulgo designatur nomine duplicis confessionis fidei Gennadii patriarchæ. Confessio brevior seu *Confessio fidei Gennadii simpliciter*, inter libros symbolicos Ecclesiæ græco-russicæ a quibusdam computatur, immerito tamen, quia hoc documentum nunquam solemni et authentico judicio ab omnibus Ecclesiis autocephalis receptum est tanquam « Orthodoxiæ » tessera.

Quum dialogus tum Confessio ex ratione apologetica conscripta sunt. Mira sollertia miroque ingenio auctor infidelibus proponere nititur mysteria Trinitatis et Incarnationis meliori quo fieri potest modo, ut hæc rationi humanæ quadamtenus consentanea, et in nullo contraria appareant. Comparationes, quas adhibet ad insinuandum Trinitatis mysterium: sol, radius, lumen — anima, verbum, flatus — ignis, calor, lumen — mens intellectus, voluntas — Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere manifesto insinuant. Quamquam autem auctor, post sanctum Joannem Damascenum, affirmat solum Patrem esse principium (μόνος αἴτιος ὁ Πατήρ), attamen nullibi dicit Spiritum Sanctum a *solo* Patre procedere; imo in textu græco vulgato *Dialogi* hæc verba legimus, quæ forsan sunt interpolata :

Καὶ ὥσπερ ὁ δίσκος ὁ ἡλιακὸς γεννᾷ τὴν ἀκτῖνα, καὶ παρὰ τοῦ ἡλίου καὶ τῶν ἀκτίνων ἐκπορεύεται τὸ φως, οὕτω ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ γεννᾷ τὸν Υἱὸν καὶ Λόγον αὐτοῦ, καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον : *Et quemadmodum substantia solis producit radios, et a sole et radiis procedit lumen, ita Deus et Pater generat Filium seu Verbum suum, et a Patre et Filio procedit Spiritus Sanctus* [1].

Insuper notandum est Scholarium in capite VII suæ *Con-*

1. *P. G.*, t. CLX, col. 321, CD.

*fessionis* palamismo valedicere; dicit enim : Πᾶν ὅπερ ἐστὶν ἐν τῷ Θεῷ καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ φυσικῶς, Θεός ἐστιν, διότι οὐκ ἔστιν ἐν τῷ Θεῷ συμβεβηκός : *Omne quod in Deo est et ex Deo naturaliter, Deus est, quia in Deo nullum accidens.*

Hæc duo Gennadii opuscula missionariis adhuc inservire possunt ad inculcandam infidelibus fidem christianam. Si locum excipias ubi Pater *solum principium* prædicatur, quamvis hoc effatum in sensu catholico explicari possit, omnia orthodoxe sonant.

*Dialogus* inscribitur : Περὶ τῆς ὁδοῦ τῆς σωτηρίας τῶν ἀνθρώπων : *De via salutis humanæ.* In multis codicibus hunc præfert titulum. *Gennadii monachi et patriarchæ pauperum Christi de sola via ad salutem hominum. Datum vero est hoc opus sultano petenti, post habitas coram eo disputationes* (διαλέξεις = colloquia) *in patriarchio; et deinde aliud brevius editum est : ambo autem arabice interpretata sunt.* Cum arabice audis, turcice intellige. Hæc versio in turcicam linguam, facta est ab Ahmete, judice Berrhoeæ, Mahmuti Chelebi, scribæ imperatorii patre, ut legimus in *Turco-græcia* Martini Crusii, lib. II.

Crusius primus edidit *Confessionem breviorem* cum textu originali et turcica versione, litteris græcis transcripta [1].

Versionem turcicam Russus Ilminskü litteris turcicis restituere tentavit; quod jam fecerat Josephus de Hammer, sed cum mendis non paucis [2].

*Dialogum de via salutis humanæ* primus edidit Joannes Alexander Brassicanus, græce et latine, Vindobonæ, anno 1530. Anno 1532, versio latina ejusdem Parisiis prodiit. Postea multoties a variis prelo datus est [3].

Præter has duas opellas, Scholarius alium dialogum apolo-

1. Hanc Confessionis editionem cum eadem versione turcica litteris tum græcis tum latinis transcripta, adjecta translatione latina, invenies in *P. G.*, t. CLX, col. 333-352.

2. Hanc Ilminskii restitutionem refert A. Palmieri in primo tomo suæ *Theologiæ orthodoxæ*, p. 442-452. Notandum vero, inde a capite VII, ordinem capitum non eumdem esse in hac restitutione ac ille qui in *Patrologia graeca* occurit. In editione M. Crusii, titulus Confessionis est prolixior : *Gennadii de christanorum recta et vera fide homilia ad sapientes Persas Agarenorum, hortatu magni sultani, et ipso praesente dicta. Interrogatus enim ab eo : « Quid creditis, vos christiani ? » in hunc modum respondit.*

3. In *P. G.*, t. CLX, p. 319-332, græce et latine legitur.

geticum conscripsit, nondum editum, cujus titulus est : Ἐρωτήσεις καὶ ἀποκρίσεις περὶ τῆς θεότητος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ : *Interrogationes et responsiones de divinitate Domini nostri Jesu Christi* : ex disputatione cum duobus e primoribus Turcis habita, qui, missis litteris, ex monasterio Prodromi Serras eum venire jusserant [1].

## 2. Polemica

Opera polemica Georgii Scholarii pleraque adversus Latinos intenduntur. Duo autem et Photianos percellunt : fuit enim Scholarius, ut diximus, aliquando unionista. Quædam alia contra Antipalamitas, Judæos et atheistas seu polytheistas diriguntur.

Tempore quo unioni florentinæ addictus erat, *decem et septem ex capitibus syllogisticis Marci Ephesini* refutavit [2], et *contra Cabasilam* ἀντιρρήσεις etiam conscripsit nondum editas [3]. Adversus Latinos vero de duobus præsertim capitibus controversis disseruit, scilicet de processione Spiritus Sancti et de Purgatorio.

De processione Spiritus Sancti duos tractatus seu tomos composuit. Primus scriptus est anno 1444-1445, post disputationes seu collationes quindecim cum legato Papæ aliisque Latinis habitas coram Joanne Palæologo imperatore. Hoc prolixum opus, cujus verus titulus est : Περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐν τμήμασι ἕξ, Nicodemus Metaxas, anno 1627, Constantinopoli (vel Londini), sub ementita inscriptione Ὀρθοδόξου καταφύγιον edidit [4]. Hoc cum a Scholario paulo post petivisset Joannes Comnenus, imperator trapezuntinus, auctor illud brevi libro contrahere maluit; quem librum imperatori misit, eum rogans, ut opus non prius aliis communicet, quam aut se obiisse, aut aliis communicasse noverit [5]. Hic secundus tomus, quem Scholarius pro ultima

1. Cf. Renaudot, *op.* et *loc. cit.*, col. 299.
2. Hæc refutatio invenitur in *P. G.*, t. CLXI, col. 11-138.
3. Cf. Renaudot, *op.* et *loc. cit.*, col. 309.
4. Cf. E. Legrand, *Bibliographie hellénique du XVII^e siècle*, t. I, p. 237 ; L. Petit, *Documents relatifs au concile de Florence*, II, in *Patrologia Orientali*, t. XVII, p. 326-327.
5. Hunc tractatum edidit J. Hergenröther, græce tantum, in *P. G.*, t. CLX, col. 665-714.

suæ fidei confessione haberi vult, diversas opiniones Photianorum circa processionem Spiritus Sancti nobis refert, ex quibus cuinam præ aliis adhæserit auctor, scitu difficile est.

De processione Spiritus Sancti item duos dialogos populares reliquit, quos edidit Arsenii, Novogrodii, anno 1896. Primus inscribitur : Νεόφρων ἢ Ἀερομυθία, 53 p.; alter : *Dialogus adversus Latinos de processione Spiritus Sancti*, cujus personæ sunt : Olbianus, Eulogius et Benedictus. In fine, auctor Nili Cabasilæ apologiam texit.

Scholarius agit etiam de processione in sua *epistola ad Magnum Dukam* [1], tum in sequentibus scriptis :

1° *De additione ad symbolum opusculum* [2];

2° *De ea quæ per Dei desertionem facta est vana, inepta et inconcinna fidei innovatione* [3];

3° *Epistola adversus Gemistum Plethonem*, qui librum adversus Latinos scripserat. Scholarius laudat ea quæ in Latinos scripta erant, sed carpit quæ polytheismum redolebant [4].

De Purgatorio in codicibus occurrunt quatuor dissertationes nondum editæ [5].

De differentiis disciplinaribus ac liturgicis sermo est in opella inscripta : *Contra jejunium Latinorum in sabbato, et quod Liturgia non sit quotidie celebranda in Quadragesima, necnon de matrimonio clericorum et barba* [6].

In epistolis Scholarii, de Latinis non una vice fit mentio. In *Epistola ad Maximum monachum in Monte Sina*, Scholarius dicit Armenos et Latinos ad loca sacra peregrinantes a

1. Hoc opusculum una cum duabus aliis epistolis Scholarii edidit Simonides, Ὀρθοδόξων Ἑλλήνων θεολογικαὶ γραφαί, Londini, 1858, p. 42-72.

2. In *P. G.*, *ibid.*, col. 713-732, græce tantum.

3. Ineditum. Asservatur in *cod. Mosquensi 208*. Cf. A. Demetrakopulum, *op. cit.*, p. 115-116, qui duo alia scripta Scholarii de processione memorat.

4. In *P. G.*, *ibid.*, col. 599-630, græce tantum.

5. Hæ dissertationes titulos sequentes præ se ferunt : 1. Περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρὸς λόγοι δύο — 2. Κεφαλαιώδης ἀπόκρισις πρὸς τοὺς παρὰ Λατίνων εἰρημένους λόγους περὶ τοῦ αὐτοῦ Πουργατορίου — 3. Περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρὸς ἐπιστολὴ πρὸς Ἰωάννην Θεσσαλονικέα. — 4. Σύντομον κατὰ τῆς δόξης τῶν Λατίνων.

6. In *P. G.*, *ibid.*, col. 731-744, græce tantum.

divinis officiis non esse arcendos, eisque ἀντίδωρον seu panem benedictum concedi posse, non vero sacram communionem [1].

Contra Judæos scripsit *Dialogum unum* et *Collectionem prophetiarum magis perspicuarum de Christo* [2].

Item, doctrinam palamiticam de divina operatione propugnat in quadam *Epistola ad amicum contra Acindynistas* [3].

Atheistas (αὐτοματισταί) et hellenistas seu *humanistas*, qui, spreta religione christiana, ad antiquos errores polytheismi vel rationalismi declinabant, refutat in quodam opusculo inscripto : *De Deo in Trinitate uno* [4], necnon in *Epistola ad Josephum exarcham* [5], ubi speciatim agit de libro Plethonis *De legibus*, quem igni tradidit.

Demum, in brevi opella, simoniacam hæresim exagitat [6].

### 3. Irenica

Præter opera polemica, Scholarius plures alias dissertationes theologicas composuit, in quibus irenico modo doctrinam explicat. Præcipuæ sunt sequentes :

1° *De divina providentia et prædestinatione libri quinque*, περὶ τῆς θείας προνοίας καὶ προορισμοῦ [7]. In hoc scripto, præsertim in libro primo, Scholarius mysterium prædestinationis et reprobationis hominum altius quam quilibet alius Byzantinus scrutatur. Ejus sententia systemati Molinistarum omnino affinis est; docet siquidem prædestinationem post prævisa merita, et in excellentia divinæ scientiæ omnia futura libera tanquam præsentia ab æterno contemplantis totum mysterium reponit [8].

2° *De differentia peccatorum venialiun et mortalium*,

1. Fragmentum in *P. G.*, *ibid.*, col. 538-540.

2. Hæc duo opuscula edidit A. Jahn, *Anecdota græca theologica cum prolegomenis*, Lipsiæ, 1893, p. 1-68.

3. In *P. G.*, *ibid.*, col. 649-664. Græce tantum.

4. *Ibid.*, col. 567-596.

5. *Ibid.*, col. 633-648.

6. Κατὰ τῆς σιμωνιακῆς αἱρέσεως ἢ ἀπιστίας. *ibid.*, col. 731-738.

7. *P. G.*, t. CLX, col. 539-566, ubi exstat liber secundus, græce et latine; quatuor alii libri, col. 1125-1156, græce tantum.

8. De doctrina Byzantinorum circa providentiam divinam et prædestinationem quædam in secundo volumine dicemus.

Περὶ διαφορᾶς τῶν συγγνωστῶν καὶ θανασίμων ἁμαρτημάτων [1].

3° *De eo quod nulla nunc, ut olim, miracula fiant* [2].

4° *De primo Dei cultu, sive lex evangelica compendio explicata* [3].

5° *De humanitate Domini Nostri Jesu Christi* [4].

6° *De resurrectione* [5].

7° *De dominico et divino sanguine, ad Dionysium hieromonachum* [6].

8° *De angelis, contra Argyropuli sententiam* [7].

9° *In illud Apostoli : Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens* [8].

10° *Solutio diversarum ex Evangelio difficultatum* [9].

11° *De verbis in divina prece contentis : Domine, Jesu Christe Fili Dei, miserere nobis* [10].

12° *De iis qui mala committunt, num volentes aut nolentes agant*, πότερον ἄκοντες ἢ ἑκόντες [11].

13° *De fructibus Spiritus* [12].

14° *De tempore et modo existentiæ animarum intelligentium et immortalium* [13].

15° *De statu et conditione animarum post mortem, ad confirmationem scripti Symeonis Thessalonicensis, quod attulerat Sabbatius* [14].

16° *De eodem argumento, ad Joannem Thessalonicensem* [15].

17° *De anima humana et rationali, ad Theophanem Mediæ*

1. Hoc opusculum in græcam dialectum vulgarem translatum, Constantinopoli, anno 1816, editum est.
2. Ineditum.
3. Opus in XL capita divisum, anno 1458 scriptum. Ineditum.
4. *P. G., ibid.*, col. 1157-1162.
5. Ineditum.
6. Ineditum.
7. Ineditum.
8. Ineditum.
9. Ineditum.
10. Ineditum.
11. Ineditum.
12. Ineditum.
13. Ineditum.
14. Ineditum.
15. Ineditum.

*metropolitam* [1]. In hoc opere, Scholarius expressis verbis docet conceptionem immaculatam B. Mariæ virginis.

### 4. Concionatoria

Inter opera Scholarii, multæ occurrunt homiliæ doctrina theologica plenæ, ex quibus sequentes tantum editæ sunt :

1° *Duæ homiliæ de corpore et sanguine Domini*, a Renaudotio publicatæ [2], in quibus Scholarius aperte docet dogma transsubstantiationis, vocemque « μετουσίωσις » usurpat.

2° *Duæ homiliæ mariales*, una *de B. Mariæ virginis ingressu in templum*, altera *in Dormitionem*, in qua dogma immaculatæ conceptionis B. Mariæ iterum exprimitur [3].

3° *Orationes quatuor ad synodum Florentinam*, de quarum authenticitate quidam dubitarunt, sed immerito, ut videtur [4].

4° *Oratio consolatoria ad imperatorem Constantinum in morte matris ejus* [5].

5° *Oratio, in funere Theodori despotæ, fratris imperatoris* [6].

### 5. Liturgica

Scholarius reliquit etiam quædam scripta liturgica, hymnos scilicet, preces, hymnorum interpretationes. Edita est precatio quædam ad Christum [7].

### 6. Epistolæ

Scholarii epistolæ multæ ad nos usque pervenerunt, quæ tum pro theologo tum pro historico non parvi sunt momenti.

1. Hæc dissertatio edita est in tomo tertio operum Nicephori Blemmidæ ab Eugenio Bulgari, Lipsæ, 1784.

2. *P. G.*, *ibid.*, col. 351-380.

3. Homiliam *in Dormitionem* in *Patrologia orientali*, t. XVI, edidimus; homiliam *in Præsentationem* in eadem *Patrologia*, t. XIX; quam S. Lambros jam in suis Παλαιολογείοις ediderat. Tertiam homiliam marialem Scholarii *in Annuntiationem* proxime edemus.

4. De his scribit Renaudotius : « Non pauca in has orationes irrepsisse fatendum est, quæ adnotare prolixioris esset operæ. » *P. G.*, *ibid.*, col. 287. Inveniuntur *ibid.*, col. 385-524. L. Petit, *op. cit.*, in *P. O.*, t. XVII, p. 317-318, eas omnino genuinas habet.

5. Edita a S. Lambro, Πελοποννησιακὰ καὶ Παλαιολόγεια, Lipsiæ, 1912.

6. Edita ab eodem, *ibid.* De aliis homiliis et orationibus Scholarii vide Renaudotium in *P. G.*, col. 288-290, 301-302.

7. *P. G.*, *ibid.*, col. 525-528.

De unione florentina necnon de eventibus qui synodum subsecuti sunt frequens mentio in eis occurrit [1].

### 7. Scripta philosophica

Philosophiæ non minus quam theologiæ Scholarius noster amator exstitit, inter Aristotelis studiosos computandus. Inter ejus opera philosophica hæc notanda sunt :

1° *Expositio in Introductionem Porphyrii;*

2° *Expositio in decem prædicamentis Aristotelis;*

3° *Expositio in librum de interpretatione*, περὶ ἑρμηνείας ἐξήγησις, ab Allatio valde laudata et iis, qui logicæ operam navant, commendanda;

4° *De humana felicitate* (conciliatio Aristotelis et Plotini);

5° *Aristotelis libri VIII physicæ auditionis cum scholiis Simplicii in compendium redactis a Georgio Scholario.*

### 8. Translationes operum latinorum

De latino in græcum transtulit :

1° *Librum* Guglielmi Porretani *de sex principiis;*

2° *Expositionem* S. Thomæ *in Aristotelis libros de anima;*

3° S. Thomæ Aquinatis *opusculum de ente et essentia;*

4° S. Thomæ Aquinatis *de sophismatibus;*

5° *Excerpta ex dialectica* Petri Hispani *inscripta* : *De octo partibus oratoriis.*

## XXI. — Theodorus Agallianus.

Theodorus Agallianus, Scholarii coætaneus, qui Magnæ Ecclesiæ constantinopolitanæ diaconus fuit, tria contra Latinos opuscula composuit, scilicet :

1° *Collectio textuum sanctorum Patrum, præsertim sancti Maximi Confessoris, cum quibus si doctrina latina confera-*

1. Quædam epistolæ et epistolarum fragmenta inveniuntur in *P. G.*, *ibid.*, col. 533-536, 537-540, 743-746, 747-768. Plures alias edidit S. Lambros in t. II operis citati, quarum præcipuæ sunt : 1° *Epistola ad Demetrium Palæologum*, qua ei gratulatur quod unioni restiterit; 2° *Epistola apologetica ad Constantinum imperatorem*, anno 1452 scripta, cum ille de instauranda unione cogitabat; 3° *Responsio ad Marci Ephesii epistolam*, qua Ephesius ejus ad Unionistarum partes conversionem ei exprobrabat. Hanc iterum vulgavit L. Petit cum versione latina in *P. O.*, t. XVII, p. 464-470.

*tur, eis opposita deprehenditur et dogmatibus pietatis aliena* [1];

2° *Refutatio libri Joannis Argyropuli* [2];

3° *Dialogus cum quodam monacho contra Latinos* [3].

### XXII. — Georgius Gemistus Pletho.

Hic platonicæ philosophiæ amator et Aristotelis detrectator, quem Scholarius et alii polytheismi accusarunt, dum alii, ut Allatius et Bessarion, ab hoc crimine eum purgarunt mirisque laudibus sunt prosecuti, unus ex laicis Græcis fuit qui synodo Florentinæ interfuerunt, suasque in tractandis quæstionibus theologicis partes habuerunt. Unde mirum non est illum quoddam de processione Spiritus Sancti opusculum contra Latinos protulisse, cui titulus : *De processione Spiritus Sancti, quod ex solo Patre procedat, et nihil ex hoc absurdum sequatur* [4]. In hoc, Gemistus librum Bessarionis pro dogmate catholico conscriptum refutat [5]. Cum autem ex gentilium philosophia argumentum contra processionem a Patre et Filio obiter sumat, ejus in re philosophica adversarii de hoc illum reprehenderunt [6].

Multa de philosophia conscripsit, quorum pauca tantum edita sunt. Ejus opus : *De platonicæ et aristotelicæ philosophiæ differentia* [7], controversiam inter Platonicos et Aristotelicos exacerbavit. In *libro de legibus* [8], quod est præcipuum ejus scriptum philosophicum, paganismo favere videtur [9].

1. Edita est a Dositheo in Τόμῳ καταλλαγῆς, p. 432 sq.

2. Edita a Dositheo, in Τόμῳ ἀγάπης, p. 337-367, et in *P. G.*, t. CLVIII, col. 1011-1052, græce tantum.

3. Editus in Τόμῳ χαρᾶς, p. 610-631.

4. *P. G.*, t. CLX, col. 975-978.

5. A. Demetrakopulus, *op. cit.*, p. 109, duo alia opuscula de eodem argumento Plethoni adscribit; verum, hæc duo ab opusculo edito nonnisi titulo differunt. Allatius, *De Georgiis*, aliud opus theologicum inscriptum : Περὶ τῆς ἐνσαρκώσεως τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, eidem tribuit. Cf. *P. G.*, t. CLX, col. 789-790.

6. Jam supra, p. 464, de epistola Scholarii ad Plethonem necnon de alia ejusdem ad Josephum exarchum locuti sumus. Manuel Peloponnesius († 1551) integrum opus contra hunc libellum scripsit : Βιβλίον κατὰ τοῦ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος πληθωνικοῦ συγγράμματος.

7. Editum in *P. G.*, t. CLX, col. 889-932.

8. Fragmenta quædam hujus operis in *P. G.*, *ibid.*, col. 957-974.

9. De Georgio Gemisto Plethone vide dissertationes Allatii et D.

## ARTICULUS III

### Theologi Antipalamitæ et Latinophrones.

De Antipalamitis et Latinophronibus simul agimus, quia omnes qui catholicæ Ecclesiæ adhæserunt etiam Palamæ adversarii, ut patet, exstiterunt; Antipalamitæ vero omnes, etiam illi qui unioni Ecclesiarum obstiterunt, sub aliquo respectu etiam latinophrones fuerunt. Cum enim doctrina palamitica dogmati catholico repugnet, quicumque hanc doctrinam rejecerunt, cum Latinis in hoc saltem capite convenerunt.

#### I. — Barlaamus Calaber († 1348).

Barlaamus, Seminariæ in Calabria natus, primum quidem in diœcesi Miletensi monachus fuit catholicus; deinde Constantinopolim profectus, ibi doctrinas photianas amplexus est. Monasterii autem Sancti Salvatoris abbas factus, ab imperatore Andronico Palaeologo, anno 1339, Avenionem ad Benedictum papam XII missus est, ut ab eo auxilium contra Turcas peteret. Ut papæ favorem sibi conciliaret, imperialis legatus Benedicto promittebat Græcos, Turcis primum debellatis, unionem cum Ecclesia romana in novo quodam concilio œcumenico a Summo Pontifice congregando mox accepturos. Cum autem hæc fallacia promissa papæ nullo modo arrisissent, Calaber noster; infecto opere, Byzantium redire coactus est.

Porro antequam Avenionem peteret, quasdam cum Gregorio Palama disputationes jam habuerat. Constantinopolim autem reversus, hesychastarum vitam atque doctrinam attentius explorare cœpit; detectoque illorum singulari orandi modo, eos apud patriarcham œcumenicum accusavit. Tunc Gregorius Palamas hesychastarum defensionem suscepit. Coacta in Magna Ecclesia synodo, anno 1341, Barlaamus tanquam hesychastarum injustus accusator damnatus est. Paulo post, Andronico mortuo, in patriam reversus, catho-

Alexandri, in *P. G.*, *ibid.*, col. 773-806. Cf. etiam W. Gass, *Gennadios und Pletho*, Breslaviæ, 1844.

licam fidem iterum professus est, atque, anno 1342, Hieracis episcopus creatus est. Mortuus est anno 1348, postquam non pauca pro tuendis doctrinis catholicis olim a se impugnatis conscripsit, totisque viribus adlaboravit, ut amicos in Oriente relictos ad unionem adduceret.

Theologicis profanisque disciplinis apprime eruditus erat, atque utriusque linguæ, latinæ scilicet et græcæ, peritus, occidentalium Scholasticorum volumina perlegerat. Apud Byzantinos vero celeberrimus evasit. A synodo anni 1341 condemnatus quidem fuit, non tamen hæreticus declaratus est. In subsequentibus autem synodis Palamitarum, annis 1347, 1351 et 1368 habitis, hæreseos nota revera infamatus est, ejusque nomen illorum hæreticorum indici insertum est, quibus quotannis, Dominica Orthodoxiæ, anathema triplex solemniter interdicitur.

Hæresis Barlaami, juxta Palamitas, in hoc potissimum fuit, quod lumen thaboricum ut creatum quid habuerit, operationesque divinas ab essentia non realiter distinctas docuerit. Cæterum, multas alias hæreses per modum logicæ deductionis, ei imposuerunt tum Palamas tum ejus sectatores; quas enumerare longius esset.

Barlaami opera in tres species distinguenda sunt; scripsit siquidem ille tum contra Palamitas, tum contra Latinos, tum pro Latinis.

### 1. Scripta adversus palamitas

Horum scriptorum, ut videtur, major pars deperiit, quippe quæ igni tradita fuere. In quibusdam codicibus, sub Barlaami nomine occurrit aliqua *disputatio cum Acindyno de lumine thaborico*. Remanent etiam quædam ejus epistolæ ad controversiam palamiticam spectantes [1].

### 2. Scripta contra Latinos

Cum photiano dogmati adhæreret, Calaber noster non minus quam decem et octo tractatus de processione Spiritus Sancti, necnon tres de primatu papæ adversus Catholicos conscripsit [2]. Quidam illi erronee tribuerunt dissertationem

1. Cf. Fabricii notitiam de Barlaamo, in *P. G.*, t. CLI, col. 1254.
2. Eorum inscriptiones vide *ibid.*, col. 1249-1253, et apud Demetrakopulum, *op. cit.*, p. 73-75.

*De purgatorio igne*, quam confutavit Arcudius [1]; omnino vero verisimile est ad eum pertinere *Dialogum Orthodoxi cum Latino de azymo et Spiritus Sancti processione*, in quibusdam codicibus asservatum. Omnia hujusmodi scripta, præter unum de primatu papæ [2], inedita sunt. In his Barlaamus S. Thomam non semel impugnat.

### 3. Scripta catholica

Quæ in suis scriptis photianis contra dogma catholicum protulerat Barlaamus, in aliis scriptis postea optime confutavit. Hæc fere omnia edita sunt, sed latine tantum, in *Patrologia græca* [3]:

a) *Epistola ad amicos suos in Græcia constitutos*, in qua romanæ Ecclesiæ præeminentiam præ Ecclesiis dissidentibus diserte statuit;

b) *Alia ad eosdem, de primatu romanæ Ecclesiæ et de processione Spiritus Sancti;*

c) *Responsio ad epistolam Demetrii Thessalonicensis* (Cydonii) *de processione Spiritus Sancti;*

d) *Epistola ad Alexium Calochetum*, in qua ostendit Græcos non obedientes romanæ Ecclesiæ esse non solum schismaticos, verum etiam hæreticos;

e) *Probatio per sacram Scripturam sexdecim argumentis, quod Spiritus Sanctus et ex Filio est, quemadmodum et ex Patre;*

f) *Orationes II pro unione Græcorum cum Ecclesia romana, ad Benedictum papam*, Avenione habitæ [4]. Primæ orationis excerptum sat longum invenitur in *P. G.*

Scripsit etiam de rebus philosophicis non pauca. *Libri*

1. Hæc dissertatio est prima responsio Græcorum de purgatorio igne in concilio Ferrariensi-Florentino, Bessarionis et Marci Eugenici elucubrationibus conflata. Cf. L. Petit, *Documents relatifs au concile de Florence*, I, in *Patrologia Orientali*, t. XV, p. 5-38.

2. Hujus tractatus textum invenies in *P. G.*, *ibid.*, col. 1255-1280, in inferiore parte columnarum. Ejus brevem analysim dat Demetrakopulus, *op. cit.*, p. 72-73.

3. *P. G.*, t. CLI, col. 1255-1342.

4. Hæ orationes ineditæ sunt, præter fragmentum sat longum latine tantum ab Allatio, in libro *De perpetua consensione*, p. 787, datum. *P. G.*, *ibid.*, col. 1331-1342.

*duo ethicæ secundum Stoicos* prodierunt primum, latine tantum, Ingolestadii, anno 1604 [1]. De aliis cf. *P. G.* [2].

### II. — Gregorius Acindynus.

De hujus monachi vita fere nihil notum habemus. Scimus tantum illum vixisse in primo dimidio sæculi XIV, et unum ex adversariis notissimis palamismi una cum Barlaamo exstitisse; cui tamen non in omnibus consensit; imo contra eum quinque libros conscripsit, illum de eo reprehendens quod hesychastarum vitam in derisum verterit, et contra illos quasdam accusationes irrationabiliter protulerit. Ad quæstionem autem dogmaticam quod spectat, barlaamiticas theses propugnavit de lumine thaborico creato, de gratia creata, de objectiva identitate inter essentiam divinam et ejus operationem. Unde una cum Barlaamo in synodis palamiticis inter hæreticos relatus est, et nostris etiam diebus, quotannis, Dominica Orthodoxiæ, triplici anathemate apud Græcos percellitur. Contra illum scripserunt Gregorius Palamas, Joannes Cantacuzenus, Philotheus, Nilus Cabasilas aliique Palamitæ.

Ex *libris contra Barlaamum* duo tantum excerpta habemus [3].

Contra Palamam composuit *sex libros*, qui nondum editi sunt, et *carmen de ejusdem hæresibus* [4].

De controversiæ palamiticæ origine scripsit *Epistolam ad patriarcham Joannem Calecam*, λόγος πρὸς τὸν μακαριώτατον πατριάρχην κὺρ Ἰωάννην, a Th. Uspenskii editam [5].

Aliud opus dogmaticum *De essentia et operatione* inscriptum, ei falso tribuitur; pertinet enim ad Prochorum Cydonium.

Ejusdem versus iambici et duæ epistolæ ad Nicephorum Gregoram leguntur inter opera Gregoræ [6].

Sub ejus nomine occurrunt etiam in codicibus quædam alia

1. Hæc editio refertur in *P. G.*, *t. cit.*, col. 1342-1364.
2. *Ibid.*, col. 1254-1258.
3. Apud Allatium, *De perpetua consensione*, p. 802, et in *P. G.*, t CL, col. 875-877.
4. *P. G.*, *ibid.*, col. 843-863.
5. *Synodic ve nedeliu pravoslaviia*, p. 88 sq.
6. *P. G.*, t. CXLVIII, col. 29-30, 68-71, 72-73, 84-86.

opuscula et epistolæ. Ejus nepos, Dionysius Acindynus, *Historiam triumphorum Gregorii Acindyni* composuit, quæ deperdita est.

### III. — Nicephorus Gregoras († post 1359).

Nicephorus Gregoras fuit Gregorii Palamæ præcipuus adversarius. Natus est Heracleæ, anno 1295. Variis vicissitudinibus turbatam vitam egit, multaque perpessus est ob suam adversus Palamitas invictam repugnantiam. Anno 1333, certamen de capitibus controversis cum legatis Romani Pontificis declinavit [1], et anno 1355, coram Paulo, latino archiepiscopo Smyrnensi, cum Palama de essentia Dei et operatione disputavit [2], multisque rationibus probavit in Deo essentiam et operationem non distingui realiter. In concilio palamitico anni 1351, solemni judicio condamnatus fuerat, et mox in monasterium Choræ relegatus.

Gregoras scriptor fuit fecundissimus. Ejus opera ad theologiam, philosophiam, astronomiam, historiam, rhetoricam et grammaticam spectant.

Præcipua ejus opera theologica sunt sequentia :

1° *Sermones antirrhetici priores tres contra Gregorium Palamam*, scripti ante annum 1347 [3].

2° *Antirrhetici posteriores octo contra tomum palamiticum*, quos refutavit Philotheus [4].

3° *Dialogus* : *Utrum Deus hominem creavit mortalem an immortalem* [5].

4° *Variæ disputationes dogmaticæ* occurrunt in sua *Byzantina* (= ῥωμαϊκή) *Historia*, quæ facta narrat ab anno 1204 ad annum 1359 (7 libri pro periodo 1204-1320, 30 libri pro periodo 1320-1359)[6]. Omnia ad controversiam palamiticam spectantia non absque partium studio fusiori calamo refert; unde caute legendus est.

5° Orationes tres *in B. Mariæ virginis Nativitatem*, *Ingre-*

1. Cf. *P. G.*, t. CXLVIII, col. 26.
2. *Ibid.*, col. 37.
3. Inediti.
4. Inediti.
5. Ineditus.
6. *P. G.*, t. CXLVIII et CXLIX.

*ssum in templum* et *Annuntiationem* composuit, quarum prima tantum edita est [1].

*Dissertationes tres de correctione kalendarii juliani* conscripsit [2]; in scientia enim astronomica bene versatus erat.

Ad philosophiam pertinet dialogus *Florentius* seu *De sapientia* inscriptus, contra Barlaamum, cujus arguit inscientiam quoad astronomiam, poeticam, grammaticam, rhetoricam [3].

### IV. — Joannes Calecas.

Joannes Calecas, qui patriarcha Constantinopolis ab anno 1334 ad annum 1347 exstitit, primum quidem Gregorio Palamæ ejusque hesychastis favere visus est. In synodo enim anni 1341, Barlaami doctrinam de lumine thaborico creato tanquam Patrum dictis contrariam damnavit. Hanc autem sententiam magis pro bono pacis, ut videtur, quam ex intima persuasione tulit, quippe qui lites dogmaticas impedire conabatur; unde tam Barlaamitis quam Palamitis intimavit, ut a contentione circa lumen thaboricum et circa Dei operationem et essentiam abstinerent. At Palamas *tomum synodicum* anni 1341 tanquam suis placitis omnino congruentem mox explicavit, suamque doctrinam de distinctione reali inter Dei essentiam et ejus operationem novis scriptis vulgavit. Tunc Joannes authenticam explicationem tomi synodici edidit, Isidorumque, Palamæ sectatorem, damnavit [4]. Palama vero suos errores spargere non cessante, patriarcha, in synodo, anno 1345 habita, contra illum et ejus asseclas excommunicationis sententiam protulit [5], quam omnibus fidelibus per epistolam encyclicam significavit [6]. Sed anno 1347, in quodam concilio palamitico, cui præfuit Joannes Cantacuzenus, regno jam potitus, ipse excommunicatus et depositus fuit, in ejusque locum suffectus est Isidorus.

1. Ch.-N. Schmidt, *Kahrié-Djami,* in *Nuntiis Instituti archeologici russici Constantinopolis,* t. XI, 1906, p. 280-294.

2. Cf. *Hist. Byzant.,* lib. VIII, c. XIII, *P. G.*, t. CXLVIII, col. 47-48.

3. Excerptum in *P. G.*, t. CXLIX, col. 643-649. Operum Gregoræ accuratissimam descriptionem a Boivino confectam, invenies in *P. G.*, t. CXLVIII, col. 42-58.

4. *P. G.*, t. CL, col. 900-906.

5. *Ibid.*, col. 863-864.

6. *Ibid.*, col. 891-897.

Præter synodicas constitutiones [1], Joannes Calecas sexaginta, ad minus, homilias dominicales, reliquit, quarum duæ tantum *De Cruce* sunt editæ [2], aliæ in *codice Coisl. 386*, quarum indicem Montfaucon descripsit [3].

### V. — Demetrius Cydonius († 1400).

Demetrius Cydonius Thessalonicæ natus est circa annum 1320. Humaniores litteras sub Nilo Cabasila magistro didicit; moxque patre orbatus, ad aulam confugit Joannis Cantacuzeni, qui ob in patrem amicitiam, juvenem filium benigne suscepit, eumque scribam sibi adscivit. Ut huic muneri omnino par esset, Demetrius linguæ latinæ studio incubuit, duce religioso quodam Dominicano, qui ei *Summam contra Gentiles* sancti Thomæ Aquinatis legendam quondam porrexit. Hujus operis lectione apprime delectatus, hoc in idioma Græcorum vertere statim aggressus est. Porro, jam antea cum Barlaamo, dum Thessalonicæ degeret ille, amicitiam iniverat; unde, postquam Calaber, relicta Constantinopoli, ad Ecclesiam catholicam reversus est, Demetrius ei longam scripsit epistolam, ut ab ipso sciret, quasnam ob rationes Ecclesiæ byzantinæ dissidenti valedixisset. Cui amice rescripsit Barlaamus, petitioni satisfaciens [4].

Non solum autem sancti Thomæ opera theologica, verum etiam Patrum latinorum volumina attente perlegit; quorum doctrinam circa Spiritus Sancti processionem romanumque primatum tum cum dictis græcorum Patrum, tum cum librorum liturgicorum Ecclesiæ byzantinæ testimoniis diligenter conferens, doctrinæ catholicæ veritatem non ægre detexit; moxque dissidentium erroribus renuntians, Ecclesiæ romanæ catholicæ devotus filius evasit.

Propter suam invictam in fide catholica constantiam suamque adversus Palamitarum errores repugnantiam, persecutionem suorum gentilium non semel perpessus, ad tollendum Ecclesiarum dissidium, ad mortem usque, opere, verbo et calamo indefesse adlaboravit, notitiamque theologiæ latinæ suis operum Latinorum versionibus per Orientem vul-

1. *P. G.*, t. CLII, col. 1215-1284.
2. *Ibid.*, col. 253-280.
3. *Ibid.*, col. 249-252.
4. Cf. *P. G.*, t. CLI, col. 1283 sq.

gavit. Joanni V Palaeologo imperatori, Romam, anno 1369, proficiscenti, ut catholicæ fidei professionem coram Urbani papæ V legatis emitteret, comes adfuit, amicitiamque Romanorum adeo sibi conciliavit, ut illum Romæ retinere conati fuerint. Quibus restitit Demetrius ob patriæ miserandum statum, ne eam in adversis deserere videretur.

Multa et præclara scripsit, quorum major pars adhuc inedita est. Ejus scripta theologica in quatuor classes dividi possunt : 1° *Opera apologetica*, in quibus suæ ad catholicam Ecclesiam conversionis rationem reddit ; 2° *Opera polemica* contra Photianos et Palamitas ; 3° *Sermones* ; 4° *Operum latinorum versiones.*

### 1. Opera apologetica

Hujusmodi scripta omnia, præter duo, sunt inedita. Sunt autem :

1° *Narratio de propria conversione.* Incip. : Δέομαι πρὸς Θεοῦ. (*Vatic. græc. 1102*, fol. 55-76) ;

2° *Epistola anepigrapha de eodem argumento.* Incip. : Ἐγὼ σὲ πόρρωθεν ἄνδρα εἰδώς. (*Vatic. græc. 1879*, fol. 136-148).

3° *Epistola ad Isidorum Glabam de eodem argumento.* Edita a Boissonnade, *Anecdota græca nova*, Parisiis, 1844.

4° *Testamentum*, in forma epistolæ ad concives. (*Vatic. græc. 1102*, fol. 116-120).

5° *Sermo ad Joannem Cantacuzenum jam monachum.* Incip., Ἀνηνέγκαμεν, ὦ βασιλεῦ. Editus a Cammelli in *Byzantinisch-neugriechische Iahrbücher*, 1922, p. 68-76.

### 2. Opera polemica

Ex indice operum polemicorum nostri Demetrii delendi sunt duo tractatus hactenus ei vulgo tributi, et in *Patrologia græca* contenti, videlicet :

a) *De processione Spiritus Sancti, ad eos qui dicunt Filium Dei non esse de essentia Patris* : *P. G.*, t. CLXIV, col. 863-958 ; b) *De impiis dogmatibus Gregorii Palamæ* : *P. G.*, *ibid.*, col. 837-864 [1]. Ad eum vero pertinent :

1. Tractatus *de processione* pertinet ad Manuelam Calecam ; cf. infra, p. 482 ; qui vero adversus Palamam est, Niphoni monacho restituendus est. Hoc indicium multaque alia, quæ in hac nostra notitia de Demetrio Cydonio occurrunt, notis Joannis Mercati, bibliothecæ vaticanæ præfecti, nobiscum liberaliter communicatis, debemus.

1° *Tractatus de processione Spiritus Sancti ad quemdam amicum, qui de hoc argumento illum interrogaverat*, in XLII capita distributus. Ineditus est. In multis codicibus reperitur v. g., in *Vatic. græc. 1756*, et *Ottobon. græc. 60*; Incip., Ἐπὶ πολλῶν τῆς σῆς φιλομαθίας.

2° *Contra Cabasilam de processione Spiritus Sancti pro beati Thomæ Aquinatis defensione.* Ineditus. Invenitur in multis codicibus, v. g., in *Vatic. græc. 614*, fol. 110 sq. Incip., Ἡ μὲν κατὰ Λατίνων προθυμία.

3° *De processione Spiritus Sancti contra Maximum Planudem* (*Cod. Paris. 828* et *1270*). Excerptum apud Arcudium, *Opuscula aurea theologica circa processionem Spiritus Sancti*, Romæ, 1670, p. 617.

4° *Collectio scriptorum de controversia circa processionem Spiritus Sancti* (*Vatic. græc. 1115*).

5° *Epistola ad Joannem Cantacuzenum*, qui contra Prochorum, Demetrii fratrem, sermonem antirrheticum conscripserat. Incip. Ἐγὼ πολλῶν ἕνεκα. (*Vatic. græc. 101*, fol. 48ᵛ-49ᵛ).

6° *Epistola Prochori ad Philotheum patriarcham* (a Demetrio reapse conscripta). (*Vatic. gr. 678*, fol. 2-10). Incip., Ἔπλεον μὲν ὡς ὑμᾶς.

7° *Epistola ad Philotheum*, post mortem fratris Prochori scripta. (*Vatic. græc. 678*, fol. 1). Incip., Νῦν μόλις ἔργον.

8° *Contra Philotheum et pro defensione Prochori a Philotheo condemnati.* (*Vatic. græc. 678*, fol. 11-26). Incip., Θεὸς οἶδε βουλόμενόν με ἡσυχάζειν.

9° *Ad Asanem de quadam difficultate a Palamitis objectata circa mysterium Trinitatis.* (*Vatic. græc. 1102*, fol. 38-45).

10° Operibus polemicis adjici potest *Epistola ad Barlaamum de processione Spiritus Sancti*, de qua jam locuti sumus. Latine tantum asservatur, et in *P. G.*, t. CLI, col. 1283-1301, occurrit.

### 3. Sermones

Plures de rebus politicis orationes composuit Demetrius, quarum duæ sunt editæ in *P. G.*, t. CLIV. Habet præterea : 1° *Sermonem in S. Laurentium martyrem.* Incip., Οἱ σώφρονες τῶν ἐραστῶν; 2° *Sermonem in sanctum Demetrium martyrem;* 3° *Homiliam in Annuntiationem Deiparæ*, in qua doctrinam sancti Thomæ de Verbi Incarnatione optime con-

trahit, diserteque docet originalem sanctitatem B. Mariæ virginis [1]. ; 4° *Homiliam in Pentecosten.*

### 4. Operum latinorum versiones

De latino in græcum transtulit :

1° *Summam contra Gentiles* sancti Thomæ Aquinatis. Hæc versio, ex nota ipsius Demetrii ad calcem *Vatic. græc. 616* apposita, finita est anno 1355, die 24 decembris, hora post meridiem tertia.

2° *Summæ theologicæ* ejusdem *totam primam partem, primæ secundæ majorem partem, totam secundam secundæ;*

3° *Librum ad cantorem Antiochenum*, S. Thomæ;

4° *Opusculum de corpore et sanguine Domini*, S. Thomæ;

5° Opusculum ejusdem inscriptum : *In symbolum Apostolorum expositio.*

6° *Sententias Prosperi ex Augustino excerptas;* quæ sermonum S. Augustini excerpta 388 continent (In Cod. *Vatic. græc. 696* et *1096*). Item sermonem S. Augustini *in illud : Vado ad Patrem, (in cod. Vatic. græc. 1115).*

7° *Excerpta quinque ex libris sancti Augustini contra Julianum* (In iisdem codicibus).

8° *Soliloquia S. Augustini spuria.* Incip., 'Επιγνοίην σε, Κύριε », quæ, anno 1799, a Nicodemo Haghiorita edita sunt in suo opere : 'Επιτομὴ ἐκ τῶν προφητανακτοδαβιδιτικῶν ψαλμῶν.

9° *De fide ad Petrum sancti Fulgentii*, sub nomine sancti Augustini.

10° *De processione Spiritus Sancti*, sancti Anselmi.

11° Ejusdem *Epistolam ad Valerianum* (Walram) *de tribus quæstionibus, ac præsertim de fermentato et azymo.*

12° *Alcorani Confutationem Richardi*, Dominicani (*Ricoldi de Montecroce)* ; ex qua quædam fragmenta edita sunt. (Cf. *P. G.*, t. CLIV, col. 1075-1152).

13° *Genealogiam Domini nostri Jesu Christi Petri Pictaviensis* († 1205). Incip., Τὸ τῆς ἱερᾶς ἱστορίας κατανοήσας.

14° *Expositionem missæ cantatæ in Nativitate Christi secundum ritum ambrosianum.*

Insuper Demetrius quædam ad philosophiam spectantia

1. Hanc homiliam, de qua vide *Échos d'Orient*, t. XVII, p. 97 sq., proxime edituri sumus in *Patrologia Orientali.*

conscripsit, ex quibus notandus est tractatus : *De contemnenda morte*, pluries editus, et novissime in *P. G.*, *ibid.*, 1169-1212. Non minus quam 382 epistolas reliquit, quarum 48 tantum editæ sunt. Inter epistolas autem recensentur quidam tractatus theologici supra memorati. Collectio autographa harum epistolarum invenitur in bibliotheca vaticana. *Cod. Vatic. græc. 101. Cod. Urbin. 133* easdem habet manu Manuelis Calecæ exaratas.

### VI. — Prochorus Cydonius.

Prochorus Cydonius, Demetrii frater junior ac in impugnando palamismo socius, inter Athonenses hieromonachus vitam degit. A Palamitis multa perpessus est. In synodo palamitica anni 1368, Philotheus patriarcha illum excommunicavit [1]. Non multo post, e vita cessit; quem et viventem et mortuum Demetrius scriptis defendit. Difficile dictu est num catholicæ Ecclesiæ expresse nomen dederit.

Prochorus contra Palamitas scripsit :

1° *De divino lumine,quod in monte Thabor apparuit (Cod. Vatic. 678*, fol. 31-103). Incip., Ὅτι μὲν διττὸς ὢν ὁ τῆς θεολογίας τυγχάνει τρόπος.

2° *De essentia et operatione*, hactenus Gregorio Acindyno falso tributum; opus ex scriptis S. Thomæ concinnatum, cujus duo primi libri e sex editi sunt [2].

Fratris vestigiis inhærens, non pauca scripta latina græce vertit, inter quæ recensentur :

1° *Summæ theologicæ* sancti Thomæ *tertia pars*, saltem ex parte. Hujus versionis fragmenta inveniuntur in *cod. Vatic. 1102* ;

2° Ejusdem *Commentarium in Metaphysica Aristotelis* (saltem initium);

3° Ejusdem opusculum *De mundi æternitate.*

3° Ejusdem *De potentia et spiritualibus creaturis* (?)

4° *Excerpta commentarii* Hervæi Neldec ( †1323) *in libros Sententiarum;*

5° Boetii *De differentiis topicis;*

1. Cf. *tomum* synodi, *P. G.*, t. CLI, col. 693-716.
2. *P. G.*, t. CLI, col. 1192-1242.

6° S. Augustini *De libero arbitrio;*
7° Ejusdem *De vera religione;*
8° Ejusdem *De decem plagis et decem præceptis.*

### VII. — Joannes Cyparissiota.

Joannes Cyparissiota, sapiens dictus, qui circa finem sæculi XIV florebat, inter Gregorii Palamæ adversarios, post Nicephorum, Gregoram primas tenet. Contra Palamitas amplissimum conscripsit opus, cui titulus : *Palamiticarum transgressionum libri IV*, τῶν παλαμιτικῶν παραβάσεων λόγοι τέσσαρες. *(In cod. Paris. græc., 1246).*

Liber I quatuor constat dissertationibus (λόγοις), ex quibus duæ tantum, prima et quinta, editæ sunt[1]. Prima dissertatio, cui præmittitur introductio historica, est de novo Deo a Palama excogitato; secunda et tertia exponunt hæreses Palamæ tum proprias tum cum aliis communes; quarta demonstrat Ecclesiam palamiticam non esse veram Dei Ecclesiam.

Liber II octo habet dissertationes adversus Palamæ tomum ejusque novam fidem.

Liber III in octo puriter dissertationes distributus, Palamæ calumniis in orthodoxos respondet, omnemque de novatore considerationem aliquot quæstionibus complectitur.

Liber IV tribus tantum dissertationibus constans — quæ tamen mole reliquas multum superant; siquidem prima non minus quam LXXV capita habet — de anathematibus et exauctorationibus quotannis a Palamitis, Dominica Orthodoxiæ, in adversarios prolatis agit.

His quatuor libris adjungendus est quintus liber *in Nilum Cabasilam* (in *eodem codice Paris. 1246*), quinque habens dissertationes. « Tantæ molis unus hic liber est, ait Combefisius, ut unus ipse reliquis omnibus par prope videatur. » Teste ipso Cyparissiota, hic liber est ordine primus.

Aliud opus ejusdem auctoris inscribitur *De hæresibus*, περὶ αἱρέσεων, cujus meminit ipse in quarta dissertatione libri I[2]. Suspicamur tamen hunc librum non esse nisi secundam ejusdem primi libri dissertationem.

1. Combefis, *Auctarium novissimum*, t. II, 68-105, et *P. G.*, t. CLII, col. 633-738.
2. *P. G.*, *loc. cit.*, col. 721.

Tertium opus inscriptionem habet : *Expositio elementaria eorum, quæ de Deo a theologis dicuntur, in decem decades distributa*, Ἔκθεσις στοιχειώδης ῥήσεων θεολογικῶν. Est editum in integrum, sed latine tantum [1]. Theologiam exhibet de Deo uno et trino contra palamiticos errores, quos optime confutat.

### VIII. — Constantinus Harmenopulus († 1383).

Canonista Constantinus Harmenopulus, cujus compendium legum ἑξάβιβλος dictum, necnon *canonum Epitome* omnes norunt, inter Palamæ adversarios computandus est. Adversus eum enim duas conscripsit opellas, ab Allatio tanquam anonymorum fetus primum editas, in quibus paucis contrahit omnes hæreses et absurditates ex doctrina palamitica manantes [2].

Scripsit etiam dissertatiunculam *de opinionibus hæreticorum qui singulis temporibus exstiterunt* [3], et quamdam *fidei orthodoxæ confessionem* [4].

### IX. — Manuel Calecas († 1410).

De Manuelis Calecæ vita tantum scimus illum fuisse catholicæ fidei addictum, religiosum ordinis Prædicatorum in monasterio Peræ, prope Constantinopolim, et anno 1410 Mitylenæ mortuum fuisse.

Præcipuum ejus opus inscribitur : *De principiis fidei catholicæ* [5]. Est breve compendium theologiæ dogmaticæ, ubi sermo est de Deo uno et trino, de Verbo incarnato, de sacramentis et de novissimis.

Non pauca polemice conscripsit tum contra Photianos tum contra Palamitas; ex quibus hæc notanda :

1° *De processione Spiritus Sancti tractatus*, in XIII capita distributus, Demetrio Cydonio falso adscriptus [6].

1. *P. G.*, *ibid.*, 741-992.
2. Exhibentur in *P. G.*, t. CL, col. 864-876.
3. *Ibid.*, col. 19-29.
4. *Ibid.*, col. 29-32. Notandum, contra auctoris mentem, in prima Leunclavii editione, verba : καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα, fuisse interpolata.
5. *P. G.*, t. CLII, col. 429-662.
6. *P. G.*, t. CLIV, col. 863-968.

2° *Adversus Græcos libri quatuor*, latine tantum editi[1]. Tres primi libri de processione Spiritus Sancti tractant. Manuel antiquos Patres quum græcos tum latinos doctrinam catholicam docuisse diserte probat. In libro quarto, agit de additione ad symbolum necnon de aliis vulgatis dissidentium Græcorum criminationibus contra Latinos, scilicet de rasura barbæ, de jejunio sabbati, de azymis, de tempore retributionis post mortem, de Purgatorio, de schismate occidentali, quod tunc vigebat, de modo formandi crucis signum, tandem de primatu romani Pontificis.

3° Palamitas acriter impugnat et doctissime confutat in suo opere *De essentia et operatione*[2]. Suorum prædecessorum argumenta repetit. Difficile quippe erat aliquid novi de hac quæstione proferre.

Alia quædam scripta, quæ nondum sunt edita, composuit :

1° De *sancta Trinitate*, Περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος : Incipit : Τῶν παλαιῶν αἱρετικῶν ἦν, tractatum opulentissimum ab Allatio memoratum, *De consensione*, p. 855.

2° *Orationes theologicas*, λόγοι θεολογικοί. De sexta quædam profert Allatius, *Contra Creyghtonium*, p. 435.

### X. — Bessarion (1395?-1472)[3].

Bessarion, unus e præstantissimis viris qui sæculo XV floruerunt, theologus simul et philosophus eximius, Trapezunte circa annum 1395 natus est. Constantinopoli hieromonachus factus, primum in Peloponneso sacrum ministerium egit; postea, ad aulam Joannis VII Palæologi vocatus, anno 1437 Nicææ metropolita renuntiatus est; moxque una cum imperatore et aliis Græcis Italiam profectus, synodo Ferrariensi-Florentinæ interfuit. Et primum quidem, Græcorum photianorum partes tuitus est; deinde vero, doctrina Patrum tum græcorum tum latinorum diligentius perpensa, doctrinæque catholicæ veritate perspecta, unionis defensor

1. *P. G.*, t. CLII, col. 11-258.

2. *P. G.*, *ibid.*, col. 284-428.

3. De Bessarione vide art. in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. II, col. 801-807, ubi etiam bibliographiam de hoc percelebri theologo invenies. Ludovicus Mohler de Bessarione novam dissertationem edidit : *Cardinal Bessarion als Theologe, Humanist und Staatsmann*, Paderborn, 1923.

zelantissimus evasit, contra Marcum Ephesinum dogma catholicum propugnans, et suæ eruditionis opes cum Latiñis liberaliter communicans. Post decretum Florentinum, cui propria manu subscripsit, in Orientem reversus est; at plebe in unionis propugnatores a Marco Ephesino concitata, Romam perrexit, ubi ab Eugenio IV benigne exceptus est (1439), moxque cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ cum titulo XII Apostolorum creatus est.

Romæ, vitam studiosam egit, linguæ latinæ notitiam comparavit, pretiosamque bibliothecam collegit, quam suis præsertim gentilibus litteratis patere voluit. Sub Nicolas V (1447-1455), episcopus Sabinæ, postea urbis Frascatensis creatus est. Bononiam tanquam legatus a latere missus, per quinque annos hoc munere functus est. Nicolao V autem mortuo, parum abfuit quin in ejus locum ut romanus Pontifex eligeretur. Sub Callisto III (1455-1468) et Pio II (1458-1464), aliæ legationes ei commissæ sunt, quarum scopus erat, ut principes catholicos contra Turcas adunaret, novumque bellum sanctum in crucis inimicos pararet. A Pio II, anno 1464, Constantinopolitanus patriarcha renuntiatus est; qua occasione, epistolam encyclicam ad Græcos scripsit, ut illos ad unionem cum romana Ecclesia exhortaretur [1].

Sub Paulo II (1464-1471), litterarum studio totus incubuit, ab hac occupatione nullo externo negotio distractus. Eo tempore, suam locupletissimam bibliothecam Venetiarum civitati testamento legavit, suosque libros, anno 1468, illuc misit; qui bibliothecæ Marcianæ pretiosiorem partem adhuc constituunt. Hujus vero doni rationem ipse indicavit his verbis : *Cum enim in civitatem vestram omnes fere totius orbis nationes maxime confluant, tum præcipue Græci, qui e suis provinciis navigio venientes, Venetias primo descendunt.*

Paulo II mortuo (1471), iterum de Bessarione in papam eligendo cardinales cogitarunt. Bessarion, ut videtur, ætate jam fractus et libris totus deditus, onus declinavit. Sixtus IV (1471-1484) illum invitum ac reluctantem in Belgium et Galliam ut legatum misit. A Ludovico XI, Galliæ rege male exceptus, senio et tædio confectus, Ravennæ, die 18 novem-

1. Vide hanc epistolam in *P. G.*, CLXI, 449-480.

bris, anno 1472 obiit. Ejus corpus, Romam translatum, in basilica XII Apostolorum honorifice sepultum est.

Multa in utraque lingua conscripsit, ad theologiam præsertim et philosophiam spectantia. Præcipua ejus opera theologica sunt sequentia :

1° *Oratio de unione ineunda* [1];

2° *Oratio dogmatica de unione*, græce et latine ab ipso Bessarione, cum declaratione latine conscripta quorumdam, quæ in dicta oratione continentur [2]. In hac oratione, Bessarion, post præviam de causis schismatis investigationem, validis argumentis probat Patres græcos et latinos inter se consentire circa processionem Spiritus Sancti ;

3° *Refutatio Marci Ephesini* [3]. Hæc refutatio *Capitum Marci Ephesini de processione Spiritus Sancti* incipit tantum a capite XVIII. Jam enim XVII priora capita Georgius Scholarius junior et unioni addictus perstrinxerat.

4° *Apologia inscriptionum Vecci contra Palamam* [4];

5° *Responsio ad quatuor argumenta Maximi Planudæ de processione Spiritus Sancti a Patre solo* [5];

6° *De processione Spiritus Sancti*, cum procœmio latino ad Paulum II ,etiam latine ab ipso Bessarione [6]. Textus græcus ad Alexium Lascarim directus est, translatio vero latina ad Paulum II missa ;

7° *De sacramento Eucharistiæ, ex quibus verbis Christi corpus conficiatur*, latine tantum [7];

8° *In illud Joannis* (XXI, 22-23) : *Si eum volo manere donec veniam* [8], latine tantum. Erudite probat falsam esse lectionem Latinorum : Sic *eum volo manere.*

Quædam ejusdem opuscula theologica nondum edita sunt; inter quæ notanda sunt :

1° *De primatu papæ* [9].;

1. *P. G.*, CLXI, 531-542.
2. *P. G.*, *ibid.*, 543-614.
3. *Ibid.*, col. 137-244.
4. *Ibid.*, col. 243-310, una cum translatione latina ipsius Bessarionis.
5. *Ibid.*, col. 309-318.
6. *Ibid.*, col. 319-448.
7. *Ibid.*, col. 493-526. Græce exstat in codicibus.
8. *Ibid.*, col. 623-640.
9. Cf. Allatium, *De perpetua consensione*, p. 966.

2° *Professio fidei christianæ contra omnes hæreses*, in XXII capita divisa.

Innumeras epistolas scripsit ex quibus quædam tantum editæ sunt. Multæ de quæstionibus philosophicis et theologicis agunt.

Opus asceticum etiam concinnavit, quod inscribitur : *Compendium asceticorum S. Basilii* [1].

Ut philosophus, Bessarion Platonem Aristoteli præferebat, quamvis etiam hunc in magnam existimationem haberet. Contra injustas Peripateticorum detrectationes Platonem defendit in suis quatuor libris *Contra calumniatorem Platonis* [2]. Pleraque alia ejus scripta philosophica inedita sunt.

### XI. — Josephus, Methonensis episcopus († post 1498).

Joannes Plusiadenus, Cretensis, qui postquam episcopus Methonensis renuntiatus est, Josephi nomen sibi adscivit, primum quidem archypresbyter fuit in patria insula ; post synodum autem Florentinam, cujus decretis adhæsit, a Bessarione, ut videtur, episcopus Methonæ creatus est. Ex ejus scriptis quinque edita sunt, quæ omnia ad synodum Florentinam unionemque ecclesiasticam in ea renovatam spectant, scilicet :

1° *Dialogus de differentiis inter Græcos et Latinos et de sacrosancta synodo Florentina* [3]. Hic dialogus, cujus personæ numero septem sunt, mira vivacitate scriptus est, lectuque perjucundus.

2° *Refutatio libelli Marci Ephesini de synodo Florentina* [4]. Arguit Marcum quod ille sua argumenta à Photio, Psello, Phurnesio, Camatero, Moschabare, Gennadio Bulgariæ archiepiscopo, Nicolao Methonense, Panareto, Cabasila, Palama aliisque dogmatis photiani propugnatoribus mutuatus fuerit.

3° *Canon in synodum Florentinam* [5].

4° *Synaxarium synodi Florentinæ* [6]. Est pars ejusdem officii in synodum Florentinam.

1. Index et prologus tantum in *P. G.*, *ibid.*, col. 525-532.
2. Hoc opus Venetiis editum est, anno 1503 .
3. *P. G.*, t. CLIX, col. 959-1024.
4. *Ibid.*, col. 1024-1094.
5. *Ibid.*, col. 1095-1102.
6. *Ibid.*, col. 1102-1106.

5° *Apologia pro sancta et œcumenica synodo Florentina et defensio quinque capitum, quæ in decreto ejus continentur* [1]. Argumentis selectis Photianos dilucide confutat circa quinque capita controversa, scilicet processionem Spiritus Sancti, usum azymorum, Purgatorium, beatitudinem animarum post mortem et papæ primatum.

Josephus theologiam latinam operaque Patrum latinorum quos sæpe laudat optime noverat. Inter ejus opera inedita recensentur : 1° *Libellus adversus schismaticos Cretenses;* 2° Quædam *epistola de caritate;* 3° *Collectio* LII *homiliarum quadragesimalium* dialecto Græcorum communi conscriptarum [2].

### XII. — Gregorius Mammas († 1459).

Gregorius cognomento Mammas (τῆς Μάμμης), Melissenus quoque et Strategopulus dictus, primum monachus, deinde, dignitate protosyncelli et pœnitentiarii patriarchæ Constantinopolitani insignitus, interfuit synodo Florentinæ, ubi una cum Antonio, Heracleensi metropolita, patriarchæ Alexandrini vices gessit. Decreto unionis subscripsit, et in recta fide usque ad mortem permansit. Anno 1443, patriarcha Constantinopolis invitus renuntiatus est, nomenque Gregorii III sumpsit. Anno 1451, sive injuste pulsus, sive sponte secedens, Romam confugit, atque anno 1459, cum sanctitatis opinione ibidem supremum diem obiit. Schismaticorum iram in se concitavit, multaque ab eis perpessus est, ita ut Georgius Trapezuntius illum tanquam confessorem et martyrem celebraverit. Græci scriptores tradunt eum urbis excidium prædixisse. Unionem Ecclesiarum Florentiæ pactam contra adversariorum molimina calamo acerrime propugnavit.

Ex ejus scriptis tria sunt edita :

1° *Apologia contra Marci Ephesii confessionem* [3], a J. Hergenröther primum typis mandata. Hæc apologia non est

1. *Ibid.*, col. 1109-1394. Hæc *Apologia* a quibusdam Georgio Scholarico falso adscripta est.

2. Asservantur in *cod. Vat. græc. 670* et in *cod A. I. 8* Bibliot. Bononiensis. De Josepho Methonensi vide articulum L. Petit in *Dictionnaire de théologie catholique,* t. VIII, col. 1526-1530.

3. *P. G.*, t. CLX, col. 13-110.

confundenda cum *Refutatione capitum syllogisticorum Marci Ephesii*, a Georgio Scholario, statim post unionem Florentinam composita et usque ad caput XVII perducta, de qua supra locuti sumus [1].

2° *Apologia adversus ejusdem Marci epistolam encyclicam* [2].

3° *Epistola ad imperatorem Trapezuntis de additione facta in symbolo* [3].

Hæc dogmatis catholici apologiæ optimæ sunt notæ, sophismataque Photianorum perspicue solvunt.

Dissertationes etiam scripsit de azymis, de beatitudine sanctorum necnon de primatu papæ, ut ipse testatur in capite vigesimo *Apologiæ contra Marci Confessionem*, quæ nondum editæ sunt, et in codicibus quærendæ.

### XIII. — Maximus Chrysoverga et Esaias Cyprius.

Maximus Chrysoverga, natione Græcus, fide catholicus, professione religiosa Dominicanus, circa finem sæculi XIV et initio sæculi XV florebat. Cum suis gentilibus de capitibus controversis non semel disputavit, illosque totis viribus ad unionem irenice adhortabatur. Ejus opellam *de processione Spiritus Sancti*, ab Allatio primum editam, in *Patrologia græca* invenies [4].

Esaias Cyprius, qui sub Joanne VII Palælogo vivebat, fidem catholicam item profitebatur. Adversus quemdam Nicolaum Sclengiam brevem scripsit epistolam *de processione Spiritus Sancti* [5], in qua provocat ad textum Apocalypsis, c. XXII, 1, ut probet processionem Spiritus Sancti ab *utroque;* quod jam antea fecerant quidam theologi latini.

### XIV. — Georgius Trapezuntius († 1485)

Georgius Trapezuntius, in Creta insula, anno 1396, natus sed ex familia Trapezuntina oriundus, majorem vitæ suæ partem in Italia transegit, ubi litteras et philosophiam Græcorum docuit. Eugenii IV (1431-1447) et Nicolai V (1447-1455) secretarius fuit. Violentas lites habuit cum humanistis

1. Vide p. 463.
2. *P. G., ibid.*, col. 111-204.
3. *Ibid.*, col. 205-248.
4. *P. G.*, t. CLIV, col. 1217-1230.
5. *P. G.*, t. CLVIII, col. 971-976.

coævis de Quintiliano rhetore, et præsertim de Platone. Jussu Nicolai papæ V, multa opera græca in latinum transtulit. Ejus autem versiones, celerius factæ, non raro a textu originali discrepant. Romæ, anno 1485 (vel 1486) obiit.

Præter numerosa scripta ad rhetoricam et philosophiam spectantia operumque græcorum in latinum translationes, Georgius duo opuscula theologica de processione Spiritus Sancti contra Photianos composuit. Primum, ad Joannem Cuboclesium missum [1], dissidentium sophismata optime confutat, et perspicuis rationibus dogma catholicum explanat. Alterum inscribitur : *De processione Spiritus Sancti et de una, sancta et catholica Ecclesia* [2], in quo auctor tractat etiam de primatu et infallibilitate romani Pontificis.

Ejusdem duæ epistolæ editæ sunt, una *ad Joannem Palæologum imperatorem* [3], qua hunc ad unionem vehementer adhortatur; altera *ad Eugenium papam IV* [4]. latine scripta anno 1435, in qua de sua ad fidem catholicam conversione mentionem facit.

Notanda est insuper ejus dissertatio in textum Evangelii Joannis : *Sic eum volo manere donec veniam*, etc., in qua Bessarionis sententiæ contradicens, et lectionem Vulgatæ latinæ retinens, contendit S. Joannem Evangelistam nondum esse mortuum [5].

### XV. — Joannes Argyropulus.

Constantinopoli, nobili ex genere natus, Joannes Argyropulus, Georgii Trapezuntii instar, philosophiam et græcas litteras primum Romæ, Florentiæ deinde docuit. Sicut et ille, humanistæ et philosophi nomen præclarissimum sibi acquisivit. Aristotelis complures libros latine vertit, sed ejus translationes neque fidelitate neque elegantia emicant.

Opellam theologicam conscripsit, in qua illam decreti Florentini partem quæ de processione Spiritus Sancti est, explanat [6], et secundum Scholasticorum rationem catholicam doctrinam dilucide exponit.

1. *P. G.*, t. CLXI, col. 769-828.
2. *Ibid.*, col. 829-868.
3. *Ibid.*, col. 895-908.
4. *Ibid.*, col. 889-894.
5. *Ibid.*, col. 867-882.
6. *P. G.*, t. CLVIII, col. 991-1008.

## NOTA

### De oratoribus hujus secundæ periodi.

Præcipui hujus periodi oratores qui controversiis coævorum, scriptis saltem, non se immiscuerunt, sunt sequentes :

1° Glykys Joannes, patriarcha Constantinopolitanus (1316-1320), qui collectionem homiliarum dominicalium reliquit nondum editam (cf. *Cod. Paris. 1210*).

2° Cyrillus Cyzicensis, qui in primo dimidio sæculi XIV florebat. Sub ejus nomine adest homiliarum collectio in *Cod. Barocc. 25* Bibliothecæ Bodleianæ.

3° Macarius Chrysocephalus (circa annum 1350), cujus homiliæ XIV, Vindobonæ, anno 1794, editæ sunt, In *P. G.*, non occurrunt nisi una homilia de *crucis inventione*, et alterius fragmenta, t. c, col. 231, 235.

4° Isidorus Glabas, metropolita Thessalonicensis, qui non paucas homilias conscripsit nondum editas, præter quatuor mariales ab A. Ballerini in sua *Sylloge Monumentorum de conceptione immaculata B. Mariæ virginis* primum publicatas et in *P. G.*, t. CXXXIX, col. 12-134, denuo impressas.

# SECTIO SECUNDA

## HISTORIÆ THEOLOGIÆ GRÆCO-RUSSICÆ EPOCHA MODERNA

### Divisio.

Post Constantinopolim a Turcis captam, theologia dogmatica apud Græcos magis ac magis senescit, et pessum abit. Sicut in præcedenti epocha, polemicis concertationibus potissimum indulget, eodemque simultatis spiritu in Latinos imbuta deprehenditur. Influxus autem theologiæ occidentalis, qui jam in ultima periodo imperii byzantini multum creverat, inde a sæculo XVI præpotens evadit. Græci enim, cum scholæ theologicæ in Oriente desint, Universitates atque gymnasia regionum occidentalium frequentant. Porro, alii apud Catholicos pergunt, apud Protestantes alii. Unde ex hoc tempore, quasi triplicem classem theologorum habemus. Prima est eorum qui nihil fere ab Occidente mutuantur, atque antiquæ theologiæ byzantinæ vestigiis inhærent; quos « conservatistas » vel rigidos « orthodoxos » vocare possumus. Secunda classis est *Latinophronum*, seu eorum qui sententias catholicas in multis amplectuntur. Tertia demum est eorum, qui doctrinis Reformatorum plus minusve favent. Hic duplex influxus theologiæ catholicæ et theologiæ protestanticæ per totam epocham modernam usque ad hodiernum diem, deprehenditur. Modo influxus catholicus, modo protestanticus prævalet.

Cum autem inde a sæculo XVI, Kiovienses et Moscovitæ propriam theologiam habere incipiant, separatim nobis agendum erit de theologia græca et de theologia russica.

Historiam theologiæ græcæ in quatuor periodos dividimus:

Prima periodus currit ab anno 1500 usque ad primum patriarchatum Cyrilli Lucaris (1612);

Secunda, a primo patriarchatu Lucaris ad synodum

Constantinopolitanam, anno 1723 habitam, sub Jeremia III, in qua nova Ecclesiæ russicæ constitutio a Petro Magno introducta solemniter approbata est.

Tertia, ab anno 1723 usque ad constitutionem Ecclesiæ autocephalæ regni hellenici (1833);

Quarta demum, ab anno 1833 usque ad hodiernum diem [1].

Ad historiam autem theologiæ russicæ quod attinet, eam in tres periodos dividemus :

Prima periodus : ab exordiis religionis christianæ apud Russos usque ad suppressionem patriarchatus;

Secunda periodus : a patriarchatu suppresso usque ad annum 1836;

Tertia periodus : ab anno 1836 usque ad hodiernam diem.

Hujus divisionis rationes ex infra dicendis patebunt.

1. Circa historiam theologiæ græcæ modernæ consulendi sunt sequentes auctores : 1° Philipp Meyer, *Die theologische Litteratur der griechischen Kirche im sechzehnten Jahrhundert*, Lipsiæ, 1899; 2° Émile Legrand, *Bibliographie hellénique*, 4 volumina pro sæc. xv-xvi; 5 vol. pro sæcul. xvii; opus continuatum a Lud. Petit-H. Pernot, *Bibliographie hellénique du XVIII^e siècle*, t. 1; 3° A. Demetrakopulus, Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, Lipsiæ, 1872; 4° C.-N. Sathas, Νεοελληνικὴ φιλολογία, Athenis, 1868 (scatet erroribus); 5° G. I. Zaviras, edit. G. Kremi, Νέα Ἑλλὰς ἢ Ἑλληνικὸν θέατρον., Athenis, 1872; 6° Quædam etiam habet A. Palmieri, *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. 1, passim; 7° *Dictionnaire de théologie catholique Vacant-Mangenot-Amann*, in quo eduntur articuli de præcipuis theologis græco-russis.

# CAPUT PRIMUM

## THEOLOGIÆ GRÆCÆ PRIMA PERIODUS (1500-1612)

In hac prima periodo, theologia polemica contra Latinos primas tenet; sub finem vero sæculi XVI, Græci cum Protestantibus digladiari incipiunt. Cæterum, quamquam theologi hujus temporis Latinis infensissimi sunt; non pauca tamen a theologia occidentali mutuantur, siquidem plerique eorum in Universitatibus Italorum theologiæ studuerunt.

Impetibus polemicis contra catholicam Ecclesiam ansam præbuerunt conatus missionalium catholicorum, præsertim Jesuitarum, ad tollendum schisma tum in Oriente, tum in Poloniæ regno. Anno 1595, Rutheni, in synodo Brestensi, catholicæ fidei publice adhæserunt. Græci dissidentes primum ad impediendam, ad evertendam postea hanc unionem multum adlaborârunt. Metropolis enim Kioviensis, tunc temporis, patriarchatui Constantinopolitano adhuc subjecta remanebat.

Præcipui theologi qui in hac periodo occurrunt, sunt : Manuel Corinthus, Maximus Haghiorita, Pakhomius Rhusanus, Damascenus Studita, Manuel Malaxus. Jeremias II, patriarcha Constantinopolitanus, Meletius Pigas, Maximus Margunius, Gabriel Severus, Maximus Peloponnesius.

### I. — Manuel Corinthius († 1551).

Manuel, Corinthi natus, unde et Corinthius et Peloponnesius cognominatur [1], primo dimidio sæculi XVI florebat. Fuit magnus Rhetor et chartophylax Magnæ Ecclesiæ

1. Vocatur etiam Galesiotes. Quidam auctores eum cum Manuele Holobolo, qui sæculo XIII-XIV vivebat, confuderunt. Cf. Papadopulos-Kerameus, in periodico : Ἐπετηρὶς τοῦ Παρνάσσου, t. VI, Athenis, 1902, p. 73 sq.

Constantinopolitanæ. Septem opuscula theologica composuit, ex quibus quatuor edita sunt, scilicet :

1° *Apologia et refutatio capitum Fratris Francisci, Ordinis Prædicatorum* : Ἀπολογία καὶ ἀνατροπὴ τῶν κεφαλαίων τοῦ Φρᾶ Φραντζέσκου. In hoc opusculo, auctor disserit de diversis capitibus inter Græcos et Latinos controversis [1].

2° *De morte Christi : Sermo in quo demonstratur quando caro Domini divinitatis gloria donata est* : Λόγος ἀποδεικτικὸς πότε τεθέωται ἡ τοῦ Κυρίου σὰρξ, καὶ πῶς νοητέον « δεδόξαστται » [2].

3° *Liber de Marco Ephesio deque rebus in synodo Florentina gestis, necnon adversus Gemistum Plethonem et Bessarionem impiorumque eorum librorum refutatio* [3]. Hæc longa inscriptio non parum fallax; auctor siquidem de Marco Ephesio deque synodo Florentina fere nihil dicit, et totus est in redarguendis Plethone et Bessarione de eorum placitis philosophicis.

4° *Sermo de nutu divinæ voluntatis, ad cantorem Gerasimum hieromonachum*, λόγος περὶ τοῦ θεαρχικοῦ νεύματος, seu interpretatio troparii *sticheri* pro festo Assumptionis, quod incipit : Θεαρχίκῳ νεύματι. Editus est ab Arsenii, anno 1884, in *Lectionibus Societatis amicorum culturæ religiosæ*,

Opuscula inedita tractant : unum *de Purgatorio* [4]; alterum *de processione Spiritus Sancti contra Latinos* [5]; tertium est *refutatio opusculi Gemisti Plethonis de processione Spiritus Sancti* [6].

### II. — Maximus Haghiorita, Græcus dictus († 1556).

Maximus, quem Russi Græcum vocant, Artæ, anno 1480, natus est. Sicut multi ex suis gentilibus, patriam, studiorum

1. Hoc opusculum ex parte tantum edidit Stephanus Le Moyne, Lugduni Batav., 1685. Hanc editionem exhibet, *P. G.*, t. CXL, col. 471-482. Archimandrita Arsenii integrum illud publicavit, anno 1889, in *Lectionibus Societatis amicorum culturæ religiosæ*, in *Supplemento*, p. 71-97.

2. Hoc opusculum edidit etiam Arsenii, *ibid.*

3. Editum ab eodem Arsenio in *Khristianskoe Tchtenie*, 1886, t. II, p. 102-162, et iterum a L. Petit, in *P. O.*, t. XVII, p. 491-522.

4. Asservatur in *cod. Paris. 1293*, fol. 254-263.

5. Titulus est : Εἰς δύο συλλογισμοὺς λατινικοὺς ἀποδεικνύντας καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα, ἀνασκευαστικὸς μὲν αὐτῶν, κατασκευαστικὸς δὲ ὅτι ἐκ μόνου τοῦ Πατρός. Invenitur in multis codicibus.

6. Βιβλίον κατὰ τοῦ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος Πληθωνικοῦ συγγράμματος.

causa, reliquit; et primum quidem Parisiis, Florentiæ et Venetiis studuit; postea vero in Athonensi monasterio Vatopedii monachus factus est. Anno 1518, rogante Russiæ principe Basilio III Ivanovitch, a Theolepto I, patriarcha œcumenico, in Russiam missus est. Mox bibliothecæ regiæ Mosquensis præfectus, codicum catalogum ordinavit, multaque opera græca in dialectum Russorum vel in slavicam transtulit. Opuscula non pauca ipse conscripsit tum contra Judaizantes et astrologos, tum præsertim contra Latinos, ex quibus hæc notanda sunt : 1° *Libellus contra fallax scriptum Nicolai Niemtchin*, qui epistolam de Ecclesiarum unione conscripserat, ubi eamdem esse fidem Græcorum atque Latinorum affirmaverat; 2° *Laudatio in apostolum Petrum et contra latinas hæreses tres*, scilicet usum azymorum, Purgatorium et processionem Spiritus Sancti; 3° Duo alia opuscula contra Latinos; 4° Opus inscriptum *Lutsidarius*, in quo confutat scriptum Honorii Augustodunensis cui titulus : *Elucidarium sive dialogus de summa totius christianæ theologiæ*. Confutat autem theologum latinum, pleraque ab eo furando. Hoc opus primum edidit Tikhonravov in *Annalibus litteraturæ russicæ et antiquitatum*, Mosquæ, 1859.

Maximo cum honore a Russis primum exceptus, postea ut hæreticus Basilio denuntiatus est, quia libros liturgicos russicæ Ecclesiæ corrigere tentaverat; unde in diversa monasteria inclusus vitam degit, donec in monasterio S. Trinitatis, anno 1556, animam efflavit. Quem vero tanquam hæreticum prius Russi damnaverant, postea in album sanctorum retulerunt. Cæterum, hic Græcus nefarium influxum in Russos habuit, eisque odium in catholicam Ecclesiam quum suis operum Græcorum versionibus tum propriis elucubrationibus instillavit [1].

### III. — Pachomius Rhusanus.

Monachus hic peregrinabundus, Zacynthi, anno incerto natus et mortuus, Græciam et Italiam perlustravit, et tum

1. Maximi Græci opera ediderunt Russi, 3 vol., Kazanii, 1859-1862. In *Bessarione*, an. 1912, p. 54-79 et 379-384, editum est opusculum polemicum Maximi *de processione Spiritus Sancti et de additione ad symbolum : Un'opera polemica di Massimo il Greco tradotta in latino da Giorgio Krijanitch.*

theologiæ tum grammaticæ operam dedit. Plurium dissertationum dogmaticarum et polemicarum auctor fuit, ex quibus duas contra hæresim Kartanitarum [1] edidit Mingarelli [2]. Theologiæ polemicæ contra Latinos etiam indulsit, et de processione Spiritus Sancti duos libellos conscripsit, qui manuscripti remanserunt, sicut et pleraque alia ejus opera [3].

### IV. — Damascenus Studita († 1577).

Thessalonicæ natus, Litæ et Rendinæ primum episcopus, et postea, juxta quosdam, etiam Naupactæ et Artæ metropolita fuit. Ejus præcipuum opus theologicum, apud Græcos modernos vulgatissimum, collectio est homiliarum triginta sex, cui titulus : *Thesaurus*, Θησαυρός, Venetiis anno 1570 edita, et exhinc ad nostra usque tempora, pluries typis mandata. In quadam homilia in festum Annuntiationis, Damascenus negat conceptionem immaculatam B. Mariæ virginis [4].

### V. — Manuel Malaxus.

Hujus Malaxi, qui in secundo dimidio sæculi XVI vivebat, mentionem hic facimus ob ejus translationem *Nomocanonis* in vulgarem Græcorum dialectum. In hoc opere, præter antiquos canones, collecta inveniuntur documenta quædam mira et notanda. Nomocanon Malaxi apud Græcos modernos sæpe memoratur [5]. Ejusdem versio *Patriarchalis Historiæ Constantinopolis* in vulgarem dialectum edita est a Martino Crusio græce et latine [6].

1. Kartanitæ, ex Joannicio Kartano, hieromonacho sæculi XVI, nuncupati, miras quasdam et ridiculas sententias de Deo, de angelis, de primo hominis statu, de Incarnatione, etc., docebant. Vide harum compendium apud Satham, *op. cit.*, p. 148-149.

2. *Græci codices manuscripti apud Nanios patricios Venetos asservati*, Bononiæ, 1784.

3. Catalogum horum operum vide apud Satham, *op. cit.*, p. 151-152.

4. Edit. Athen., 1893, p. 5-6.

5. Ex prolixiori titulo hujus operis sufficiat hæc transcribere : Νόμιμον συλλεχθὲν ἐκ διαφόρων ἀναγκαίων κανόνων τῶν θείων καὶ ἱερῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἁγίων οἰκουμενικῶν συνόδων τῶν θεοφόρων πατέρων καὶ ἑτέρων ἁγιωτάτων ἀρχιερέων, καί τινων νεαρῶν βασιλικῶν νόμων καὶ ἄλλων τινῶν, μεταφρασθὲν εἰς κοινὴν φράσιν.

6. *Turco-græcia*, p. 107-184.

### VI. — Jeremias II, patriarcha Constantinopolitanus († 1595).

Jeremias II Tranus, Anchiali, circa annum 1530, natus, primum Larissæ metropolita, postea ter patriarcha Constantinopolis (1° : 1572-1579; 2° 1580-1584; 3° a die 4 julii 1589 ad annum 1595), theologi famam sibi comparavit tribus suis responsis ad theologos Reformatos Germaniæ, qui unionem Lutheranorum cum Ecclesia græca dissidenti perficere conati sunt. Ut videbimus infra, hæc tria responsa inter libros symbolicos Ecclesiæ græco-russicæ a quibusdam recensentur; unde de singulis pauca nobis dicenda.

Qui jam ab anno 1559 de unione cum Græcis cogitabant, theologi lutherani Wittenbergenses et Tubingenses tandem anno 1575 Jeremiæ II *Confessionem Augustanam* græce redditam per Gerlachium obtulerunt. Patriarcha, post annum, nempe die 15 maii anni 1576, responsum dedit XXI capitibus constans, quibus declarationes quædam circa abusus a Protestantibus notatos necnon circa vota monastica adjunctæ erant. In hisce capitibus, plerosque Reformatorum errores diserte refellit Jeremias, nec ab impugnandis quibusdam doctrinis et consuetudinibus Ecclesiæ catholicæ abstinet.

In hoc primum responsum germani theologi, inter quos eminebant Martinus Crusius, Jacobus Andreæ et Lucas Osiander, tractatum conscripserunt, quem nonnisi anno 1578 Jeremias legere potuit. Anno sequenti, suum secundum responsum ad Reformatos misit, in quo de processione Spiritus Sancti, de libero arbitrio, de justitia fidei et bonis operibus, de sacramentis, de sanctorum invocatione eorumque imaginibus necnon de monastica vita sermo erat. Rursus patriarcha græcus Reformatorum hæreses carpebat, et fidem Ecclesiæ suæ sine ulla dissimulatione vel imminutione exponebat.

Hæc secunda responsio Lutheranorum animum non fregit; qui, anno 1580, longam dissertationem de principio liberi examinis circa sacrarum Scripturarum interpretationem necnon, de processione Spiritus Sancti, de justitia fidei et bonis operibus, de singulis sacramentis, de sanctorum cultu et invocatione Jeremiæ transmiserunt. Huic prolixiori instantiæ responsum admodum breve, anno 1581 datum, patriarcha opposuit, theologos Reformatos in fine rogans.

ut a litterarum commercio de quæstionibus theologicis in posterum abstinerent : « Vestram, inquit, sequamini viam ac de dogmatibus ne amplius nobis scribatis, sed amicitiæ tantum causa. » Ita hoc primum tentamen unionis inter Reformatos et Græcos dissidentes infelicem omnino exitum habuit.

In conscribendis suis responsis, Jeremias Zigomalas duos, Joannem scilicet et Theodosium ejus filium, aliosque adjutores habuit; qui omnes e suo penu fere nihil protulerunt, sed tum e sanctis Patribus, tum ex recentioribus theologis byzantinis, nempe ex Nicolao Cabasila, Symeone Thessalonicensi, Josepho Bryennio et Gabriele Severo pleraque deprompserunt, et ad verbum non semel transcripserunt.

De responsis Jeremiæ Protestantes altum servarunt silentium, donec celeberrimus orator polonus, Stanislaus Sokolovius, accepto per archimandritam græcum Theoleptum textu originali primi responsi Jeremiæ, hujus versionem latinam, Cracoviæ, anno 1582, edidit sub hocce titulo : *Censura orientalis Ecclesiæ de præcipuis nostri sæculi hæreticorum dogmatibus.* Tunc et ipsi editionem completum documentorum ad suum cum patriarcha œcumenico de unione litterarum commercium spectantium, græce et latine, Witenbergæ, anno 1584, in lucem produxerunt. Hanc editionem, paucis exceptis et ordine documentorum mutato, iterum typis mandavit Gedeon Cyprius, hieromonachus hierosolymitanus, Lipsiæ, anno 1758 [1]. Sola responsa Jeremiæ J. Mesoloras suo operi : Τὰ συμβολικὰ βιβλία, Athenis, 1883, t. I, p. 124-264, inseruit, introductione historico-dogmatica præmissa.

Pacificum et amicum erga catholicos animum aliquando ostendit Jeremias, verum specie potius quam re vera. Nec novum kalendarium a Gregorio papa XIII emendatum recipere unquam consensit; imo hanc emendationem non semel

1. Βιβλίον καλούμενον « Κριτὴς τῆς ἀληθείας, » διηρημένον εἰς τόμους δύο, Lipsiæ, litteris Breitkopfiis, 1759. Primus tomus continet duas epistolas Lutheranorum ad Jeremiam, unam Jeremiæ ad Lutheranos, ejusdemque tria responsa. Tomus alter exhibet Confessionem augustanam et responsa Lutheranorum ad responsa Jeremiæ. De *Responsis* Jeremiæ eorumque valore dogmatico, cf. Ph. Meyer, *op. cit.*, p. 87-100; A. Palmieri, *op. cit.*, p. 453-463 et infra, p. 680.

synodice condemnavit, et populis sibi subjectis interdixit [1]. Anno 1588, Russiam et Mosquam usque profectus, dum sedem patriarchalem non amplius tenebat, a ministro tsari Feodori, Bori Godunof, sollicitatus est, ut patriarchatum russicum Mosquæ institueret. His precibus, initio anni 1589, ex-patriarcha noster tandem cessit, et die 26 Januarii Jobus metropolita Mosquensis coram Jeremia, plaudente Russorum clero et omni populo, titulo patriarchæ decoratus est; cui Jeremias tertium post Alexandrinum præsulem locum promisit. Huic tamen promisso stare postea non potuit, ob patriarcharum orientalium propriorumque metropolitarum reluctantiam, qui novo Russorum patriarchæ quintum locum assignaverunt [2].

### VII. — Meletius Pigas († 1601).

Meletius Pigas, in Creta insula natus, gymnasii Patavini alamnus fuit. In patriam reversus, monasticum habitum induit, officioque prædicatoris et magistri inter suos concives functus est, donec Alexandriam appulsus, patriarchæ Sophronii protosyncellus renuntiatus est. Anno 1590, ipsi Sophronio in patriarchalem sedem successit, totisque viribus adlaboravit, ut suos gentiles Ruthenosque ab unione cum Ecclesia catholica averteret. Ex ejus scriptis polemicis adversus catholicos tria typis mandata sunt, scilicet :

1° *De primatu papæ sub forma epistolarum*, περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα ὡς ἐν εἴδει ἐπιστολῶν. Hoc opus constat quatuor epistolis, ex quibus tres ad Ruthenos regni Poloniæ diriguntur, quarta ad « Orthodoxos » insulæ Chio. In his, Meletius potissimum quidem de primatu Papæ agit, at tangit etiam alia puncta controversa, videlicet Spiritus Sancti processionem, communionem sub utraque specie, Purgatorium, jejunium sabbati, azymum. Nicodemus Metaxas has epistolas Constantinopoli publicavit, anno 1627, una cum aliis aliorum scriptis polemicis.

2° *Orthodoxus christianus* seu *Orthodoxa doctrina*, editum primum Vilnæ, anno 1596, iterum Iasii, anno 1769. Formam præ se fert dialogi inter magistrum et discipulum. In hoc

1. Cf. de hoc novi Kalendarii negotio, quæ nuper scripsit L. Petit in artic. *Jérémie II, Dictionnaire de théologie catholique*, t. VIII, col. 889-892.
2. L. Petit, *ibid.*, col. 892-894.

opere, auctor de processione Spiritus Sancti, de pœnitentia et de Purgatorio fuse disserit.

3° *De vera catholica Ecclesia necnon de genuino et vero ejus capite, et de principatu Papæ romani*, anno 1585 compositum, et a Dositheo in *Tomo gaudii*, p. 553-669 editum. Hoc opus Agathangelus Nikolakis, Caneæ, anno 1908, iterum typis mandavit una cum epistolis Meletii ad suos concives.

Renaudotius ejusdem epistolas duas, in quibus dogma transsubstantiationis diserte asseritur, in suo opere : *Gennadii homiliæ de sacramento Eucharistiæ*, etc., p. 100-150, anno 1709, publicavit [1].

### VIII. — Maximus Margunius († 1602) [2].

Maximus Margunius, et ipse Cretensis gymnasiique Patavini alumnus, in patria atque Venetiis vitam egit, antequam Cytheri insulæ episcopus, anno 1585, renuntiaretur. Propter sua scripta de processione Spiritus Sancti, in quibus doctrinæ catholicæ quadamtenus suffragari videbatur, a Gabriele Severo, Philadelphiensi metropolita, heterodoxiæ accusatus. apologiam texuit, quam, anno 1592, ad synodum Constantinopolitanam misit [3]. Quamvis ad unionem cum Catholicis propensus esset, ejus scripta a sana doctrina in quibusdam discrepabant; unde a Sacra Inquisitione romana bis fuit requisitus.

Tria opuscula scripsit de processione Spiritus Sancti, quorum duo prima inedita sunt, scilicet :

1° *De processione Spiritus Sancti libri tres ad patriarcham Jeremiam* (anno 1583 conscriptum);

2° *De processione Spiritus Sancti libri duo ad Petrum Valachiæ principem* (anno 1584 scriptum);

3° *Enchiridion sub forma epistolæ ad Jeremiam patriarcham.*

1. Epistolæ Meletii Pigæ ab E. Legrand editæ *(Lettres de Mélèce Pigas antérieures à sa promotion au patriarcat*, Paris, 1902) ad theologiam vix referuntur. De Meletio integrum volumen conscripsit Russus Malychevskii, *Meletius Pigas ejusque interventus in negotiis russicæ Ecclesiæ*, Kioviæ, 1872. Alias indicationes bibliographicas invenies apud Palmieri, *Theologia orthodoxa*, t. II, p. 109.

2. De vita et scriptis Margunii vide E. Legrand, *Bibliographie hellénique des XV^e-XVI^e siècles*, t. II, p. XXIII-LXXVII.

3. Hanc *Apologiam* refert Legrand, *ibid.*, p. XLVII-LV.

Hoc ultimum editum est primo Francofurtii, anno 1591, secundo Constantinopoli, anno 1627, a Nicodemo Metaxa [1].

Margunius auctor est etiam *Brevis tractatus de consiliis atque præceptis evangelicis*, anno 1602, Venetiis editi, contra eos qui non distinguebant inter præcepta et consilia, et contendebant utraque esse adimplenda ad salutem consequendam.

Duo opuscula polemica ejusdem, unum in Jesuitas, in Franciscanos alterum, inedita remanserunt [2].

### IX. — Gabriel Severus (1541-1616).

Gabriel Severus, Monembasiæ, anno 1541, natus, gymnasii Patavini alumnus fuit. In Creta insula, ubi sacerdotio auctus est, aliquamdiu degit, et inde ab anno 1572, primum ut ecclesiæ sancti Georgii parochus, deinde titulo metropolitæ Philadelphiæ decoratus, Venetiis moratus est. Lesinæ, in Dalmatia, dum pastorale munus obibat, anno 1616 mortuus est. Opuscula quædam theologica conscripsit, quibus theologis occidentalibus innotuit, tempore præsertim magnæ controversiæ inter Catholicos et Protestantes de Eucharistiæ sacramento.

Primum est *Brevis tractatus de sanctis et sacris sacramentis*, Συνταγμάτιον περὶ τῶν ἁγίων καὶ ἱερῶν μυστηρίων, Venetiis ab ipso Gabriele, anno 1600, editus [3]: jejunum compendium theologiæ sacramentariæ a nostris Scholasticis magna ex parte mutuatum, quod theologi catholici sæculi XVII contra Protestantes sæpe laudaverunt.

Tria opuscula liturgico-dogmatica in unum collecta, anno 1604, Gabriel Venetiis item publicavit; quorum primum est *de ritu Magni Ingressus in missa græca;* secundum, *de sacris particulis;* tertium, *de colybis in festis sanctorum et pro mortuis orthodoxis oblatis* [4].

1. Legrand, *ibid.*, p. XLVI et LXXI.

2. De aliis operibus Margunii, cf. Legrand, *ibid.*, p. LXXI sq.

3. Hunc tractatum paucis mutatum iterum vulgavit Chrysanthus Hierosolymitanus ad calcem sui Συνταγματίου περὶ τῶν ὀφφικίων κληρικάτων, etc. Tergovistæ, 1715. Richardus Simon duo ejusdem fragmenta inseruit suo operi : *Fides Ecclesiæ orientalis seu Gabrielis metropolitæ Philadelphiensis opuscula*, Parisiis, 1671.

4. Hæc tria opuscula iterum edidit et commentatus est Richardus Simon, *op. cit.*

Præcipuum opus Gabrielis Severi est longa apologia polemica tripartita adversus Latinos et nominatim adversus Bellarminum et Possevinum, qui in suis scriptis Græcos dissidentes appellaverant schismaticos et hæreticos. Opus inscribitur : *Expositio adversus eos qui inscite dicunt, et injuste docent nos, Ecclesiæ orientalis genuinos et orthodoxos filios, esse schismaticos a sancta et universali Ecclesia separatos* [1]. Hujus prolixi scripti primam partem tantum, cui titulus : *Quænam sunt generales et principales differentiæ, quæ Ecclesiam orientalem ab Ecclesia romana dividunt* [2], Constantinopoli, anno 1627, Nicodemus Metaxas edidit. Differentiæ de quibus auctor sigillatim disserit, illæ quinque sunt, quæ in synodo Florentina discussæ sunt, et in decreto unionis explosæ. Duæ aliæ partes nunquam editæ sunt [3]. Secunda pars inscribitur : *Quænam est sancta, catholica et apostolica Ecclesia* ? Ποία ἐστὶν ἡ ἁγία καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ Ἐκκλησία; Tertiæ partis titulus est : *Quod recte credimus, certa tenemus, et quod neque schismatici neque hæretici sumus* : Πῶς πιστεύομεν ὀρθά, κρατοῦμεν βέβαια, καὶ οὔτε σχισματικοί ἐσμεν, οὔτε αἱρετικοί.

Quamquam catholicis infensus est, plures tamen sententias catholicas hic theologus amplectitur, quas theologi græcorussi nostri ævi communiter rejiciunt. Docet nempe quædam sacramenta characterem indelebilem in anima imprimere, pœnam temporalem post sacerdotalem absolutionem pœnitenti expiandam plerumque remanere; de beatitudine animarum sanctarum post mortem recte sentit; imo ab ipso igne Purgatorii non abhorret [4].

### X. — Maximus Peloponnesius.

Maximus Peloponnesius, Meletii Pigæ archidiaconus, ipsius Meletii vestigia sequens, suum *Manuale contra schisma papistarum*, Ἐγχειρίδιον κατὰ τοῦ σχίσματος τῶν παπιστῶν, anno

1. Ἔκθεσις κατὰ τῶν ἀμαθῶς λεγόντων καὶ παρανόμως διδασκόντων, ὅτι ἡμεῖς οἱ τῆς Ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας γνήσιοι καὶ ὀρθόδοξοι παῖδες, ἐσμὲν σχισματικοὶ παρὰ τῆς ἁγίας καὶ καθόλου Ἐκκλησίας.

2. Πόσαι εἰσὶν αἱ γενικαὶ καὶ πρῶται διαφοραὶ καὶ ποῖαι, ἃς ἔχει ἡ Ἀνατολικὴ Ἐκκλησία τῇ Ρωμαϊκῇ.

3. Opus integrum asservatur in *cod. Athonensibus 1616, 2137* et *2991*.

4. Cf. nostrum articulum in *Échos d'Orient* : *Un théologien grec du XVI^e siècle. Gabriel Sévère et les divergences entre les deux Églises,*

1620, composuit; quod Dositheus, Bucharestii, anno 1690, edidit [1]. Agit de processione Spiritus Sancti, de azymis, de epiclesi, de Purgatorio, de beatitudine sanctorum. Maximus in papam potissimum invehitur, aperteque docet Ecclesiam non habere caput visibile. In introductione, quam huic operi præmisit, Dositheus fabulam de papissa Joanna ut factum historicum omnino certum memorat [2].

t. XVI, 1913, p. 97-108. De Gabriele Severo vide P. Meyer, *op. cit.*, p. 78-85; E. Legrand, *op. cit.*, t. II (XV-XVI sæc.), p. XXVIII, sq., 142-151; *Échos d'Orient, loc. cit.*, et *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Gabriel Sévère.*

1. Opus non minus quam 210 paginas habet.

2. « Ἰωάννης πάπας Ῥώμης ὁ ὄγδοος ἦτον γυναῖκα μαρτυρουμένη ἀπὸ μυρίους ἱστορικοὺς ἕλληνας καὶ λατίνους. » Dositheus dictorum Photii de Joanne VIII hic penitus obliviscitur.

## CAPUT SECUNDUM

### THEOLOGIÆ GRÆCÆ SECUNDA PERIODUS (1612-1723)

#### Divisio.

Per totam hanc periodum, magnæ controversiæ in Ecclesia græca oriuntur. Catholici siquidem et Protestantes, acriter inter se pugnantes, hanc Ecclesiam ad suas partes attrahere certatim nituntur. Primum quidem Protestantes victoriam retulisse visi sunt, postquam patriarcha Constantinopolitanus, Cyrillus Lucaris, calvinismo secreto adhæsit, atque anno 1629, sub suo nomine Genevæ publicari permisit quamdam fidei Confessionem, inscriptam : *Orientalis Confessio christianæ fidei*, XVIII articulis constantem præcipuosque Calvinistarum errores referentem. Mox vero Ecclesia græca tota una cum Kioviensibus hæresi fortiter restitit, eamque in pluribus synodis et fidei confessionibus aperte rejecit ac damnavit. Theologi catholici hujus temporis, in suis adversus Protestantes scriptis polemicis, ad testimonium Ecclesiæ orientalis ejusque cum Ecclesia catholica perpetuam consensionem incessanter provocant, aures claudentes ad criminationes polemistarum orientalium, qui missionariorum efficaci actione irritati, Ecclesiam catholicam, præsertim vero Papæ primatum, impetere non desistunt.

Theologos græcos hujus temporis in quatuor classes distribuere possumus.

Prima classis est eorum qui Calvinistarum et Lutheranorum placitis plus minusve adhærent;

Secunda est agmen polemistarum, qui tum contra Protestantes tum contra Catholicos dimicant, ita tamen ut ad doctrinam catholicam propius accedant, imo illam diserte tueantur in punctis inter Catholicos et Protestantes controversis.

Tertia est eorum qui irenice doctrinam Ecclesiæ orientalis exponunt, vel opera ascetica et liturgica componunt;

Quarta est album Græcorum Unitorum, Collegii græci, a Gregorio papa XIII anno 1577 fundati, alumnorum.

De unaquaque classi speciali articulo agemus.

## ARTICULUS I

### De theologis protestantismi fautoribus.

#### I. — Cyrillus Lucaris († 1638). Ejus fidei confessio ab Ecclesia græca damnata. Diversæ fidei Confessiones adversus Cyrillianam Confessionem promulgatæ.

Inter protestantismi fautores, primas certe tenet Cyrillus Lucaris. Ejus vitam multis vicissitudinibus agitatam minutatim enarrare ad historicos pertinet. Sufficiat hic dicere illum in Creta insula natum fuisse, anno 1572; Patavii ac Venetiis studuisse; anno 1601, ad sedem patriarchalem Alexandriæ evectum fuisse, et ab anno 1612 usque ad annum 1638, quo Sultani jussu strangulatus interiit [1], thronum patriarchalem Constantinopolitanum septies usque occupasse. Cum litterarum diuturnum commercium cum theologis protestantibus habuisset, sensimque eorum dogmatibus imbutus fuisset, hæc in Ecclesiam græcam invehere molitus est. Prima editio ejus calviniacæ *Confessionis fidei*, Genevæ, ut diximus, anno 1629, latine tantum, prodiit. Secunda editio ibidem, anno 1633, græce et latine lucem aspexit, quatuor interrogationibus et totidem aucta responsis. Cum autem magna deinceps inter Græcos exorta fuerit controversia, quæ nondum penitus sopita est, de hujus scripti authenticitate, aliis quidem negantibus, aliis vero affirmantibus illud esse genuinum Lucaris fetum, aliis demum aliter ejus originem explicantibus, satis nobis sit in memoriam doctorum revocare hanc quæstionem hodie definitive solutam esse pro omnibus qui mentem ab omni partium studio liberam habent. Asservatur enim in Bibliotheca publica Genevensis textus

1. De morte Lucaris, cf. Semnoz, in *Échos d'Orient*, t. VI, p. 97-107.

græcus genuinus hujusmodi Confessionis, prout ab ipso Cyrillo manu propria, anno 1631, exaratus fuit [1].

### 1. — Confessionis Cyrilli Lucaris analysis

Hæc famosa Confessio constat, ut diximus, XVIII articulis et quatuor responsionibus ad quæsita ab « Orthodoxis » proposita. Doctrina autem in ea expressa sic breviter contrahi potest :

I. — Expositio mysterii Trinitates : *Spiritus a Patre per Filium procedit.*

II. — Scriptura sacra est a Deo inspirata, ejusque auctoritas Ecclesiæ auctoritate excellit.

III. — Deus, ante mundi originem, suos electos, sine ullo respectu ad eorum merita, ad gloriam prædestinavit, et alios reprobavit; cujus reprobationis causa remota est voluntas Dei, causa vero proxima et ordinata est justitia Dei.

IV. — Deus est creator omnium. Non est auctor mali.

V. — Dogma de inscrutabili et non scrutanda Dei providentia.

VI. — Dogma de peccato originali ejusque universalitate.

VII. — De Jesu Christo Deo et homine, Redemptore, judice venturo.

VIII. — De Christo solo mediatore, sacerdote et Ecclesiæ capite.

IX. — De fide in Christo justificante necnon de ejus ad salutem necessitate.

X. — Ecclesia universa complectitur defunctos qui sunt in patria et fideles qui in terris degunt; cujus caput est solus Jesus Christus; qui tamen nonnisi improprie dicitur caput particularis alicujus Ecclesiæ.

XI. — Soli electi ad vitam æternam membra exstant Ecclesiæ catholicæ; alii vero sunt palea cum tritico mixta.

XII. — Ecclesia in via errare potest, falsum pro vero eligendo; ab errore autem lumen solius Spiritus Sancti nos liberat.

1. Cf. E. Legrand, *op. cit.*, t. I sæculi XVII, p. 318-319, ubi videbis photographiam primæ paginæ hujus autographi. Scriptura autem Lucaris bene nota est ex pluribus ejus autographis, qui in diversis bibliothecis asservantur. Ad diversas autem Græcorum opiniones quod attinet, cf. A. Palmieri, *op. cit.*, I, p. 506-537.

XIII. — Homo justificatur per fidem, non ex operibus. Christi justitia, resipiscentibus applicata, sola justificat, atque fidelem salvat. Opera tamen non sunt negligenda, tanquam media necessaria habenda, quæ de nostra fide testimonium reddunt.

XIV. — Liberum arbitrium in non renatis est mortuum; qui nihil boni operari possunt; quidquid vero faciunt est peccatum. Renati autem, ut bonum operentur, auxilio gratiæ indigent.

XV. — Duo tantum exstant sacramenta a Christo instituta et nobis tradita. Constant verbo et elemento; sunt Dei promissionum signacula, in usu tantum existentia; quæ nonnisi vera fide mediante gratiam producunt.

XVI. — De necessitate baptismi, qui non est iterandus. Hoc sacramento tum originalis labes tum actualia peccata remittuntur.

XVII. — De vera reali præsentia Christi Domini in Eucharistia, *sed tantum in administratione*. Agitur autem de præsentia *quam fides nobis offert, non autem quam excogitata docet transsubstantiatio*. Corpus Christi est illud quod spiritaliter fides apprehendit, nobisque præbet.

XVIII. — Post mortem, non sunt nisi duo status et loca animarum : cælum scilicet et infernum. Purgatorium est merum figmentum. Justificati in hac vita nullam post mortem pœnam habent subeundam.

I[a] Responsio. — Sacra Scriptura communiter legi debet ab omnibus fidelibus christianis. Manifesta injuria christiano infertur, dum S. Scripturæ auditione vel lectione privatur.

II[a] Responsio. — Scriptura perspicua et plana est ab Spiritu Sancto regeneratis et illuminatis.

III[a] Responsio. — Canonici libri illi sunt quos enumerat synodus Laodicena (can. 59 vel 60). Alii libri, in hoc canone non memorati, sunt apocryphi.

IV[a] Responsio. — Cultus imaginum, utpote a Sacra Scriptura prohibitus, detestandus est. Pictura vero, quatenus est ars nobilis, non interdicitur; unde, imagines Christi et sanctorum tolerantur.

### 2. — Cyrillianæ confessionis condemnatio

Post Cyrilli Lucaris mortem, Cyrillus Contarenus, ex urbe Berœa oriundus, qui Jesuitarum alumnus fuerat, et catholicæ fidei secreto adhæserat [1], Constantinopoli synodum congregavit, cui interfuerunt patriarchæ Alexandrinus et Hierosolymitanus, 21 metropolitæ, 23 alii ecclesiastici. In hac synodo, cujus Acta inter libros symbolicos Ecclesiæ græcorussicæ communiter eduntur, calvinianas hæreses Lucaris singillatim anathemate perculsæ sunt. Decretum synodi, die 24 septembris anni 1638, promulgatum est.

Doctrina Cyrilli iterum damnata est a Parthenio I (1639-1644), qui in quadam synodo, mense maio anni 1642 habita, epistolam synodalem edidit, xvii capitula habentem [2]. Huic subscripserunt multi prælati et ecclesiastici græci. Mox recepta est etiam a metropolita Kioviensi, Petro Moghila [3], necnon a metropolita Moldaviæ, Barlaamo, postquam in collationibus Iasii, autumno anni 1642 inter Græcos et Kiovienses habitis, examinata fuit.

Præterea in collationibus Iasiensibus, quibus synodi nomen quidam præfigunt, examini subjecta est, atque a Græco Meletio Syrigo, patriarchæ œcumenici legato, correcta quædam *fidei Confessio* (seu potius catechismus), a Petro Moghila conscripta. In hoc catechismo, præcipui Lucaris errores iterum profligantur. Versionem græcam vulgarem hujus catechismi a Meletio Syrigo paratam quatuor patriarchæ orientales, die 11 martii, anno 1643, approbarunt per synodalem epistolam a novem metropolitis aliisque ecclesiasticis viris subscriptam. Unde, ex hoc tempore, hujusmodi catechismus dictus est *Orthodoxa Confessio orientalis Ecclesiæ*. Quam tamen, eo quod correctiones a Meletio Syrigo introductæ eis minus placerent, Petrus Moghilas et Kiovienses non receperunt. Hi solam epistolam synodalem Parthenii in synodo Constantinopolitana anno 1642 datam, approbarunt.

1. Professioni fidei catholicæ subscripsit, die 15 decembris anni 1638.

2. Ideo xvii tantum capitula habet, et non xviii; quia caput vii confessionis cyrillianæ, de Verbo Incarnato agens, irreprehensibile inventum est.

3. Petrus Moghila illam approbavit, die 20 decembris anni 1642, et mense januario anni sequentis polonice edidit.

### 3. — Confessionis seu catechismi Petri Moghilæ brevis analysis

Hujus autem celeberrimæ fidei Confessionis prima editio cura Nicosii Panaghiotæ, magni Græcorum interpretis apud Sublimem Portam, anno 1667, Amstelodami prodivit. Sub finem vero sæculi XVII, Ecclesia russica eam publice recepit; quam patriarcha Mosquensis Adrianus « scriptum divinitus inspiratum » appellavit. Versio slavica princeps hujus documenti ex textu neogræco facta, Mosquæ, anno 1696 in lucem edita est, hunc præferens titulum : *Orthodoxa Confessio fidei catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ orientalis.*

In tres partes dividitur, secundum tres virtutes theologicas. Prima pars, CXXVI quæstiones complectens, fere tota dogmatica est; in ea siquidem exponuntur articuli symboli Nicæno-Constantinopolitani; nono autem articulo inseruntur Ecclesiæ præcepta. Secunda, LXIII quæstiones habens, est potius ascetica et mystica, cum in ea agatur de natura spei, de oratione in genere, et in specie de oratione dominica, de beatitudinibus evangelicis necnon de diversis misericordiæ corporalis et spiritualis officiis. Tertia, LXXII quæstionibus constans, de charitate inscripta, est quasi theologiæ moralis compendium, ubi sermo est de virtutibus christianis ac de bonis operibus, de vitiis et peccatis, de decalogi præceptis. Notum est hanc Confessionem, seu potius catechismum, esse præcipuum Ecclesiæ græco-russicæ librum symbolicum; de cujus tamen valore dogmatico non una est apud theologos dissidentes sententia, ut infra dicturi sumus.

### 4. — Synodus Hierosolymitana. Confessio Dosithei

Damnata est etiam cyrilliana Confessio in synodo Hierosolymitana [1], anno 1672, a Dositheo patriarcha congregata; quæ per quinque integra capita de Lucaris Confessione agit, synodorum præcedentium, Constantinopolitanæ scilicet sub Cyrillo Berœensi (1638) et Iasiensis (1642) Acta referens. Deinde in sexto capite venit quædam fidei formula, ex Dositheo vulgo nuncupata, ad cyrillianæ Confessionis for-

1. Vocatur quandoque *Bethleemitica*, ex prima sessione, quæ in civitate Bethleem habita est.

mam redacta; quippe quæ constat decem et octo articulis et responsionibus quatuor, singulas Lucaris hæreticales sententias singillatim refellens. Approbata est etiam hæc *fidei Confessio* a quatuor patriarchis orientalibus, qui eam ad S. Synodum Dirigentem russicam, nuper constitutam, anno 1723, tanquam orthodoxiæ normam miserunt; unde Russi *Epistolam patriarcharum* illam vulgo nuncupant, quanquam solemni decreto eam recepisse non videntur ante annos 1838-1840, quo S. Synodus græce et slavice, at cum quibusdam mutationibus et suppressionibus, eam ad usum scholarum vulgavit. De hoc documento in nostro opere sæpe mentio fiet, cum ut liber symbolicus Ecclesiæ græco-russicæ habeatur.

### II. — Theophilus Corydalleus.

Inter amicos Lucaris erat Theophilus Corydalleus, qui publice declaravit, in quodam sermone coram patriarcha Parthenio I, die 1 julii, anno 1639 habito, Confessionem Cyrilli veram doctrinam Ecclesiæ orientalis exprimere, diserteque transsubstantiationem negavit. Has autem sententias hæreticas paulo post retractavit, et die 14 novembris anni 1640, Naupacti et Artæ metropolita renuntiatus est. Cum vero in fide dubius plerisque videretur, mox e sua sede pulsus est. Ejus scripta fere omnia ad philosophiam pertinent. Eugenius Bulgaris ejus epistolam dogmaticam ad Sophronium Poktchaskii in tomo secundo versionis tractatus Zernikavii de processione Spiritus Sancti edidit.

### III. — Zacharias Gerganus.

Inter Græcos protestantizantes hujus temporis recensendus est Zacharias Gerganus, qui anno 1622, Wittenbergæ, catechismum edidit, duci Saxoniæ dicatum, in quo præcipuorum errorum Lutheranorum vestigia deprehenduntur, et romanæ Ecclesiæ primatus vehementer impugnatur. Hoc opus erudite confutavit Joannes Matthæus Caryophyllus, Iconii episcopus unitus, in libro cui titulus : Ἔλεγχος τῆς ψευδο-χριστιανικῆς κατηχήσεως Ζαχαρίου τοῦ Γεργάνου, græce et latine, Romæ, 1631 [1].

Gerganus docet Scripturam sacram sufficere ad probandos fidei articulos, eamdem esse intellectu facilem et

1. Cf. Legrand, *op. cit.*, XVII s., t. I, 159-170.

sui ipsius interpretem; Machabæorum libros esse apocryphos; Purgatorium non existere, eucharistiam a sacerdote peccatore confici non posse, etc.

### IV. — Joannes Caryophyllus et Maximus Callipolita.

Joannes Caryophyllus, Theophili Corydallei discipulus, doctrinam transsubstantiationis in pluribus opusculis et libellis impugnavit. A Parthenio II, patriarcha œcumenico, anno 1645, et iterum a Callinico II anno 1691 condemnatus, toties pœnitentiam egit, sed ficte tantum, ut videtur [1]. Dositheus Hierosolymitanus speciali tractatu eum confutavit [2].

Maximus Callipolita, Cyrilli Lucaris discipulus, inter Græcos potissimum notus est ex versione Novi Testamenti in neogræcam dialectum, quam anno 1638 Genevæ edidit [3].

### V. — Metrophanes Critopulus († 1639) [4].

Metrophanes Critopulus, Berœæ, anno 1589, natus, monasticam vitam in monte Atho primum egit; deinde in clericos Ecclesiæ Alexandrinæ a Cyrillo Lucari cooptatus fuit; et anno 1617 ab eodem in Angliam missus, ut theologicis disciplinis sub magistris anglicanis incumberet; quod et fecit per quinque annos integros. Germaniam postea et Helvetiam peragravit, theologiæ Reformatorum accuratam notitiam sibi comparans. Anno 1631, Alexandriam reversus, metropolita Mempheos anno 1633 creatus est, et anno 1636 patriarcha Alexandriæ renuntiatus. Mortuus est anno 1639, dum per Valachiam iter faceret.

1. Cf. M. Jugie, *Le mot transsubstantiation chez les Grecs après 1629*, in *Echos d'Orient*, t. x (1907), p. 70-73.

2. Vide infra, p. 516.

3. Cf. Th. Xanthopoulos, *Les traductions de l'Écriture sainte en néo-grec*, in *Échos d'Orient*, t. v (1902), p. 321 sq.

4. De Metrophane ejusque Confessione fidei fuse agit A. Palmieri, *op. cit.*, t. I, p. 564-576. Præcipuæ de eo dissertationes sunt sequentes : 1° Demetrakopulus, Δοκίμιον περὶ τοῦ βίου καὶ τῶν συγγραμμάτων Μητροφάνους τοῦ Κριτοπούλου, πατριάρχου 'Αλεξανδρίας, Lipsiæ, 1870; 2° Mazaraki, Μητροφάνης Κριτόπουλος, πατριάρχης 'Αλεξανδρείας, κατὰ τοὺς κώδικας τοῦ πατριαρχείου 'Αλεξανδρείας καὶ ἄλλας πηγάς, Cairi, 1884; 3° Renieri, Μητροφάνης Κριτόπουλος καὶ οἱ ἐν 'Αγγλίᾳ καὶ Γερμανίᾳ φίλοι αὐτοῦ, Athenis, 1893.

Anno 1625, cum Helmstadii moraretur, a theologis lutheranis rogatus, *Confessionem fidei* composuit, quam anno 1661 Joannes Hornejus, Helmstadii, græce et latine publicavit. Hæc autem *Confessio* XXIII constat capitibus, in quibus nunc fusius, nunc brevius Metrophanes ordine disserit de mysterio sanctissimæ Trinitatis, ac præsertim de processione Spiritus Sancti, de creatione et peccato originis, de incarnatione, de prædestinatione, de sacramentis, de præceptis, de Ecclesia, de canone Scripturarum, de sacro chrismate, de cœna dominica, de ritibus pœnitentiæ, de sacerdotio, de conjugio, de Euchelaio, de traditionibus Ecclesiæ, de sanctorum imaginibus, reliquiis et invocatione, de jejunio, de monachis, de precibus pro defunctis, de precatione ad Orientem, de genibus die dominico et per totam Pentecosten non flectendis, de misero statu Ecclesiæ orientalis sub Turcarum jugo, necnon de ejusdem interno regimine.

Quamvis in plerisque Metrophanes doctrinam ab Ecclesia græco-russica communiter admissam retineat et multis erroribus Protestantium aperte contradicat, in quibusdam tamen horum placitis indulget, v. g., dum Ecclesiam definit, dum inspirationem denegat libris deutero-canonicis Veteris Testamenti, dum distinguit inter duo vel tria sacramenta necessaria, (scilicet baptismum, sacram cœnam et pœnitentiam), et cætera sacramenta, quæ vocat *ritus mysticos*. *Confessio* Metrophanis nostris diebus editur in collectionibus librorum symbolicorum Ecclesiæ græco-russicæ, nullo tamen pacto habenda est pro expressione publica et authentica fidei hujus Ecclesiæ.

## ARTICULUS II

### De præcipuis polemistis hujus periodi.

Præcipui theologi græci qui, sæculo XVII, theologiæ polemicæ sive contra Catholicos sive contra Protestantes indulserunt, fuerunt : Georgius Coressius, Meletius Syrigus, Paisius Ligarides, Nectarius Hierosolymitanus, Dositheus, Fratres Lichoudes, Sevastus Kymenites, Elias Meniates, Nicolaus Kerameus. De singulis quædam dicenda.

### I. — Georgius Coressius († 1641) [1].

Georgius Coressius, in Chio insula, anno 1554, natus, philosophiæ et medicinæ Pisæ, in Italia, studuit. In patriam reversus, medicinam artem ibi exercuit, verum ut theologus inter suos gentiles potissimum claruit. Multa polemice scripsit tum adversus Protestantes tum præsertim adversus Catholicos. Ex ejus scriptis anticatholicis tria edita sunt, scilicet :

1° *Enchiridion de processione Spiritus Sancti*, Ἐγχειρίδιον περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος, in *Tomo Reconciliationis* Dosithei, p. 276-410. Opus dividitur in XXII capita. In fine auctor de doctrina Palamitarum disserit.

2° *Dialogus cum quodam ex fratribus* (= cum quodam religioso in Oriente missionario), Διάλεξις μετά τινος τῶν Φράρων. Editum est hoc opusculum Constantinopoli, anno 1627, una cum litteris Meletii Pigæ de primatu papæ et prima parte *Apologiæ* Gabrielis Severi, de qua supra diximus.

3° *Compendium italicorum errorum*, Συντομία τῶν ἰταλικῶν ἁμαρτημάτων, a Simonida, Londini, anno 1858 publicatum cum scriptis polemicis diversorum.

Scripsit etiam Coressius : *De primatu papæ; De igne purgatorio; De sanctorum beatitudine; Dialogos sex de processione Spiritus Sancti, Confutationem libri* Richardi Francisci in dialectum vulgarem Græcorum conscripti, cui titulus : *Scutum romanæ fidei*, Ἡ Τάργα τῆς ῥωμαϊκῆς πίστεως [2] (est quoddam *compendium theologiæ dogmaticæ*); alias dissertationes theologicas apud Legrand, *loc. cit.*, enumeratas; quæ omnia inedita remanserunt. De theologia latina non mediocrem notitiam habebat; unde sæpe theologos catholicos citat, refellereque nititur.

1. De vita et scriptis Coressii vide E. Legrand, *Bib. hell. du XVII^e siècle*, t. III, p. 255-272, et art. *Coressios*, in *Dict. de théologie catholique*, t. III, col. 1847-1848.

2. Ἡ Τάργα τῆς πίστεως τῆς Ῥωμαϊκῆς Ἐκκλησίας εἰς τὴν διαφένδευσιν τῆς ὀρθοδοξίας Francisci Richardi, S. J., edita est Parisiis, anno 1658. Cf. Legrand, *op. cit.*, XVII^e s., t. II, p. 100-105.

### II. — Meletius Syrigus († 1667) [1].

Meletius Syrigus, anno 1586 in Creta insula natus, humaniores litteras Venetiis et Patavii didicit. Hieromonachus factus, celeberrimus prædicator exstitit, in theologicis disciplinis bene versatus. Ut jam supra diximus, patriarchæ Constantinopolis, Parthenii I, jussu, catechismum seu Confessionem Petri Moghilæ correxit, et in dialectum neograecam transtulit.

Præcipuum ejus opus theologicum inscribitur : *Orthodoxa refutatio adversus capita et interrogationes Cyrilli*, Ὀρθόδοξος ἀντίρρησις κατὰ τῶν κεφαλαίων καὶ ἐρωτήσεων τοῦ Κυρίλλου. Hoc primum quidem græce conscripsit Syrigus; postea vero et in dialectum vulgarem transtulit. Textus originalis nondum editus est; textum autem neogræcum vulgavit Dositheus Bucarestii, anno 1690, una cum proprio *Enchiridio adversus calviniacam insaniam* [2]. In hoc opere, quod inter scripta polemica a Græcis adversus Protestantes composita sine controversia primas obtinet, auctor fuse confutat singula capita quatuorque responsa *Christianæ Confessionis* Cyrilli Lucaris. Si caput de processione Spiritus Sancti excipias, omnia fere ibi dicta catholicæ theologiæ consonant. Non solum Patres græci, sed etiam Patres latini passim citantur. Cæterum, ad convellendos Reformatorum errores, Syrigus argumenta ex sacra Scriptura potissimum sumit.

*Explicatio sacræ Liturgiæ*, quam patriarcha œcumenicus, anno 1654, Niconi, Russorum patriarchæ, misit, Meletium Syrigum auctorem habuit [3]. Idem innumeros sermones et homilias, XXIV *capita theologica* [4], *epistolam de jejunio*, synaxaria et officia liturgica pro neomartyribus græcis com-

1. De Meletii Syrigi vita ac scriptis egregie disserit P. Pargoire, in *Échos d'Orient*, t. XI et XII, passim.

2. Vide descriptionem hujus rarissimæ editionis apud Legrand, *op. cit.*, XVII^e^ siècle, t. II, p. 458-473.

3. Hæc *explicatio liturgiæ* pluries edita est : primo, Constantinopoli, anno 1676, a Germano Aphthonida; secundo, a Pap. Kerameo, Smyrnæ, 1880; tertio, a Russo I. Troitskii, in *Lectione christiana*, anno 1881.

4. In his, Syrigus quæstionem de processione Spiritus Sancti tangit, et catholicum dogma impugnat.

posuit; quæ omnia inedita sunt, et in decem et octo codicibus Constantinopolitanis asservantur [1].

### III. — Paisius Ligarides († 1678).

Pantaleo Ligarides, qui Paisii nomen sumpsit, quando monachus factus est, in Chio insula, circa annum 1610, natus est. Cum tredecim esset annorum, Romam a parentibus missus est, ut studiorum curriculum in collegio græco sancti Athanasii perficeret. Catholicam fidem ibi professus est, doctorisque tum in philosophia tum in sacra theologia lauream adeptus, anno 1639 sacris ordinibus initiatus est. Anno 1641, a S. Congregatione de propaganda fide in Orientem missus, animi sui duplicitatem mox revelavit, Catholicosque indigne elusit. Ab hoc tempore, erronis veri nominis vitam duxit. Mosquam profectus, gratiam tsari Alexii Mikhailovitch sibi conciliavit; cujus proposito deponendi Niconem patriarcham totis viribus suffragatus est. Tsaro Alexio mortuo, erronis fortuna pessum ivit, et Kioviæ, anno 1678, sat miserabiliter vitam finivit [2].

Cum catholicus erat, *interpretationem sacræ liturgiæ* composuit, quæ nunquam edita est [3]. Tempore quo in Rumenia degebat, *quatuor admonitiones adversus Lutheranos et Calvinistas Valachiæ* conscripsit, quæ manuscriptæ item remanserunt [4]. In Russia vero, tum contra dogma catholicum de processione Spiritus Sancti, tum contra primatum Papæ quædam opuscula concinnavit [5], et *Historiam condemnationis Niconis patriarchæ* fusiori oratione narravit [6].

### IV. — Nectarius Hierosolymitanus († 1676).

Nectarius, in Creta insula anno 1605 natus, monachus in monte Sina fuit, antequam sedem patriarchalem Jerosoly-

1. Vide horum codicum accuratam descriptionem in *Échos d'Orient*, t. XI, p. 266 sq.
2. De vita et scriptus Ligaridis vide E. Legrand, *op. cit.*, t. IV, XVII sæc., p. 8-61.
3. Asservatur *in cod. 303* Metochii Constantinopolitani S. Sepulcri.
4. Legrand, *op. cit.*, p. 49.
5. Horum meminit A. Demetrakopulus, *op. cit.*, p. 162.
6. Hanc *Historiam* William Palmer anglice vertit, ediditque in tomo tertio sui operis : *The patriarch and the tsar.*

morum occuparet. *De principatu papæ*, Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα, longum conscripsit opus, quod Dositheus, anno 1682, Iasii edidit. Hujus operis versionem latinam, notis auctam, Londini, anno 1702, Petrus Allixius, Anglicanus, publicavit. Hujus editionis occasione, doctissimus Lequien, sub fictitio nomine « Stephani de Altimura Ponticensis », suam *Panopliam contra schisma Græcorum* conscripsit. Nectarius autem suam dissertationem polemicam scripserat, ut *Thesibus de primatu papæ Petri Hispani, Franciscani*, responderet.

### V. — Dositheus, patriarcha Hierosolymitanus (1641-1707).

Dositheus, prope Corinthum, ex nobili Notararum familia, anno 1641, natus est. Primum metropolita Cæsariensis fuit, deinde, postquam scilicet Nectarius sede patriarchali Hierosolymorum se abdicavit (1669), in ejus locum ipse suffectus est. Typographia græca Iasii constituta, theologorum græcorum opera non pauca prelo mandavit. Latinis infensissimus, influxum catholicum intra imperii russici fines totis viribus impugnavit, doctrinasque heterodoxas adversus theologos Kiovienses, qui circa quasdam quæstiones catholice sentiebant, per se vel per alios tuitus est. Pauca tamen ipse conscripsit; fuit enim potius compilator et alienorum editor quam novorum auctor. Composuit tamen tum longam *Historiam patriarcharum Hierosolymitanorum*, in qua multa occurunt ad historiam hujusmodi nullo modo pertinentia [1], tum *Acta synodi Hierosolymitanæ* et *Confessionem fidei* eis annexam [2], tum *Enchiridion adversus calviniacam insipientiam* [3], in quo quædam retractat, quæ in sua Confessione fidei dixerat.

Tres operum polemicorum collectiones adversus Catholicos edidit, scilicet *Tomum reconciliationis* (Τόμος καταλλαγῆς), Iasii, 1692, *Tomum amoris* [4] (Τόμος ἀγάπης), Iasii, 1698, et *Tomum*

1. Hanc *Historiam* edidit successor Dosithei, Chrysanthus, Bucarestii, anno 1715.

2. Cf. p. 509.

3. Ἐγχειρίδιον ἐλέγχον τὴν καλβινικὴν φρενοβλάβειαν, Bucarestii, 1690, una cum Ἀντιρρήσει Meletii Syrigi.

4. In hoc *tomo* inveniuntur multa scripta palamitica.

*gaudii* (τόμος χαρᾶς), Rimnicii, 1705 [1]. Quorumdam aliorum theologorum et polemistarum opera sigillatim publicavit, scilicet : tractatus Nectarii et Maximi Peloponnesii contra Latinos, opera Symeonis Thessalonicensis, et *Confutationem capitum Cyrilli* Meletii Syrigi.

### VI. — Fratres Likhudes : Joannicius (1633-1717) et Sophronius (1652-1730).

Joannes et Sophronius Likhudes, duo fratres, in Cephallene insula nati, Venetiis et Patavii theologiæ studuerunt. Anno 1683, a Dositheo Hierosolymitano in Russiam missi sunt, ut in schola græco-latino-slavica Mosquensi, quæ tunc in incunabulis erat, magistri essent. Ob diversas circumstantias, nonnisi anno 1685 Mosquam pervenerunt. Primum quidem a Russis bene excepti sunt, et controversiæ circa tempus transsubstantiationis oblatorum, quæ tunc temporis inter theologos Kiovienses et Moscovitas ad summum exarserat, statim se immiscuerunt. Post aliquot vero annos, sua agendi ratione animos multorum in se concitarunt; Dositheus et ipse eis inimicus factus est; imo eorum orthodoxia in suspicionem adducta est; unde ex schola Mosquensi expulsi, vitam variis vicissitudinibus exagitatam in Russia ad mortem usque duxerunt.

Plura opera polemica scripserunt tum contra theologos Kiovienses, tum contra Latinos, tum contra Protestantes, tum demum contra Rascolnikos russos. Præcipuum eorum opus, quod manuscriptum remansit, inscribitur : *Akos* seu *Dialogus inter magistrum et discipulum de tempore quo fit transsubstantiatio.* Scriptum est annis 1685-1687 græce, et mox in slavicam dialectum translatum est. Constat XXI interrogationibus et totidem responsionibus. Tres primæ sunt de sacramentis in genere eorumque efficacia; quinque sequentes, de sacramento Eucharistiæ; a quæstione nona ad decimam septimam inclusive, sermo est de forma Eucharistiæ et de controversia circa illam exorta; quatuor ultimæ de sacramento baptismi agunt. Ut ex hac brevi analysi patet,

1. Descriptionem harum collectionum aliorumque operum Dositheï tradit A. Palmieri in sua monographia : *Dositeo, patriarca greco di Gerusalemme* (1641-1707), Florentiæ, 1909.

*Akos* contra Kiovienses eorumque sequaces speciatim dirigitur.

Sophronio tribuendus est *Dialogus seu disputatio inter professorem græcum et quemdam Jesuitam*, qui etiam inscribitur : *Gladius spiritualis (Metchets dukhovnyi)*. Hoc opus, anno 1690 absolutum, et XXI dialogis constans, adversus Catholicos conscriptum est. Sophronius consuetas et obsoletas καινοτομίας latinas impugnat [1].

Contra Protestantes Likhudes scripserunt :

1° *Epistolam ad Petrum Magnum de Lutheri et Calvini hæresibus* [2];

2° *Confutationem lutheranorum et calvinistarum*. Hæc prolixa compilatio, quæ nunquam edita est, contra catechismum Joachimi Camerariæ, commentaria Joachimi Peicher et metaphysicam Joannis Makkobii speciatim dirigitur;

3° *De hæresi Lutherana* [3]. In hoc opere, Likhudes differentias tum dogmaticas tum liturgicas statuunt, quæ orientales Orthodoxos a Protestantibus dividunt. Decem et novem differentiæ recensentur;

4° *Sermonem de prædestinatione*, anno 1701, tempore Quadragesimæ compositum [4].

Demum, adversus Raskolnikos russos Sophronius opus concinnavit, cui titulus : *Collyrium contra gravem morbum capitonicæ lippitudinis* [5].

Præterea, Likhudes multos libros de latino in slavicum verterunt, editionem slavicam *Confessionis orthodoxæ* Petri Moghilæ necnon translationem slavicam sacræ Scripturæ correxerunt, et non paucos sermones et panegyricos reliquerunt. Hujusmodi scriptis et translationibus gravem influxum in Russos habuerunt; sed infeliciter influxus iste in solidandam Ecclesiarum separationem fere semper cessit [6].

1. *Metchets dukhovnyi* in periodico Academiæ Kazanensis *Orthodoxus collocutor*, anno 1866-1867, editus est.

2. Hæc epistola edita est in periodico *Strannik*, anno 1861.

3. Opus editum a Tsvêtaev in suo opere : *Monumenta ad historiam protestantismi in Russia pertinentia*, Mosquæ, 1888.

4. Hic sermo ineditus est.

5. Ineditum.

6. De fratribus Likhudis integrum opus conscripsit Russus Smentsovsky : *Bratiia Likhudy*, Petropoli, 1899. Plures alii Russi scriptores de eis egerunt. Cf. A. Palmieri, *op. cit.* t. II, p. 113-114.

### VII. — Sevastus Kymenites († 1702).

Sevastus Kymenites, Kyminæ prope Trapezuntem natus, per totum fere vitæ suæ cursum, professoris officium exercuit, primum Constantinopoli, deinde Trapezunti, postremo Bucarestii, ubi anno 1702 mortuus est. Multa de diversis disciplinis conscripsit, quæ fere omnia inedita sunt [1], et theologiam ipsam tetigit in quodam opere polemico cui titulus : *Dogmatica doctrina sanctissimæ orientalis et catholicæ Ecclesiæ continens potissimum hæc tria : primum, quandonam convertuntur sancta dona in corpus et sanguinem Christi; secundum, quod Deipara peccato originali subjecta fuit; tertium, quod particulæ non convertuntur in corpus et sanguinem Christi* [2]. Ut ex hoc titulo satis patet, opus in theologos Kiovienses, qui circa tria puncta notata latinophrones erant, directe intenditur. Illud scripsit auctor, ut Dositheo Hierosolymitano roganti annueret [3].

### VIII. — Elias Meniates (1662?-1714).

Elias Meniates, Lixurii in insula Cephallene, anno 1669 natus, Venetiis studuit. In patriam reversus, tum ut professor, tum ut prædicator enituit, et in diversis insulis Ionii maris verbum Dei prædicavit. Anno 1711, Kernikensis et Calabrytensis episcopus creatus est.

Scripta theologica duo reliquit, quæ nostris etiam diebus inter Græcos vulgatissima sunt, scilicet :

1° *Petra scandali*, Πέτρα σκανδάλου [4], opusculum in duas partes divisum. Prima est disquisitio historica de origine schismatis; fere tota versatur circa schisma Photii; in fine,

1. Catalogum scriptorum hujus polygraphi invenies in tomo XIII collectionis rumenicæ Eudoxii de Hurmuzaki : *Documente privatore la istoria Romanilor. Texte grecesti*, p. XII-XXIII, Bucarestii, 1909, a Pap. Kerameo ordinatum.

2. Δογματικὴ διδασκαλία τῆς ἁγιωτάτης ἀνατολικῆς καὶ καθολικῆς Ἐκκλησίας περιέχουσα κατ'ἐξαίρετον λόγον τρία τινά, κτλ. Bucarestii, 1703.

3. Opusculum pro doctrina palamitica, inscriptum : Σύντομος θεωρία περὶ διαφορᾶς θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας, ineditum est.

4. Editio princeps, Lipsiæ, 1718. Latine, germanice et russice versum est. Exstant editiones græcæ recentissimæ.

pauca adduntur de præcipuis tentaminibus unionem renovandi. Secunda pars est dogmatica : auctor de quinque differentiis Florentinis (περὶ τῶν πέντε διαφορῶν) disserit, fusius de prima, id est, de primatu papæ, brevissime de quatuor aliis. Opus jejunum et inane, famâ, quam nactum est, omnino inferius.

2° *Sermones*, Διδαχαί, [1], eloquentiæ auctoris specimina. In his, Meniates immaculatam conceptionem B. Mariæ virginis diserte docet.

#### IX. — Nicolaus Kerameus († 1672).

Nicolaus Kerameus, Janinæ in Epiro natus, in Italia studuit. Ut Athanasii Cyprii, collegii Sancti Athanasii alumni, librum de primatu papæ, « Ἀντιπατέλαρος » inscriptum, refelleret, quoddam opus polemicum conscripsit, quod Dositheus suo *Tomo Gaudii* dignum censuit, hocque titulo insignivit : Ἀντέγκλημα τῶν ἐγκαλούντων ἀδίκως κατὰ τῆς μιᾶς καὶ μόνης ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς θεονύμφου τῆς τοῦ Χριστου Ἐκκλησίας, *Confutatio eorum qui injuste redarguunt solam et unicam, sanctam, catholicam et apostolicam Christi sponsam Ecclesiam.* Τόμος χαρᾶς, p. 134-553.

## ARTICULUS III

### Theologi irenici et ascetici.

Ad hanc classem pertinent : Agapius Landus, Nicolaus Bulgaris, Nicolaus Kursulas, Gregorius Chiensis.

#### I. — Agapius Landus.

Agapius Landus, in insula Creta natus, Athonensis monachus peregrinabundus, Venetiis plura opera ascetica typis mandavit, ex quibus quædam apud Græcos magni adhuc æstimantur :

1° Horum celeberrimum inscribitur : Ἁμαρτωλῶν σωτηρία, Venetiis, 1641. In arabicam dialectum versum est.

1. Editio princeps, Venetiis, 1720.

2° Νεὸς Παράδεισος, seu *Vitæ sanctorum* ex Symeone Metaphrasta excerptæ, Venetiis, 1641.

3° Θεοτοκάριον, Venetiis, 1643;

4° Ἐκλόγιον, Venetiis, 1663, et Νέον Ἐκλόγιον, Venetiis, 1679, seu *Vitæ sanctorum selectæ.*

### II. — Nicolaus Bulgaris.

Nicolaus Bulgaris, Corcyræ, anno 1634 natus, gymnasii Patavini alumnus fuit. Catechismum dogmatico-liturgicum composuit inter Græcos hodiernos vulgatissimum, cujus titulus est : Κατήχησις ἱερά [1].

### III. — Nicolaus Kursulas († 1652).

Nicolaus Kursulas, Zacynthi natus, in collegio romano Sancti Athanasii studuit. Inter Græcos modernos primus est qui compendium theologiæ dogmaticæ composuerit, inscriptum : Σύνοψις τῆς ἱερᾶς θεολογίας, quod nonnisi anno 1862, Zacynthi editum est, in duos tomos distributum. Est omnino scholasticæ indolis. In omnibus fere catholicæ doctrinæ consonat. Cæterum, multis mancum est, vixque de sacramentis aliquid habet.

### IV. — Gregorius Chiensis.

Hic Gregorius Georgii Coressii præcipuus discipulus fuit. Anno 1635, Venetiis edidit opus theologicum, ad quod sæpe provocant polemistæ catholici sæculi XVII in suis cum Protestantibus controversiis. Hujus titulus est : *Compendium divinorum et sacrorum Ecclesiæ dogmatum*, Σύνοψις τῶν θείων καὶ ἱερῶν τῆς Ἐκκλησίας δογμάτων. Cf. *Perpétuité de la foi catholique touchant l'Eucharistie*, édit. Migne, t. III, p. 35. Quædam excerpta habet Schelstrate, *Acta Ecclesiæ orientalis contra Lutheri hæresim, notis illustrata*, Romæ, 1739.

1. Editio princeps, Venetiis, 1681. Notandum est editionem Corcyrensem anni 1852 ab Andrea Mavromati vulgatam notis fuisse auctam, ad ea corrigenda quæ cum doctrina « orthodoxa », minus congruebant.

## ARTICULUS IV

### Collegii S. Athanasii alumni.

Collegium græcum Sancti Athanasii, Romæ, anno 1577, a Gregorio XIII fundatum, præclaros habuit alumnos catholicæ fidei addictissimos, qui in disciplinis theologicis famam non parvam sibi compararunt. De præcipuis quædam nobis, dicenda sunt.

#### I. — Joannes Matthæus Caryophyllus († 1633).

Joannes Matthæus Caryophyllus, in Creta insula natus, Iconii episcopi titulo decoratus, polemista fuit acerrimus. Græce et latine non pauca conscripsit. Præter *Refutationem catechismi Zachariæ Gergani*, de qua supra locuti sumus, sequentia edidit :

1° *Confutationem Nili Thessalonicensis de primatu papæ*, Parisiis, 1626. In *P. G.*, t. CXLIX.

2° *Condemnationem Confessionis Cyrilli Lucaris*, Romæ, 1631.

3° *Versionem catechismi Bellarmini*, Romæ, 1631.

#### II. — Petrus Arcudius († 1633).

Petrus Arcudius, in Corcyra insula, anno 1562, natus collegii Sancti Athanasii primus doctor in sacra theologia exstitit. Ad unionem Ruthenorum cum Ecclesia catholica parandam multum laboravit. Ejus præcipua scripta sunt :

1° *De concordia Ecclesiæ occidentalis et orientalis in septem sacramentorum administratione libri VII*, Parisiis, 1619, 1626, 1672.

2° *De purgatorio igne contra Barlaamum.* (Confutatio primæ responsionis Græcorum circa Purgatorium in concilio Ferrariensi).

3° *Opuscula aurea de processione Spiritus Sancti*, a quibusdam Græcis latinophronibus conscripta, Romae, 1630, 1670[1].

1. De Petro Arcudio vide artic. in *Dictionnaire de théologie catholique.*

### III. — Leo Allatius († 1669).

Leo Allatius, in insula Chio, anno 1586 natus, vir eruditissimus fuit, multaque opera conscripsit, quæ ad diversas scientiæ provincias pertinent. Multa insuper Græcorum quum antiquorum tum recentiorum scripta cum versione latina edidit, doctasque dissertationes de scriptoribus byzantinis concinnavit. Sufficiat hic notare præcipua ejus opera ad theologiam spectantia :

1° *De Ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua consensione libri tres*, Coloniæ, 1648, in quo de Ecclesiæ byzantinæ historia, de causis schismatis, de præcipuis theologis byzantinis eorumque scriptis, necnon de multis aliis quæstionibus ad orientalem Ecclesiam spectantibus auctor passim disserit.

2° *De utriusque Ecclesiæ occidentalis et orientalis perpetua in dogmate de Purgatorio consensione*, Romæ, 1655.

3° *Vindiciæ synodi Ephesinæ et sancti Cyrilli de processione Spiritus Sancti*, Romae, 1661.

4° *De octava synodo photiana*, Romæ, 1662.

5° *Contra Hottingerum*, ubi de retributionis tempore post mortem potissimum agit, Romæ, 1661.

6° *De libris ecclesiasticis Græcorum*, Parisiis, 1644.

7° *In Roberti Creightoni apparatum ad historiam synodi Florentinæ a Sylvestro Syropulo scriptam.* Hagæ Com., 1660.

Non pauca ex ejus scriptis adhuc inedita sunt; de quibus vide Satham, p. 272-273. Cf. etiam Lämmer, *Scriptorum Græciæ orthodoxæ bibliotheca selecta*, § 3, et L. Petit, in *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Allatius.*

### IV. — Neophytus Rhodinus.

Neophytus Rhodinus, in Cypro insula natus, in Salmanticensi Universitate theologiam et litteras græcas docuit; postea in Poloniam missus, multum ibi pro fide catholica laboravit; demum in Oriente missionarius exstitit zelantissimus. Græce et latine scripsit. Ejus præcipuum opus inscribitur Πανοπλία πνευματική, Romæ, 1630. *Imitationem Jesu Christi* in dialectum vulgarem Græcorum transtulit.

### V. — Demetrius Pepanus [1].

Demetrius Pepanus, Chiensis, unionis zelator exstitit in patria sua. Præcipua ejus opera edidit Bernardus Stephanopulus, Romæ, 1781, græce et latine, in duobus voluminibus, ubi tractatus invenies de processione Spiritus Sancti, de sacramento Eucharistiæ, de purgatorio igne.

### VI. — Andreas Rhentius.

Andreas Rhentius, Chiensis, in Societatem Jesu ingressus, versionem græcam operis Ludovici Granatensis *Directorium peccatorum*, Ὁδηγία τῶν ἁμαρτωλῶν, Romæ, anno 1628, edidit.

1. De Demetrio Pepano vide Legrand, *Bibl. hell. du XVII^e siècle*, t. III, p. 276-284; S. Pétridès, *Poésies inédites de Dimitri Pépanos*, in *Bessarione*, t. VII (1900), p. 518-549.

## CAPUT TERTIUM

### THEOLOGIÆ GRÆCÆ TERTIA PERIODUS (1723-1833)

#### Divisio.

Per hanc tertiam periodum, theologi græci toti sunt in impugnandis Catholicis. Hujusmodi simultatis princeps causa fuit conversio ad catholicam fidem multorum christianorum patriarchatus Antiocheni, qui Ecclesiam Melkitarum unitorum mox efformaverunt. Occasione autem hujus conversionis, quædam documenta theologica non parvi momenti a patriarchis orientalibus publice edita sunt, quæ collecta invenies apud Mansi-Petit, t. xxxvii, col. 117-224, 887 sq.

Initio ejusdem periodi, tentamen unionis inter Græcos et sectam anglicanam Injuratorum, ab anno 1716 ad annum 1725, inceptum est. Documenta theologica ad hæc colloquia, seu potius ad hoc epistolarum commercium spectantia in eodem tomo collectionis Mansianæ publici juris fecit L. Petit, col. 369-624.

Græcorum porro dissidentium furor in Latinos eo usque devenit, ut anno 1755, Cyrillus V, patriarcha œcumenicus, baptismum per infusionem collatum invalidum esse, Latinosque rebaptizandos esse synodali sententia decreverit : quod polemicæ anticatholicæ novum campum aperuit.

Theologi in hac periodo occurrentes infimæ sunt notæ, nec iis, quos in præcedenti sæculo invenimus, æquiparandi. Loquemur :

1° De auctoribus compendiorum theologicorum;

2° De polemistis antilatinis;

3° De oratoribus;

4° De quibusdam polygraphis seu compilatoribus;

5° De quibusdam alumnis catholicis collegii Sancti Athanasii, qui de disciplinis theologicis scripserunt.

## ARTICULUS I

### Compendiorum auctores.

#### I. — Vincentius Damodus († 1752).

Vincentius Damodus, anno 1679, in insula Cephallene natus, Venetiis studuit. Theologiæ dogmaticæ compendium reliquit adhuc ineditum, quinque voluminibus constans. Tum contra Catholicos tum contra Protestantes via præsertim positiva auctor dimicat. Prolixam dissertationem habet de papæ primatu.

#### II. — Antonius Moschopulus († 1788).

Antonius Moschopulus, Damodi concivis, jejunum compendium dogmatico-morale conscripsit, cui titulus : Ἐπιτομὴ τῆς δογματικῆς καὶ ἠθικῆς θεολογίας, Cephaloniæ editum, anno 1851.

#### III. — Eugenius Bulgaris († 1806).

Eugenius Bulgaris, anno 1716 natus, in Patavina universitate studuit. Ab anno 1753 ad annum 1757, Academiæ ecclesiasticæ Athonensi præfuit; postea in Academia seu Schola Constantinopolitana docuit. Anno 1771, Catharina II, Russiæ imperatrix, bibliothecarii imperialis titulo illum insignivit, et anno 1775, episcopali sedi Chersonensi præfecit; qua dignitate Bulgaris, anno 1800, se abdicavit, ut ultimos vitæ annos theologicis studiis impenderet.

Præcipuus theologus, hujus periodi Eugenius Bulgaris jure habendus, etsi in se spectatus sat mediocris ingenii appareat. Suum compendium theologicum, Θεολογικόν, anno 1872, Venetiis editum, ultra tractatum de Verbo incarnato non productum, infimi sane est valoris. Contra Latinos rabidum scripsit libellum, cui titulus : « Βιβλιάριον κατὰ Λατίνων [1]. » Loquitur etiam de capitibus controversis in sua

1. Editum Constantinopoli, 1796.

*ad Patrem Leclerc* (πρὸς Πέτρον τὸν Κλαίρκον) *epistola*, Athenis, anno 1844, edita, necnon in *Epistola encyclica ad christianos in Serbia degentes* [1].

Cæterum, magis ut editor quam ut auctor claruit. Edidit siquidem Theodoreti Cyrensis et Josephi Bryennii opera, preloque mandavit, Petropoli, anno 1797, suam in græcum versionem prolixi operis Adami Zernikavii de processione Spiritus Sancti (2 vol.).

#### IV. — Athanasius Pariensis († 1813).

Athanasius Pariensis, anno 1725 natus, Eugenii Bulgaris clarissimus exstitit discipulus; qui, magistri notis adhibitis, suam *divinorum fidei dogmatum Epitomen* texuit, Ἐπιτομὴ τῶν θείων τῆς πίστεως δογμάτων : opus incompletum, anno 1806, Lipsiæ editum, nunc inventu difficillimum, polemicam indolem passim referens.

#### V. — Joannes Kontones († 1761).

Joannes Kontones, Zacynthi, anno 1723 natus, artem medicinam Patavii didicit; cui mox valedixit, ut philosophicis et theologicis disciplinis vacaret. Compendium quoddam theologico-liturgico-morale composuit cui titulus : « Θεολογία συνοπτικὴ ἐκ τῶν θείων γραφῶν καὶ ἱερῶν συνόδων συνερανισθεῖσα καὶ ἀποδειχθεῖσα, » Zacynthi, anno 1861 editum. Ad calcem operis adjectus est *Sermo de fide*, λόγος περὶ πίστεως, sancti Epiphanii necnon ejusdem Πανάριον.

#### VI. — Theophilus Papaphilus.

Alius Bulgaris discipulus, Theophilus Papaphilus, qui Campaniæ episcopus fuit, quoddam opus, diversarum rerum farraginem, in formam dialogi composuit, inscriptum *Thesaurus Orthodoxiæ*, Ταμιεῖον Ὀρθοδοξίας, inter Græcos, nostris adhuc diebus, vulgatissimum, editio princeps, Venetiis, 1780.

1. Ἐγκύκλιος ἐπιστολὴ πρὸς τοὺς ἐν Σερβίᾳ κατοικοῦντας χριστιανούς, edita Constantinopoli, anno 1756, una cum opere Eustratii Argentis : Ἄνθος τῆς εὐσεβείας.

## ARTICULUS II

### Polemistæ.

#### I. — Diamantis Rhysius († 1747).

Diamantis Rhysius, in scholis Constantinopolitana et Smyrnensi professor, polemicum opus in Latinos iambicis versibus scriptum reliquit, post suam mortem anno primo, id est, anno 1748, Amstelodami, editum, sub titulo : Λατίνων θρησκείας ἔλεγχοι XXXVI. Reprehenduntur Latini ob kalendarium gregorianum, ob barbæ rasuram, eunuchorum cantum, luminis thaborici negationem, suffocatorum esum, immaculatam B. Mariæ virginis conceptionem, etc.

#### II. — Eustratius Argentis.

Eustratius Argentis, *medicus-philosophus* dictus, ex insula Chio oriundus, inter polemistas qui validitatem baptismi per infusionem collati impugnarunt, Latinosque rebaptizandos esse docuerunt, primas certe tenet. Conscripsit autem :

1° *Librum vocatum* : *Aspersionis condemnatio*, Βιβλίον καλούμενον Ῥαντισμοῦ στηλίτευσις. Editio princeps, Constantinopoli, 1756; 2ª ed., Lipsiæ, 1758, græce, latine et italice.

2° *Enchiridion de baptismate, vocatum : Errantium manus duct'o*, Ἐγχειρίδιον περὶ βαπτίσματος καλούμενον χειραγωγία πλανωμένων. Editio princeps, Constantinopoli, 1756; 2ª edit., Lipsiæ, 1757, sub titulo : Ἄνθος τῆς εὐσεβείας, ἤτοι συνταγμάτιον περὶ ἀναβαπτισμοῦ, *Flos pietatis, seu opusculum de rebaptizatione.*

3° *Tractatum contra azyma*, σύνταγμα κατὰ ἀζύμων, ubi etiam de epicleseos quæstione sermo est. Lipsiæ, 1760.

Habet præterea medicus noster quatuor opera nondum edita, scilicet *Contra papæ primatum duo, de Purgatorio unum, de quinque discrepantiis* (Florentinis) *unum.* Cf. art. *Argentis*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, a L. Petit conscriptum.

#### III. — Christophorus Etolus.

Alius hic baptismi per infusionem collati impugnator, patriarchæ œcumenici Cyrilli V jussu, plures de rebaptizatione libellos composuit, qui editi non sunt.

## ARTICULUS III

### Oratores.

#### I. — Macarius Patmiensis († 1737).

Macarius Patmiensis, prædicator inter coævos celeberrimus, collectionem LII sermonum reliquit, quam sub titulo : *Tuba evangelica*, Εὐαγγελικὴ σάλπιγξ, Venetiis primum edidit Ephræmus II, patriarcha Hierosolymitanus. Romanæ autem Inquisitionis jussu, hæc prima editio igni tradita est. Unde, Seraphimus Pissidius, Ephræmi amicus, alteram paravit editionem, quæ Lipsiæ, anno 1758, lucem aspexit. Ad calcem hujus editionis, legitur sermo Ephræmi adversus Immaculatam Conceptionem.

#### II. — Nicephorus Theotokis († 1800).

Nicephorus Theotokis, in Corcyra insula, anno 1736 natus, Bononiæ ac Patavii studuit; postea in schola patria professor et scholæ Jasiensis præfectus exstitit. Anno 1779, a Catharina II imperatrice Chersonensis episcopus in Russia renuntiatus est. Reliquit :

1° *Sermones in sanctam et magnam Quadragesimam*, Lipsiæ, 1766; Hierosolymis, 1859;

2° Κυριακοδρόμιον : collectionem homiliarum pro dominicis totius anni, Mosquæ, 1796; Bucharestii, 1803; Athenis, 1855.

3° *Responsionem cujusdam Orthodoxi circa schisma et circa unionem.* Hallis, 1755.

#### III. — Alii tres.

Dionysius ADRIANOPOLITANUS auctor est collectionis homiliarum, Ὁμιλίαι διάφοροι, Venetiis, anno 1777, editarum.

Joasaphus CORNILIUS, Eugenii Bulgaris discipulus, duo sermonum volumina reliquit, anno 1788, Venetiis edita.

Macarius SCORDILES habet etiam suam sermonum collectionem, Venetiis, anno 1787, publicatam : Λόγοι ἐγκωμιαστικοὶ καὶ πανηγυρικοὶ εἰς διαφόρους ἑορτάς.

## ARTICULUS IV

### Polygraphi.

#### I. — Cæsarius Dapontes († 1784).

Cæsarius Dapontes, in Skopelo insula natus, scriptor fuit fecundissimus. Ex ejus operibus quædam ad theologiam plus minusve spectant. Hujusmodi est opus inscriptum Ἐγκόλπιον λογικόν, ubi præclaras laudes beatæ Mariæ virgini texit, Venetiis, 1770. Cf. Satham, *op. cit.*, p. 501-505, et *art. Dapontès, Dict. de théologie catholique*, t. IV, col. 140.

#### II. — Nicodemus Haghiorita († 1809).

Nicodemus, Haghiorita nuncupatus, anno 1748, in insula Naxo natus, multa ipse conscripsit, aliorumque multa edidit.

Una cum Agapio Leonardo, alio Athonensi monacho, opus famosum « Πηδάλιον », Lipsiæ, anno 1800 edidit, quod, auctoribus invitis, Theodoretus monachus interpolavit [1].

Alia ejus opera præcipua sunt :

1° *Hortus gratiarum*, Κῆπος χαρίτων, seu interpretatio novem canticorum Veteris Testamenti, Venetiis, 1819;

2° *Novus Synaxaristes*, Νεὸς συναξαριστής, Venetiis, 1819;

3° *Festorum curriculum*, Ἑορτοδρόμιον, seu commentarium in festa dominicalia et marialia, Venetiis, 1836;

4° *Philocalia*, Φιλοκαλία, collectio ascetica, Venetiis, 1782.

5° *Barsanuphius*, Βαρσανούφιος, collectio epistolarum Barsanuphii monachi, Venetiis, 1816.

6° Ἐξομολογητάριον, Venetiis, 1794, opus inter Græcos vulgatissimum.

De aliis vide Satham, p. 626.

1. Notum est « Πηδάλιον, », id est, *Gubernaculum*, esse collectionem canonum antiquorum conciliorum in Ecclesia græco-russica communiter receptorum cum commentariis Nicodemi et Agapii. Totum opus animum polemicum spirat in Catholicos; quod Theodoreto interpolatori forsan maxima ex parte tribuendum est.

## ARTICULUS V

### Theologi græci uniti.

#### I. — Aloysius Andrutzis.

Aloysius Andrutzis, in insula Cypro natus, Romæ, in collegio Sancti Athanasii, ab anno 1697 ad annum 1704 studuit, et postea in universitate Bononiensi docuit. Contra Dositheum Hierosolymitanum duo opera apologetico-polemica conscripsit græce et latine. Primum inscribitur : *Vetus Græcia de sancta romana Sede præclare sentiens, sive responsio ad Dositheum patriarcham Hierosolymitanum*, Venetiis, 1713. Alterum est de processione Spiritus Sancti : *Consensus tum græcorum tum latinorum Patrum de processione Spiritus Sancti ex Filio contra Dositheum patriarcham Hierosolymitanum*, Romæ, 1716. Bononiæ, annis 1720 et 1723, edidit : 1° *Perpetua Ecclesiæ doctrina de infallibilitate papæ in decidendis ex cathedra fidei quæstionibus extra concilium œcumenicum et ante fidelium acceptionem;* 2° *Clementina Constitutio*, « Unigenitus » *Ecclesiæ traditionum vindex* [1].

#### II. — Meletius Typaldus.

Meletius Typaldus, in insula Cephallene natus, schismati primum adhæsit, et anno 1685, a patriarcha œcumenico episcopus Philadelphiæ creatus est. Postea transiit ad Catholicos. Scripsit opus cui titulus : *La Guida alla vera Chiesa di Gesù Christo*, 3 vol., Romæ, 1754-1757.

#### III. — Nicolaus Comnenus Papadopuli († 1740).

Nicolaus Comnenus Papadopuli, in Creta insula, anno 1655 natus, elapso studiorum curriculo in collegio Sancti Athanasii, in Societatem Jesu ingressus est, et jus canonicum in universitate Patavina docuit. Edidit :

1. Vide art. *Androutzis*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. I, col. 1187.

1° *Prænotiones mystagogicas ex jure canonico*, in quibus contra Photianos dimicat. Patavii, 1696.

2° *Historiam gymnasii Patavini*, 2 vol., Venetiis, 1726.

Hic auctor caute legendus est; suos enim fontes non citat, et aliquando eos ex toto comminisci videtur. Quibusdam auctoribus scripta tribuit, quæ in codicibus bibliothecarum incassum quæres.

## CAPUT QUARTUM

### THEOLOGIÆ GRÆCÆ QUARTA PERIODUS (1833-1923)

#### Divisio.

Regni hellenici cives, postquam independentiam politicam adepti sunt, Universitatem cum facultate theologica Athenis constituerunt [1]. Hæc tamen institutio, ad theologiam dogmaticam quod attinet, admodum paucos fructus hactenus retulit. Neque intra veterum patriarchatuum fines theologia unquam floruit. Theologi ultimæ hujus periodi triplici influxui subsunt. Quidam enim Protestantium vestigiis plus minusve inhærent; alii ad catholicas sententias propensionem ostendunt. Sunt demum qui Russorum discipuli fiant. Notandum vero est Russorum influxum protestantico fere parem non raro deprehendi. Unde fit, ut theologi græci nostri temporis *eclectici* sint, et in diversas abeant sententias. Præterea hujus periodi specialis nota est quod unionis tentamina cum Ecclesia anglicana, inde ab anno 1867, frequentes fiunt, quemadmodum olim cum Ecclesia catholica contingebant, et quidem cum successu pari.

Admodum pauca dicere habemus :

1° De compendiorum et dissertationum theologicarum auctoribus;

2° De polemistis ;

3° De oratoribus, exegetis et catechismorum auctoribus;

4° De documentorum theologicorum editoribus;

5° De versionibus russicorum operum;

6° De præcipuis commentariis periodicis, quæ de disciplinis theologicis tractant.

1. Facultas theologica anno 1837 fundata est.

### I. — Compendiorum et dissertationum auctores.

Primus qui nobis occurrit, est Nicolaus Damalas († 1892) qui in Atheniensi universitate professor aliquamdiu fuit. Hic, anno 1865, Lipsiæ edidit opusculum jam rarissimum, inscriptum *De principiis*, περὶ ἀρχῶν, quod *Symbolicis* Protestantium prope respondet. Agit enim auctor de præcipuis differentiis dogmaticis inter triplicem cœtum christianorum vigentibus, Catholicorum scilicet, Græco-Russorum et Protestantium. Idem tres tomos de *Interpretatione Novi Testamenti*, (Ἑρμηνεία εἰς τὴν καινὴν διαθήκην) edidit. Primus tomus, Athenis, 1876, est introductio generalis in libros Novi Testamenti; tomi II et III, Athenis, 1891 et 1892, trium Evangeliorum synopticorum exegesim continent.

Alius ejusdem Universitatis professor, Zikos Rhosis, anno 1903, Athenis edidit primum volumen *Systematis theologiæ dogmaticæ Ecclesiæ orthodoxæ catholicæ*, Σύστημα δογματικῆς τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας, complectens, præter prolegomena, tractatus de Deo uno et trino, de Deo creante, de divina revelatione et sancta Scriptura. Secundum volumen adhuc desideratur.

Chrestus Andrutsus, in Atheniensi universitate nuper professor, inter recentes theologos primum locum obtinet. Sequentia opera hactenus edidit :

1° *Symbolica secundum principia Orthodoxiæ*, Συμβολικὴ ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου. Athenis, 1901, ubi agit de differentiis inter cœtus christianos existentibus ;

2° *Validitas ordinationum Anglicanarum secundum principia orthodoxa*, Constantinopoli, 1903;

3° *Dogmatica orthodoxæ orientalis Ecclesiæ*, Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1907; primum compendium dogmaticæ theologiæ fere completum a græco viro nostris temporibus conscriptum;

4° *Principia fundamentalia unionis Ecclesiarum*, Αἱ βάσεις τῆς ἑνώσεως τῶν Ἐκκλησιῶν, Constantinopoli, 1905;

5° *Ecclesia et Status secundum principia Orthodoxiæ*, Ἐκκλησία καὶ πολιτεία ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου, Athenis, 1920, ubi tractat de habitudine Ecclesiæ ad Statum;

6° *Duæ lectiones de peccato originali*, περὶ προπατορικοῦ ἁμαρτήματος, Constantinopoli, 1896.

K. J. Dyovuniotis *Theologiæ dogmaticæ* Andrutsi censuram egit in duobus opusculis :

1° *Dogmatica Chresti Andrutsi judicata*, Ἡ Δογματικὴ τοῦ Χρήστου Ἀνδρούτσου κρινομένη, Athenis, 1907.

2° *Debita Responsio*, Ὀφειλομένη ἀπάντησις, Athenis, 1908.

Præterea, edidit duas dissertationes, quarum una inscribitur : Ἡ μέση κατάστασις τῶν ψυχῶν, *De medio statu animarum*, Athenis, 1904; altera vero est *De sacramentis orientalis orthodoxæ Ecclesiæ*, Τὰ μυστηρία τῆς ἀνατολικῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας, Athenis, 1913.

Professor D. S. Balanus auctor est quarumdam dissertationum, ex quibus notandæ sunt sequentes :

1° *Doctrina orthodoxæ hellenicæ Ecclesiæ de justificatione*, Athenis, 1904;

2° *Doctrina Ecclesiæ de sancta Trinitate*, Τὸ δόγμα τῆς Ἐκκλησίας περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος, Athenis, 1911;

3° *Symbola et symbolici libri*, Σύμβολα καὶ συμβολικὰ βιβλία, Athenis, 1919.

Professor I. Mesoloras, Athenis, an. 1901-1904, edidit *Symbolicam orthodoxæ orientalis Ecclesiæ*, Συμβολικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, in duas partes divisam. Prima pars (2 tom.) libros symbolicos vulgo dictos Ecclesiæ græco-russicæ continet; altera est expositio differentiarum dogmaticarum inter tres præcipuos christianorum cœtus existentium (2 tom.).

Plurima de quæstionibus theologicis scripsit Nectarius Kephalas, Pentapoleos metropolita. Ejus tamen scripta ad elementa potius quam ad scientificam investigationem spectant, resque summatim tantum attingunt. Sequentia memorare satis sit :

1° *De necessitate et momento septem conciliorum œcumenicorum*, Περὶ τῆς ἀναγκαιότητος καὶ σπουδαιότητος τῶν ἑπτὰ οἰκουμενικῶν συνόδων, 2ª ed., Athenis, 1892;

2° *De sacris commemorationibus pro defunctis*, Τὰ παρ' ἡμῖν τελούμενα ἱερὰ μνημόσυνα, Athenis, 1892;

3° Ὀρθόδοξος ἱερὰ κατήχησις, Athenis, 1899. Hic catechismus productior est aliis catechismis apud Græcos communiter usitatis; divisio est nova; in supplemento adduntur quæstiones variæ de Scriptura sacra, de hæresibus, de angelis, de homine, etc.;

4° Χριστολογία, Athenis, 1900;

5° Μελέτη περὶ μετανοίας καὶ ἐξομολογήσεως, Athenis 1904;

6° *Sacerdotale Amuletum seu* 1° *De sacerdotio;* 2° *De primatu in sacra hierarchia;* 3° *de æqualitate in hierarchia*, Ἱερατικὸν Ἐγκόλπιον ἤτοι I. περὶ ἱερωσύνης. II. περὶ τοῦ πρωτείου ἐν τῇ ἱεραρχίᾳ. III. περὶ τῆς ἰσότητος ἐν τῇ ἱεραρχίᾳ, Athenis, 1907;

7° *Dissertationes duæ :* 1ª *De una sancta catholica et apostolica Ecclesia;* 2ª *De sacra traditione*, Μελέται δύο, Athenis, 1913;

8° *De divinis sacramentis*, Μελέται περὶ τῶν θείων μυστηρίων, Athenis, 1915.

Insuper Nectarius Kephalas duo volumina sermonum ecclesiasticorum, Λόγοι ἐκκλησιαστικοί, edidit, Athenis, 1884, Kairi et Alexandriæ, 1885-1890.

Nicolaus Ambrazis, Athenis, anno 1906 edidit breve compendium theologiæ symbolicæ sic inscriptum : Ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία ἐν σχέσει πρὸς τὰς ἄλλας χριστιανικὰς Ἐκκλησίας ἐξεταζομένη, *Ecclesia orthodoxa cum aliis christianis Ecclesiis comparata.*

Cum in compendiis juris canonici non pauca inveniantur quæ ad theologiam dogmaticam referantur, non abs re erit indicare præcipua opera hujusmodi a Græcis coævis conscripta.

Primum memoranda est collectio canonica a Rhalli et Potli, Athenis, anno 1855 edita, sex tomos habens, inscripta : Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων, in qua inveniuntur non solum præcipua commentaria canonum a Byzantinis conscripta, sed etiam multa alia documenta ad disciplinam ecclesiasticam pertinentia. Nec minori laude digna est collectio Manuelis Gedeonis, Magnæ Ecclesiæ chartophylacis, cui titulus : Κανονικαὶ διατάξεις, 2 vol., Constantinopoli, 1889.

Theotocas praxim canonicam Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ refert in suo perutili opere : Νομολογία τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριαρχείου, Constantinopoli, 1897.

Apostolus Christodulu, Constantinopoli, anno 1896, edidit *Compendium juris canonici*, Δοκίμιον ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου, et Meletius Sakellaropulus, Athenis, 1898, suum Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον. *Jus ecclesiasticum* Eutaxiæ prelo mandatum non est, et lithographiæ ope vulgatum est. Inter recentes canonistas eminet Constantinus M. Rhallis, qui plures edidit breves monographias *(De adoptione secundum jus romanum*, Athenis, 1891; *De translatione episcoporum.*

*ibid.*, 1898; *De sacramentis pœnitentiæ et Euchelæi* (seu Extremæ Unctionis), ibidem, 1905, etc.), et magnum opus : *Jus pœnale orthodoxæ orientalis Ecclesiæ*, Ποινικὸν δίκαιον τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1907.

### II. — Polemistæ.

Postquam regnum hellenicum constitutum est, quædam controversiæ intestinæ inter Græcos exortæ sunt, quarum prima fuit de primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ et de relationibus inter Ecclesiam et Statum. Ubi enim Græci novi regni independentiam politicam adepti sunt, ad independentiam ecclesiasticam secundum principia « Orthodoxiæ » jus etiam se habere contenderunt; unde jam ab anno 1833, plenam autonomiam et autocephaliam Ecclesiæ hellenicæ denuntiaverunt, novaque ecclesiastica instituta promulgaverunt secundam formam *Regulamenti ecclesiastici* Petri Magni, vi quorum Ecclesia, ad exteriorem administrationem et jurisdictionem quod attinet, Statui plene subjiciebatur. His institutis utpote sacris canonibus et juribus Ecclesiæ constantinopolitanæ adversantibus reclamavit patriarcha œcumenicus, sed incassum. Inde acerrimæ controversiæ inter *autocephalistas* (qui cæsaropapismi principia etiam tuebantur), et jurium Ecclesiæ constantinopolitanæ defensores.

Autocephalistarum dux fuit presbyter Theoclitus Pharmakides (1784-1860), qui pro Ecclesia hellenica easdem fere partes egit, quas prius Theophanes Procopovitch pro Ecclesia russica. Principia cæsaropapismi hauserat apud Protestantes Germaniæ, quorum discipulus Gottingæ aliquamdiu (an. 1819-1821) fuerat. In elaborandis statutis novæ Autocephaliæ primas ipse habuit, et ab anno 1833 ad annum 1839, secretarii Synodi hellenicæ munus exercuit. A suis adversariis heterodoxiæ insimulatus, propriam apologiam texuit [1]. Postquam vero patriarcha œcumenicus, ab ipso Gubernio hellenico rogatus, independentiam Ecclesiæ hellenicæ sub certis conditionibus publice agnoscere consensit, *Tomumque* quem *Synodicum* vocant, anno 1850, publici juris fecit,

1. Hæc Pharmakidis « Ἀπολογία », Athenis, anno 1840, edita est.

Pharmakides totis viribus adlaboravit, ut hoc documentum tanquam jura Status attentans indebitamque Ecclesiæ hellenicæ subjectionem erga patriarchatum Constantinopolitanum statuens, a Græcis respueretur [1]; quod magna ex parte consecutus est.

Præcipuus Pharmakidis adversarius fuit Constantinus Œconomus (1780-1857), qui in diversis scriptis nova statuta Ecclesiæ hellenicae tanquam protestantismum redolentia impugnavit, primatumque canonicum patriarchæ œcumenici super alias Ecclesias « orthodoxas » tuitus est [2].

Iidem inter se conflixerunt circa quæstionem de versionibus sacræ Scripturæ in neohellenicam dialectum, quas jam inde ab anno 1823 Societatum biblicarum protestanticarum emissarii inter Græcos spargere inceperant. Pharmakides et cum eo Neophytus Vamvas (1770-1855) [3], hujusmodi versiones populo christiano utiles habebant. Œconomus vero Veteris Testamenti translationes ex hebraico textu a Protestantibus factas et a versione LXX Interpretum in aliqui-

1. Hac occasione suum percelebre opus conscripsit de *synodico tomo seu de veritate*, Ὁ συνοδικὸς Τόμος ἢ περὶ ἀληθείας, Athenis, 1852, quod Synodus hellenica in epistola encyclica, die 20 Maii, anno 1852 data, tanquam scriptum scandalosum et libellum calumniosum contra Ecclesiam denuntiavit.

2. Scripta ecclesiastica Constantini Oeconomi a suo filio Sophocli in unum collecta et in tres tomos distributa, Athenis, annis 1862-1866, edita sunt : Κωνσταντίνου πρεσβυτέρου καὶ οἰκονόμου τοῦ ἐξ Οἰκονόμων τὰ σῳζόμενα ἐκκλησιαστικὰ συγγράμματα. Præcipuum ejus opus de Ecclesia hellenica tractans inscribitur : Ἐπιστολιμαία διατριβὴ περὶ τῶν τριῶν ἱερατικῶν τῆς Ἐκκλησίας βαθμῶν καὶ περὶ τῆς γνησιότητος τῶν ἀποστολικῶν κανόνων, Naupliæ, 1835. Scripsit etiam historiam Ecclesiæ hellenicæ ab anno 1821 ad annum 1852, inscriptam : Τριακονταετηρὶς ἐκκλησιατική, in tres partes divisam. Invenitur in tomo II operum, p. 1-677, et tomo III, p. 1-454.

3. In controversia de versionibus sacrarum Scripturarum primas partes gessit Neophytus Vamvas, qui ad opus perficiendum ipse missionariis protestantibus auxilium præstiterat. Controversia potissimum exarsit, postquam Synodus hellenica (1835 et 1836) versiones protestanticas aliosque libros scholasticos a missionariis anglicanis et americanis editos publice condemnavit. De historia hujus controversiæ necnon de diversis scriptis polemicis tum a Vamva, tum ab Œconomo vulgatis, vide tomum primum *Historiæ Ecclesiæ Græciæ* a Chrysostomo Papadopulo conscriptæ : Ἱστορία τῆς Ἐκκλησίας τῆς Ἑλλάδος, Athenis, 1920, p. 207-223.

bus discrepantes omnino respuebat, contendebatque solam versionem LXX Interpretum, utpote quæ divinitus inspirata esset et infallibilis, in Ecclesia esse recipiendam. Suam sententiam fuse evolvit ac tuitus est in perlongo opere : *De LXX Interpretibus veteris divinæ Scripturæ*, Περὶ τῶν Ο' Ἑρμηνευτῶν τῆς παλαιᾶς θείας Γραφῆς, 4 tom., Athenis, 1849 [1].

Eodem tempore quo duæ præfatæ controversiæ fervebant, hieromonachus quidam, Theophilus Kairis nomine (1784-1853), novam religionem in Græciam introducere tentabat, quam appellatione *Theoseviæ*, θεοσέβεια, decorabat. Quid vero θεοσέβεια seu θεοσεβισμός ? Nihil aliud quam quædam rationalismi mystici species, recenti modernismo a Pio papa X condemnato omnino affinis. Kairis siquidem ad sensum religiosum omnibus hominibus insitum, quem τὸ θεοσεβικόν appellabat, provocare solebat tanquam ad radicem suæ religionis, ideoque τὴν θεοσέβειαν universælem humani generis religionem futuram jactitabat [2]. Sicut nostri modernistæ, religionis christianæ verba formulasque retinebat, eis vero sensum omni elemento supernaturali vacuum præfigebat. Item, non palam sed occulte suam doctrinam æquivocationibus involutam prædicabat. Sua dogmata religionis mere naturalis summam non excedebant, omnesque veritates revelatas missas faciebat. Cum autem alicui schclæ frequentissimæ in insula Andro præesset, non paucos discipulos sibi adscivit. Ad Synodum hellenicam tanquam hæreticus delatus, non resipuit; unde anno 1839, degradationis et excommunicationis pœna mulctatus est, et anno 1841 ex

1. Ipsa Synodus hellenica sententiam Œconomi de inspiratione LXX Interpretum suam fecit in quadam epostola ad Neophytum Vamvam, die 22 maii anni 1837 data : Αὐτὴν δέχεται ὡς μετάφρασιν κανονικήν, ὡς αὐτὸ τὸ πρωτότυπον κείμενον, καὶ πρεσβεύει αὐτὴν κατὰ θείαν φώτισιν γεγενημένην. Ch. Papadopulus, *op. cit.*, p. 212.

2. Ad instar philosophi positivistæ Augusti Comte, Kairis non solum theoretice, sed etiam practice novum cultum instituere aggressus est. Unde novum kalendarium confecit, symbolum et preces *dorice* composuit; imo gradus hierarchicos quinque ordinavit. Ejus præcipua opera sunt : 1° *Elementa philosophiæ*, Στοιχεῖα φιλοσοφίας, Athenis, 1851; 2° *Gnostica seu scientiarum humanarum brevis expositio*, Γνωστικὴ ἤτοι τῶν τοῦ ἀνθρώπου γνώσεων σύντομος ἔκθεσις, Athenis, 1849; 3° *Epitome doctrinæ theosevicæ*, Ἐπιτομὴ τῆς θεοσεβικῆς διδασκαλίας, Londini, 1852.

Græcia pulsus est. Cum autem in insulam Andrum reversus esset, suosque errores prædicare non desisteret, anno 1852, a potestate civili comprehensus condemnatusque tanquam legum regni transgressor, in carcerem conjectus est ; ubi mox e vita cessit (1853) [1].

Neque polemica anticatholica, hujus ultimae periodi decursu, inducias cognovit, sed tum ecclesiasticae Auctoritates, tum privati theologi latinas καινοτομίας et praesertim Papae primatum non semel acerrime carpserunt.

Anno 1838, Gregorius VI, patriarcha œcumenicus, contra Catholicos edidit epistolam encyclicam, cui subscripserunt Athanasius, patriarcha hierosolymitanus, et undecim metropolitae. Legitur apud Mansi-Petit, t. XL, col. 313-338.

Anno 1848, quatuor patriarchae orientales longam encyclicam polemicam contra Catholicos ad omnes « Orthodoxos » direxerunt, qua Pio papæ IX, qui illos ad unionem invitaverat, responderunt. *Ibid.*, col. 377-418.

Anno 1895, Anthimus VII, patriarcha œcumenicus, Leonis papæ XIII encyclicæ *Orientalium dignitas* respondit per *Epistolam synodalem et encyclicam*, ad fideles sui patriarchatus directam, in qua quemdam capitum controversorum indicem profert. (Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, 1895; Νεόλογος, ad diem 12 octobris 1895, Constantinopoli).

Præter hæc documenta authentica polemicæ indolis, nominandi sunt quidam polemistæ, qui, antiquorum Byzantinorum instar, Ecclesiam catholicam suis scriptis impugnaverunt.

1° Elias Tantalides (1818-1876), opus polemicum contra Catholicos edidit, cui titulus : Παπιστικοὶ ἔλεγχοι [2]. Est potius antiquorum scriptorum compilatio quam nova elucubratio. In præfatione, Tantalides historiam schismatis suo modo texit. Sequuntur : *a)* ingens tractatus de azymis; b) *Criticum examen Historiæ Photii* a Jagero conscriptæ; c) *Refutatio dictorum* Josephi de Maistre *de protestantismo et de Ecclesia græca*; d) *Historia controversiæ processionis Spiritus Sancti* Theophanis Procopovitch ab Eugenio Bulgari græce versa; e) demum, quædam alia opuscula polemica.

1. De vita, gestis et doctrina Theophili Kairis, cf. *op. cit.* Ch. Papadopuli, t. I, p. 223-272, 391-394.

2. Tres tomi, Constantinopoli, 1850-1853.

2° Constantinus Œconomus tres dissertationes de baptismi ritu composuit, in quibus rebaptizationem Latinorum et hæreticorum secundum decreta patriarchæ Cyrilli V propugnat [1].

3° Theoclitus Pharmakides tractatum de primatu Papæ reliquit, qui nondum editus est.

4° Moschatus, theologiæ professor in universitate Atheniensi, opus item contra Papam vulgavit.

5° Chrysostomus, primum protosyncellus, deinde metropolita, opus polemicum edidit Athenis, 1896, *De Ecclesia* inscriptum, Περὶ Ἐκκλησίας, in quo de præcipuis capitibus inter utramque Ecclesiam controversis agit, quin aliquid novi circa has quæstiones proferat.

6° Notari potest Zigavini *Responsio ad epistolam encyclicam Leonis papæ XIII de unione Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali*, Ἀπάντησις εἰς τὴν ἐγκύκλιον ἐπιστολὴν Λέοντος ιγ' πάπα Ῥώμης περὶ ἑνώσεως τῆς ἀνατολικῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας μετὰ τῆς δυτικῆς, Massiliæ, 1894.

7° Inter recentes polemistas anticatholicos mentionem meretur theologus liberalis Diomedes Kyriakus, Veterum Catholicorum amicus, qui volumen Ἀντιπαπικά inscriptum Athenis edidit, anno 1893. Polemicæ indolis etiam sunt, saltem ex parte, ejusdem Μελέται, Athenis, 1883, et Θεολογικαὶ διατριβαί, Athenis, 1898.

Nec desunt aliæ dissertatiunculæ polemicæ per decursum sæculi XIX a Græcis editæ, quas enumerare supersedemus, utpote quæ nullius fere sunt momenti.

### III. — De oratoribus, exegetis et catechismorum auctoribus.

Oratorum Græciæ coævæ princeps sane fuit Constantinus Œkonomus, de quo jam qua polemista locuti sumus. Suorum sermonum volumen (Λόγοι ἐκκλησιαστικοί) Berolini edidit, anno 1833.

Basilius, Smyrnensis metropolita, duo volumina sermonum (Λόγοι ἐκκλησιαστικοί, Smyrnæ, 1886-1887) item vulgavit.

Anthimus Tsatses, metropolita Anchialensis, collectionis centum homiliarum in Evangelium S. Joannis auctor est,

1. Τὰ σῳζόμενα συγγράμματα, t. I, p. 378-515.

quas in duos tomos distribuit, et sub titulo : Ὁδηγὸς εὐσεβείας, Constantinopoli, anno 1893, edidit.

Memorandi sunt etiam sermones Dionysii Latæ, Zacynthi metropolitæ, Ἅπαντα, 2 vol., Heraclioni, 1912.

Inter exegetas, præter Damalam, de quo supra diximus, nominandi sunt : 1° G. Konstantinus, qui *Interpretationem criticam et practicam sanctorum Evangeliorum* composuit, Ἑρμηνεία κριτικὴ καὶ πρακτικὴ τῶν ἱερῶν Εὐαγγελίων, 2 vol., Athenis, 1878; 2° Apostolus Makrakes, († 1905), qui quamdam *Interpretationem totius Novi Testamenti* incepit, Ἑρμηνεία ὅλης τῆς καινῆς διαθήκης, Athenis, 1891; vulgata sunt *Commentaria in quatuor Evangelia* et *in Actus Apostolorum*; 3° Hierotheus Mitropulus *Commentarium in Epistolas pastorales* sancti Pauli conscripsit, Ἑρμηνεία εἰς τὰς πρὸς Τιμόθεον καὶ Τίτον ἐπιστολὰς τοῦ ἀποστόλου Παύλου, Athenis, 1882; 4° Emmanuel I. Zolotus *Commentaria in Epistolam ad Galatas et in Epistolam catholicam sancti Jacobi* edidit, Ὑπόμνημα εἰς τὴν πρὸς Γαλάτας ἐπιστολὴν τοῦ ἀποστόλου Παύλου, Athenis, 1905; Ὑπόμνημα εἰς τὴν καθολικὴν ἐπιστολὴν τοῦ ἁγίου Ἰακώβου, Alexandriæ, 1913.

Præcipui autem catechismi inter Græcos hodiernos vulgati et ab ipsis conscripti sequentes sunt :

1° Catechismus Calliphronis (Σύνοψις ἱερᾶς κατηχήσεως) a Constantio I, patriarcha œcumenico, correcto et edito Constantinopoli, anno 1857.

2° Catechismus Constantini Œkonomi (1780-1857) Κατήχησις ἢ ὀρθόδοξος διδασκαλία, Vindobonæ, anno 1814, primum editus, et primo tomo operum ecclesiasticorum auctoris anno 1862 insertus : Τὰ σῳζόμενα ἐκκλησιαστικὰ συγγράμματα, t. I, p. 1-132;

3° Catechismus Bernardakis (Ἱερὰ Κατήχησις), Constantinopoli, 1872.

4° Catechismus M. D. Chamudopuli (Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις), Athenis, 1893.

5° Catechismus C. Baphidis (Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις), Constantinopoli, 1883.

6° Catechismus J. E. Mesoloræ (Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις), Athenis, 1888.

7° Catechismus Damasceni Christopuli (Ὀρθόδοξος κατήχησις), Athenis, 1881.

8° Catechismus Georgii S. Gegli (Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις), Patris, 1899.

9° Catechismus Nectarii Kephalæ (Ὀρθόδοξος ἱερὰ κατήχησις), Athenis, 1899, de quo supra.

10° Catechismus C. G. Koidakis (Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις), Athenis, 1906.

11° Catechismus S. P. Sungræ (Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις), tertia editio, Athenis, 1909.

12° Catechismus Diomedis Kyriaki (Χριστιανικὴ κατήχησις), Athenis, 1884; etc., etc.

Notandum est in pluribus catechismis hujusmodi occurrere animadversiones et notas polemicas in catholicam Ecclesiam.

### IV. — Documentorum theologicorum editores.

Græcia coæva quosdam habuit viros eruditos, qui scripta antiquorum edendo, de scientia theologica bene meruerunt.

Primus nominandus venit Andronicus Demetrakopulus († 1872), qui in sua *Græcia orthodoxa* (Ὀρθόδοξος Ἑλλάς), opera polemica contra Latinos a Græcis dissidentibus, inde a Photio usque ad sæculi XIX initium, conscripta ordine recenset, et in sua *Ecclesiastica bibliotheca* (Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη) quædam ex his operibus edidit. Unum volumen tantum editum est.

Constantinus Sathas (1842-1914), vir eruditissimus, plura documenta Medii Aevi in sua « Μεσαιωνικὴ βιβλιοθήκη » (7 vol.) publicavit, et *Historiam litteraturæ neohellenicæ* conscripsit, quæ, etsi erroribus scatet, non parvam tamen habet utilitatem (Νεοελληνικὴ φιλολογία), Athenis, 1868.

Papadopulus Kerameus (1856-1912), scriptor fecundissimus, multa edidit multaque conscripsit, ex quibus non pauca ad theologiam pertinent. Inter ejus opera notanda sunt.

1° *Hierosolymitana bibliotheca* (Ἱεροσολυμιτικὴ βιβλιοθήκη), 5 vol., Petropoli, 1891-1910.

2° *Analecta Hierosolymitani spicilegii* (Ἀνάλεκτα ἱεροσολυμιτικῆς σταχυολογίας), 5 vol., Petropoli, 1891-1898.

3° *Bibliotheca Mavrocordatiana* (Μαυροκορδάτειος βιβλιοθήκη), Constantinopoli, 1884-1888.

4° *Theodori Studitæ magna catechesis* (Θεοδώρου Στουδίτου μεγάλη κατήχησις), Petropoli, 1904.

Manuel Gedeon, Magnæ Ecclesiæ chartophylax, plura edidit documenta ad jus canonicum potissimum pertinentia. Ejus notissimum opus inscriptum: Κανονικαὶ διατάξεις, *Constitutiones canonicæ*, jam notavimus. Incepit ineditorum collectionem sub titulo Ἀρχεῖον. Multa alia edidit ad historiam ecclesiasticam pertinentia.

Spiridion Lambros catalogum codicum Athonensium ordinavit (2 vol.), et multa Byzantinorum scripta edidit tum in folio periodico, cui titulus : Νέος Ἑλληνομνήμων, tum in collectione : « Παλαιολόγεια καὶ Πελοποννησιακά », Lipsiæ, 1912, (2 tom.).

### V. — Russicorum operum versiones.

Inde a sæculo XIX, theologia russica non parvum influxum in Græcos habuit; qui enim Græcorum primum discipuli fuerant, magistri vicissim Russi facti sunt. Medium autem per quod hic influxus ad Græcos transivit, fuerunt translationes quorumdum scriptorum theologicorum in neohellenicam dialectum. Præcipua hujusmodi scripta sunt sequentia:

1° *Catechismus* Platonis Levkhin, Mosquensis metropolitæ, primum quidem ab Adamantio Corai græce, notis adjectis, versus (editio princeps, Lipsiæ, 1782), deinde per totam Græciam vulgatus [1];

2° *Catechismus longior* Philareti Drozdov, ab Andrea Coromila græce editus (Tertia editio, Athenis, 1848).

3° *Theologia dogmatica* Antonii Amphitheatrov, archimandritæ, a Theodoro Valliano edita, Athenis, 1858.

4° *Compendium theologiæ dogmaticæ* Macarii Bulgakov, a Neophyto Paghida versum, Athenis, 1882.

5° *Introductio ad theologiam orthodoxam* ejusdem Macarii, a Nicolao Sp. Papadopu o translata, 2 vol., Lipsiæ, 1858.

6° *Dialogi de orthodoxia orientalis catholicæ Ecclesiæ inter investigatorem et fidelem persuasum* Philareti Drozdov, a Theodoro Valliano translata et edita, Athenis, 1853.

7° *Veritas œcumenicæ Ecclesiæ. De Romana cæterisque patriarchalibus sedibus*, opus a Russo Andrea Nicolaievitch Mouraviev (1806-1874), Petropoli, annis 1841 et 1849 edi-

1. Aliam versionem ejusdem operis edidit Demetrius Darvaris, anno 1804.

tum, et a Valliano græce redditum et vulgatum, Athenis, 1854 : Ἀλήθεια τῆς οἰκουμενικῆς Ἐκκλησίας. Περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς καὶ τῶν λοιπῶν πατριαρχικῶν καθεδρῶν. Ejusdem Mouraviev opusculum, inscriptum : *Sermo Orthodoxiæ ad romanum catholicismum*, Petropoli, 1853, ad calcem hujus editionis græce adjunctum est : Λόγος τῆς Ὀρθοδοξίας πρὸς τὸν Ῥωμαϊκὸν κατολικισμόν.

His addendum est opus Nicodemi Milasch, natione Serbus : *Jus ecclesiasticum orientalis orthodoxæ Ecclesiæ*, quod Meletius Apostolopulus græce transtulit, et Athenis edidit, anno 1906. Milasch a theologis russis non pauca mutuatur.

### VI. — De commentariis theologicis periodicis apud Græcos.

Nostris diebus, Græci dissertationes et articulos de rebus theologicis edunt in quibusdam foliis periodicis, sicut et ubique fere nunc fit. Ex hujusmodi foliis præcipua sunt :

1° *Veritas Ecclesiastica*, Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, a Patriarchatu œcumenico semel in hebdomada edita, in qua articuli ad theologiam spectantes identidem occurrunt, vel publicantur documenta ex codicibus antiquis hausta ;

2° *Nova Sion*, Νέα Σιών, a professoribus scholæ ecclesiasticæ Sanctæ Crucis, Hierosolymis, inde ab anno 1904 edita.

3° *Ecclesiastica Pharus*, Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος, a Patriarchatu Alexandrino, inde ab anno 1908 edita, cui adnectitur, ab anno 1909, supplementum Πάνταινος nuncupatum.

4° Apud Græcos regni hellenici, per decursum sæculi XIX, plura fuerunt folia theologica, quæ nonnisi per aliquot annos edita fuere. Contogonis, professor theologiæ in facultate Atheniensi, ab anno 1857 ad annum 1871, *Evangelicum Præconem*, (Εὐαγγελικὸς Κήρυξ) publicavit. Item, Diomedes Kyriakus, ab anno 1859 ad annum 1871, *Orthodoxam Ephemeridem* (Ὀρθόδοξος Ἐπιθεώρησις) vulgavit. Clerus hellenicus Acta hebdomadalia, inscripta Ἱερὸς Σύνδεσμος *(Sacrum Vinculum)*, edit. Ab anno 1919 ad annum 1921, synodus hellenica habuit etiam periodicum mensile, cui titulus erat Ἡ Καινὴ διδαχή *(Nova disciplina)* ; nunc vero, ab anno 1923, trimestre periodicum typis mandat, inscriptum Θεολογία.

## SECTIO TERTIA

## HISTORIA THEOLOGIÆ RUSSICÆ PROPRIE DICTÆ [1]

### Divisio.

Historia theologiæ russicæ proprie dictæ in tres periodos commode dividi potest. Prima periodus, ab ipsis exordiis religionis christianæ apud Russos incipiens, usque ad suppressionem patriarchatus, sub Petro Magno, protrahitur. Secunda, a patriarchatu suppresso usque ad annum 1836 currit; tertia, ab hoc ultimo anno usque ad hodiernam diem. In prima, influxus theologiæ byzantinæ prævalet. In secunda,

1. De sua litteratura theologica necnon de vita et scriptis suorum scriptorum ecclesiasticorum, Russi conscripserunt innumeras dissertationes et monographias, quas recensere omnino impossibile est. Quasdam e præcipuis monographiis in sequentibus paginis passim indicabimus. Sufficiat hic inscriptiones transcribere operum generaliorum in quibus studiosus lector breves notitias de singulis theologis eorumque scriptis inveniet : 1° Eugenius Bolkhovitinov, metropolita Kioviensis (1767-1837), *Lexicon historicum scriptorum ecclesiasticorum qui in Russia fuerunt*, 2ª editio, 2 vol., Petropoli, 1827; 2° Philaretus Gumilevskii, archiepiscopus Tchernigoviensis, *Conspectus (Obzor) russicæ ecclesiasticæ litteraturæ*, 2 vol., 1ª editio, Kharkovii, 1859; 3ª editio, Petropoli, 1884; 3° A. Lopukhin-N. Glubokovskii, *Orthodoxa theologica encyclopædia;* ab anno 1900 usque ad annum 1914 tredecim volumina prodierunt. Opus non progreditur ultra litteram L; 4° A. Palmieri, *Nomenclator litterarius theologiæ orthodoxæ russicæ ac græcæ recentioris*, 1908-1911, 2 fasciculi, usque ad primos articulos litteræ B; 5° Andreëv, *Encyclopædicum Lexicon*, Petropoli, 1890-1907, 82 tomi + 4 tomi suppletivi; 6° C. N. Iugeakov, *Magna Encyclopædia*, Petropoli, 1902, 20 tomi; 7° *Lexicon biographicum russicum ab imperiali russica Societate historica editum* (incompletum), 19 tomi, Petropoli, 1896-1914; 8° S. A. Vengherov, *Lexicon critico-biographicum*, 6 tomi, ab anno 1886; 9° Gr. Nic. Gennadii, *Lexicon indicativum de russicis scriptoribus et viris doctis, qui sæculis XVIII et XIX fuerunt*, Berolini, 1876-1880, usque ad litteram M; 10° Damascenus Semenov Rudnev (1737-1795), *Bibliotheca russica seu*

Theophanis Prokopovith opera, theologia lutherana in theologos russos dominatum exercet. In tertia vero, theologia russica ad traditionem byzantinam et græcam revertitur, quamquam non pauca tum a catholica tum a protestantica theologia mutuatur.

*notitia de omnibus libris in Russia a principio typographiæ in lucem editis* (ab anno 1518 ad annum 1785), opus editum in *Lectionibus Societatis amatorum antiquæ litteraturæ*, Petropoli, 1881, t. XI; 11° L.-C. Backmeister, *Russische Bibliothek zur Kenntniss des gegenwärtigen Zustandes der Literatur in Russland*, Petropoli, 1772-1789, 11 volumina complectentia descriptionem 1102 librorum a Russis hoc tempore editorum, necnon varias notitias de motu litterario et scientifico apud Russos; 12° Sopikov, *Tentamen russicæ bibliographiæ*, Petropoli, 5 vol., 1813-1821; 13° A. N. Pypin, *Historia litteraturæ russicæ*, 4 vol., Petropoli, 1907; 14° B. A. Keltuiala, *Cursus historiæ russicæ litteraturæ*, 1ª pars, 2 tomi, Petropoli, 1906-1911; 15° P. N. Polevoi, *Historia russicæ litteraturæ*, 3 vol., 2ª editio, Petropoli, 1903; 16° Quædam de litteratura theologica tradunt diversæ *Historiæ Ecclesiæ russicæ :* a Macario Bulgakov, 12 vol.; a Golubinskii, 3 tomi (usque ad mortem metropolitæ Macarii († 1563); a Philareto Gumilevskii, 2 vol., compendium classicum; a Runkevitch *(Historia russicæ Ecclesiæ sub regimine sanctæ Synodi*, Petropoli, 1900), etc., conscriptæ. Multo plura occurrunt in *Historiis Academiarum ecclesiasticarum :* Macarius Bulgakov, *Historia Academiæ Kioviensis*, Petropoli, 1843; S. Smirnov, *Historia Mosquensis slavo-græco-latinæ Academiæ*, Mosquæ, 1855; ejusdem *Historia seminarii Lauræ SS. Trinitatis*, Mosquæ, 1867; ejusdem *Historia Academiæ ecclesiasticæ Mosquensis usque ad ejus innovationem* (1814-1870), Mosquæ, 1879; I. Tchistovitch, *Historia Academiæ ecclesiasticæ Petropolitanæ* (2 vol. Petropoli, 1857 et 1887; P. Znamenskii, *Historia Academiæ ecclesiasticæ Kazanensis* (1842-1870), 3 vol., Kazanii, 1891-1892.

# CAPUT PRIMUM

## THEOLOGIÆ RUSSICÆ PRIMA PERIODUS : A PRINCIPIO USQUE AD ANNUM 1700

### Prænotamina.

Per hanc primam periodum, theologia russica indolem theologiæ byzantino-græcæ fideliter refert, estque fere tota polemica. Et hoc non mirum, cum Russi Byzantinorum discipuli fuerint, ab eisque acceperint tum primos suos præsules tum suam litteraturam religiosam. Usque ad Mongolorum invasionem (an. 1237), metropolitæ Kiovienses fere omnes, septemdecim scilicet ex viginti tribus, græci fuere. Ad litteraturam vero religiosam quod attinet, quando Russi christiani facti sunt, ampla jam bibliotheca theologica slavica, versionibus operum Patrum et scriptorum græcorum constans, a Bulgaris parata fuerat. Hujusmodi versionum major pars ad Russos pervenit, præsertim postquam Bulgarorum regnum a Basilio II imperatore destructum est. (an. 1018). Unde præcipuum opus dogmaticum ex quo neophyti Russi scientiam theologicam primum hauserunt, fuit *Expositio fidei orthodoxæ* sancti Joannis Damasceni, quam circa finem sæculi IX vel initio sæculi X, Joannes, Bulgarorum exarcha, in palæoslavicam dialectum transtulerat [1]. His primis versionibus ex Bulgaria allatis aliæ mox additæ sunt. Primi metropolitæ Kiovienses, linguæ slavicæ plerumque ignari, quædam scripta, præsertim polemica, græce conscripserunt, quæ slavice versa sunt. Inde vero a sæculo XII, ipsi Russi quædam propria in lucem producere incipiunt. Sub Mongolorum dominatu (1237-1480), ignorantia rerum theologicarum adeo

1. Joannes exarcha non totam *Expositionem fidei orthodoxæ*, sed solummodo quadraginta octo capita ex centum slavice vertit; quibus adjecit quædam excerpta ex operibus aliorum Patrum græcorum.

crevit, ut, teste Isidoro Kioviensi, quidam episcopi legere et scribere vix scirent. Fuerunt tamen, et per hanc tempestatem, quidam polemistæ, qui tum contra Latinos, tum præsertim contra hæreses domesticas decertarunt. Quædam etiam opera theologorum byzantinorum, Palamæ scilicet, Nili Cabasilæ, etc., in slavicum translata sunt.

Postquam Constantinopolis a Turcis capta fuit, imperiique christiani caput esse cessavit, quædam diffidentia erga Græcos Russorum septentrionalium seu Moscovitarum animos pervasit. Ex hoc enim quod unionem Florentinam, etsi ad horam, amplexati erant, moxque in dominatum Infidelium inciderant, Moscovitæ non pauci collegerunt Græcos a vera orthodoxia defecisse. Tunc theoria de tertia Roma, Mosqua scilicet, Novæ Romæ in primatu hærede, principibus Moscovitis approbantibus, excogitata est.

Cæterum Moscovitæ tunc temporis maxima ignorantia detinebantur, futilesque movebant quæstiones; de quo fidem faciunt quædam controversiæ inter eos exortæ circa duplicem vel triplicem Alleluia, circa modum se signandi, etc. Verum scientiæ theologicæ caput mox exstitit metropolis Kioviensis, quæ circa annum 1320 sub potestatem Lithuanorum redacta, intra fines regni lithuano-polonici usque ad annum 1686 remansit, et in secundo dimidio sæculi xv a metropoli Mosquensi definitive separata est, a patriarchatu Constantinopolitano directe pendens. Porro, circa finem sæculi xvi, major pars Russorum Meridionalium seu Yugorussorum Polonis subjectorum in synodo Brestensi catholicæ Ecclesiæ adhæsit. Qui vero Ecclesiæ dissidenti addicti remanserunt, acriter cum Unitis disputare cœperunt. Inde effloruit copiosa litteratura theologica. Yugorussi dissidentes, ne certamini omnino impares essent, Catholicorum scripta perlegere necessitate compulsi sunt, linguam latinam didicerunt; imo Kioviæ collegium ecclesiasticum mox constituerunt, juxta exemplar collegiorum Jesuitarum, ubi disciplinæ philosophicæ et theologicæ secundum methodum scholasticam discipulis latine tradebantur. Exinde processere docti theologi, polemistæ non spernendi præclarique oratores, qui non solum Yugorussos verum etiam Moscovitas ipsos sua doctrina instruxerunt. Cum autem ex assiduo cum Catholicis commercio quasdam sententias veteri polemicæ byzantinæ con-

trarias hausissent, Moscovitæ vero, apud quos Græci suam pristinam auctoritatem in rebus fidei instauraverant, hujusmodi doctrinis adversarentur, inter utrosque circa finem sæculi XVII magna exarsit controversia, quæ abundanti litteraturæ polemicæ ansam dedit.

De his omnibus pauca dicturi, materiam in tres articulos dividemus; quorum primus erit de theologia russica usque ad constitutionem patriarchatus Mosquensis (an. 1589); secundus, de theologis yugoru sis sæculi XVII; tertius, de theologis moscovitis ejusdem ævi.

## ARTICULUS I

### De theologia russica ab incunabulis usque ad constitutionem patriarchatus Mosquensis.

Usque ad invasionem Mongolorum, præcipua litteraturæ theologicæ russicæ monumenta a metropolitis Kioviensibus natione græcis conscripta sunt, et hæc polemicæ sunt indolis. Ut jam diximus [1], Michael Cærularius totis viribus adlaboravit, ut omnes Sedes orientales a communione Ecclesiæ romanæ se sejungerent. Nullum sane dubium quin ipse ejusque successores ad metropolitas Kiovienses, qui sedis Constantinopolitanæ suffraganei erant, opuscula polemica contra Latinos sine mora miserint, ut Russorum animis aversionem et odium in romanam Ecclesiam instillarent. Tempore quidem quo Constantinopoli, anno 1054, schisma consummabatur, Kioviensi sedi non Græcus sed Russus genuinus, HILARION scilicet (1051-1054) præerat; quem jussu Jaroslavi principis, episcopi Russiæ, nulla relatione facta ad patriarcham Constantinopolitanum, consecraverant. Huic Hilarioni critici Russi communiter tribuunt anonymum opus, inscriptum *De lege et gratia*, in tres partes divisum. In prima, quæ contra Judæos videtur esse directa, auctor de habitudine Legis, seu Veteris Testamenti, ad Gratiam, seu Novum Testamentum, disserit; secunda est sermo panegyricus

1. Vide, p. 277.

in Vladimirum principem; tertia quadam fidei confessione et ad Deum precatione constat; in qua Spiritus Sanctus dicitur *a Patre procedere et in Filio se manifestare;* quæ quidem verba omnino catholice sonant, et nihil aliud videntur esse nisi excerptum confessionis trinitariæ sancti Gregorii Thaumaturgi : ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον καὶ διὰ Υἱοῦ πεφηνός [1].

Successores vero Hilarionis iterum Græci fuere, jamque metropolita Georgius (1065-1079) scripsisse fertur quamdam *Disputationem cum Latino*, in qua viginti septem *errores* Latinorum recensentur, qui omnes ad liturgiam vel disciplinam referuntur, et fere omnes ex *Tractatu contra Francos* desumuntur [2].

Georgii successor, Joannes II (1080-1089), ad antipapam Clementem III (1080-1110), qui illum ad unionem cum Sede

1. Opus *de lege et gratia*, cujus partes quidam habent ut tres libellos separatos, primum anno 1844, una cum versione russica, in *Supplementis ad opera sanctorum Patrum*, Mosquæ editum est. Iterum publicatum est anno 1848, in *Lectionibus Societatis mosquensis historiæ et antiquitatum;* tertia editio in tomo LXXII *Actorum (Zapiski) Academiæ scientiarum*, supplem. V, p. 32 sq.

2. Hoc opusculum invenies apud Macarium, *Historia Ecclesiæ russicæ*, t. II, p. 347 sq.; apud Pavlov, *Critica tentamina de historia antiquissimæ greco-russicæ polemicæ adversus Latinos*, Petropoli, 1878, p. 191 sq. Cf. Golubinskii, *Historia Ecclesiæ russicæ*, I ᵇ pars, t. II, Mosquæ, 1904, p. 820, qui catalogum errorum refert. Quidam, ut Pavlov, *op. cit.*, p. 57, putant libellum Georgio tributum compilationem esse posteriorem ex opusculis Nicephori et Theodosii Græci concinnatam : quod omnino verisimile nobis apparet ex narratione catalogo errorum præmissa de tempore et modo quo Latini ab Orthodoxia defecerint. Primo metropolitæ Kioviensi genere Græco, nomine Leoni (non Leontio, ut apud quosdam historicos occurrit), post annum 1004 mortuo, quidam tribuerunt opusculum polemicum græce conscriptum, tractans de azymis, de jejunio sabbati, de missa præsanctificatorum tempore quadragesimæ, de cælibatu clericorum, de suffocatorum esu necnon de additione ad symbolum, quod in codicibus inscribitur : Λέοντος μητροπολίτου (seu ἀρχιεπισκόπου, seu ἐπισκόπου) τῆς ἐν Ῥωσσίᾳ Πρεσθλάβας πρὸς Ῥωμαίους ἤτοι Λατίνους περὶ τῶν ἀζύμων. Verum, urbs Russiæ quæ nomen habet Pereieslav anno 1070 fundata est; præterea quæstio de azymis a Michaele Cærulario primum mota est. Quidam suspicantur Πρεσθλάβα esse Bulgariæ urbem *Preslava*. Alii, ut Karamsin, opinantur libellum non esse sæculo XIV antiquiorem. Nostra sententia, hic Leo a Leone Achridano non differt, ejusque libellus non est nisi quædam recensio interpolata *Epistolæ ad Romanos seu Latinos de azymis*, de qua supra, p. 268.

romana invitaverat, responsum misit, in quo sex tantum discrepantias enumerat, scilicet usum azymi, jejunium sabbati, lacticiniorum et ovorum esum prima hebdomada Quadragesimæ, caelibatum clericorum, potestatem confirmandi solis episcopis reservatam, additionem ad symbolum [1]. In alio opere inscripto *Responsa canonica ad Jacobum monachum*, Joannes tractat de diversis quæstionibus ad disciplinam canonicam potissimum pertinentibus .Duo responsa ad societatem Russorum cum Latinis referuntur, ex quibus patet tunc temporis Russos ab Ecclesia catholica fuisse separatos, Latinosque habuisse ut schismaticos et hæreticos, quibuscum in sacris, vel etiam in profanis, communicare matrimoniaque inire prohibitum sit [2].

Nicephorus metropolita (1104-1124) natione Græcus, linguæ slavicæ ignarus, duas epistolas de Latinis scripsit, unam ad Vladimirum Monomachum, alteram ad Iaroslavum Sviatopolkovitch, Volhyniæ principem. In utraque, errorum latinorum indicem texit, et in prima quidem viginti criminationes proferuntur, omnes fere ex *Tractatu contra Francos* excerptæ; in secunda vero, prohibitiones Joannis II iterat circa societatem cum Catholicis [3]. Idem est auctor etiam

1. Versio slavica hujus epistolæ primum edita est a K. Kalaidovitch, *Monumenta russicæ litteraturæ sæculi* XII, Mosquæ, 1821, p. 205-218. Textus græcus una cum versione slavica, a Pavlov, *op. cit.*, p. 168-186, et a V.-J. Grigorovitch in tomo I *Actorum scientificorum Academiæ scientiarum*, 3ª pars, 1854, p. 1-20. Textus græcus etiam editus est a C. Œconomo, Athenis, 1868, in-8°, XVI-18 p., ex duobus codicibus Patmiensibus.

2. Titulus completus hujus operis est : *Joannis Russiæ metropolitæ cognominati* « Propheta Christi » *breves regulæ ecclesiasticæ ex sanctis libris desumptæ ad Jacobum monachum.* In textu slavico responsiones sunt numero 34, ex quibus 17 habentur etiam in textu græco. Editæ sunt a Pavlov in *Bibliotheca historica russica Commissionis textuum antiquorum*, t. VI, 1880, p. 1-20, et a L. K. Gœtz in suo opere : *Kirchenrechtliche und Kulturgeschichtliche Denkmäler Altrusslands nebst Geschichte des russischen Kirchenrechts*, Stuttgarti, 1905, p. 114-170, cum versione germanica. De Joanne II vide optimam notitiam a L. Petit conscriptam in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VIII, col. 802-803.

3. Prima epistola edita est a Kalaidovitch, *op. cit.*; secunda a Macario, *Historia Ecclesiæ russicæ*, t. II, n. 9 et 10. Index errorum latinorum in utraque differt; utrique vero præmittitur narratio de schismate, quæ apud Georgium occurrit. Cf. Golubinskii, *op. cit.*, t. I, 2ª *pars*, in supplemento, p. 820-828.

duarum epistolarum de jejunio Quadragesimæ et Quinquagesimæ.

Theodosio Græco dicto, qui juxta quosdam, lauræ Petcherskaiæ kioviensis hegumenus fuit (1145-1165), adscribitur *Epistola ad principem Isiaslavum II de fide Latinorum* (*O viere variagskoi*). Hic etiam recenset discrepantias inter utramque Ecclesiam, jamque de usu indulgentiarum mentionem facit. Pleraque alia ex *Tractatu contra Francos* desumuntur. Omne cum Latinis commercium sive in sacris sive in civilibus Theodosius « Orthodoxis » interdicit; imo vasa purificare jubet, quibus, in casu necessitatis, Latini ad manducandum vel bibendum usi fuerint [1].

Sæculo xii, ut orator sacer elucet Cyrillus Turoviensis episcopus (ante 1169-1182). Ei tribuuntur sermones duodecim, ex quibus octo saltem ad eum indubitate pertinent. Illos magni faciunt Russi scriptores, quamquam candide fatentur auctorem multa a Patribus Ecclesiæ, præsertim vero a sancto Joanne Chrysostomo mutuari. Composuit etiam preces liturgicas quædamque opuscula canonica et ascetica [2].

Sub Mongolorum dominatu, tempore metropolitæ Cyrilli III (1242-1281), primum apparet in Ecclesia russica illud corpus juris canonici quod *Kormtchaia Kniga*, ex voce græca Πηδάλιον, nuncupatur. Est autem *Kormtchaia Kniga* collectio canonum et documentorum canonicorum quum veterum tum recentiorum cum commentariis. Prima *Kormtchaia Kniga* slavica ex *Pidalio* græco a Bulgaris composita est. Hujus exemplar Cyrillus III a Jacobo Sviatislavo, Bulgarorum despota, recepit, moxque propriis decretis in synodo Vladimirensi anno 1274 latis illud auxit. Post Cyrillum, *Kormtchaia Kniga* novis additamentis item crevit, donec Nicon patriarcha, anno 1653, illam typis mandavit. Ex documentis *Kormtchaiæ*

1. Hæc epistola edita est in *Actis scientificis Academiæ scientiarum*, t. II, fasc. 2. De litteratura polemica Russorum a sæculo XI ad sæculo XV, vide, præter opera jam laudata, A. Popov, *Conspectus historico-litterarius operum polemicorum vetero-russicorum adversus Latinos* (XI-XV s.), Mosquæ, 1875; Tcheltsov, *Polemica inter Græcos et Latinos circa quæstionem de azymis* (XI-XII sæc.), Petropoli, 1879.

2. Sermones Cyrilli primum editi sunt a Kalaidovitch, *op. cit.*, p. 1-152. Ejus opera omnia vulgavit Eugenius, episcopus Minskiensis et Turoviensis, Kioviæ, 1880. Cf. art. *Cyrille, évêque de Tourov*, in *Dict. de théol. catholique*, t. III, col. 2577-2579, auctore A. Palmieri.

*Knighæ* insertis quædam ad theologiam dogmaticam spectant [1].

In secundo dimidio sæculi XIV, exorta est *Strigolnikorum* secta, massalianis, catharis et Albigensibus omnino affinis, quæ magnam severitatem in moribus ostentabat, clericos simoniæ et avaritiæ insimulabat, hierarchiam ecclesiasticam, vitam monasticam, sacramenta, ritus sacros, suffragia pro mortuis respuebat, et ipsam mortuorum resurrectionem negabat. Contra *Strigolnikos* decertarunt 1° Stephanus Permensis, qui eorum errores in quadam dissertatione confutavit, declaravitque dona occasione sacrarum ordinationum episcopis sponte oblata esse legitima; 2° Metropolita Cyprianus (1390-1406), Tirnoviii in Bulgaria natus, qui hæreticos insectatus est, et in *Epistolis ad Pskovienses* liceitatem decimarum et taxarum pro sacris functionibus defendit; præterea multa scripta liturgica et patristica russice vertit [2]; 3° Metropolita Photius (1406-1433), qui quatuor epistolas item conscripsit de liceitate taxarum et donorum pro sacramentorum administratione perceptorum, severasque pœnas in hæreticos expetivit. Reliquit etiam Photius quindecim sermones seu epistolas pastorales, ex quibus prima tractat de sacramentis.

Sub eodem metropolita Photio, incepit controversia de triplici *Alleluia* in missa canendo. Quando Russi ad religionem christianam conversi sunt, mos erat cantandi duplex *Alleluia*, ut testantur plures slavonici codices antiquissimi. Hunc usum, initio sæculi XV, adhuc retinebat Ecclesia constantinopolitana. In quibusdam vero ecclesiis Russiæ, *Alleluia* triplicabatur. Cum autem de legitimo usu clerici Novogrodienses inter se litigarent parsque major triplici *Alleluia* suffragaretur, Photius, interrogatus, huic ultimæ sententiæ favit, decrevitque triplex *Alleluia* esse cantandum; cui mo-

1. Cf. Pavlov, *Monumenta veteris juris canonici russici*, in *Bibliotheca historica russica* Commissionis archeologicæ, Petropoli, 1880, t. VI; ejusdem, *Nomocanon slavo-russicus primitivus*, Kazanii, 1869. Jam diximus *Kormtchaiæ knighæ* tum *Tractatum contra Francos* tum fabulosam narrationem de origine schismatis mature inserta fuisse.

2. Epistolæ et canones Cypriani in *Pravoslavny Sobeciednik* Academiæ Kazanensis, 1861, t. II, p. 75-106, 1865, t. II, p. 9-34, prodierunt. Cf. art. *Cyprien, métropolite de Kiev*, in *Dict. de théol. cath.*, t. III, col. 2472-2474.

rem gerere renuerunt duplicis *Alleluia* sequaces, inter quos erat Euphrosinus († 1481), monasterii Eleazarovi fundator, quem Russi inter sanctos retulerunt. Ut de traditione Ecclesiæ matris, Constantinopolitanæ scilicet, certior fieret, Euphrosinus ipse Constantinopolim perrexit; judicio enim Moscovitarum hujus temporis, quæstio hujusmodi ad ipsam fidei integritatem spectabat. A patriarcha Josepho II (1419-1439) benigne exceptus Euphrosimus, ab eo comperit duplex *Alleluia* solum legitimum esse, hancque consuetudinem in Ecclesia constantinopolitana servari propriis auribus exploravit. In patriam reversus, suis adversariis, a quibus *hæreticus* audiebat, auctoritatem Ecclesiæ matris objecit; nihil vero profecit. Illi enim Græcos a vera Orthodoxia jam defecisse per duplicis *Alleluia* susceptionem contenderunt, eosque Antichristi sigillum in fronte et super brachium dextrum gestare declararunt, cum abominatio desolationis a Daniele prædicta in Ecclesia œcumenica constantinopolitana jam staret [1]. Hæc de triplici *Alleluia* controversia per totum sæculum XVI et usque ad Niconem patriarcham perduravit; imo, ut videbimus infra, duplex *Alleluia* est unum de præcipuis dogmatibus rascolnikorum *Starovierorum*, quod Maximus Græcus, sæculo XVI, Russis adhuc commendabat tanquam antiquissimum usum sancto Ignatio Theophoro ab angelis incorporeis traditum, dum triplex *Alleluia* tanquam novitatem latinam eis denuntiabat [2].

Controversia de *Alleluia* ad minuendam Græcorum auctoritatem apud Moscovitas non parum contulit, præsertim postquam urbs imperialis in manus Infidelium incidit, Moscovitæ vero Mongolorum jugum detrectarunt (anno 1480). Tunc Russia moscovitica tanquam unicum regnum Orthodoxiæ addictum apparuit, theoriaque de tertia Roma quibusdam theologis sponte illuxit. Primus qui illam adumbravit fuit logotheta Pakhomius († 1485), ex Serbia oriundus, qui monasticam vitam in Monte Atho aliquamdiu egerat. Juxta Pakhomium, christianorum Ecclesiam stare non potest sine

1. Alludebant ad Turcarum dominatum, post expugnationem urbis imperialis.

2. Cf. Nic. Rudnev, *Dissertatio de hæresibus et schismatibus quæ in Ecclesia russica fuerunt inde a tempore Vladimiri Magni usque ad Joannem Terribilem*, Mosquæ, 1838.

tsaro seu imperatore. Apud Russos est Ecclesia; debet esse et tsarus; unde ipse titulum tsari Vassilio Cæco (1425-1462) deferebat [1].

Paulo post, Philotheus monachus, qui monasterii Eleazarovi hegumenus fuisse fertur, novam theoriam ad unguem expolivit in tribus epistolis, quarum unam ad principem Pskovii, Michaelem Munekhin direxit; secundam ad Vassilem III (1505-1533), tertiam ad Ivanem IV Terribilem (1533-1584). Mosqua depingitur ut tertia Roma, cui quarta non succedet unquam, quæque omnium regnorum christianorum caput sub suprema tsari potestate aliquando fiet [2].

Interim nova hæresis Novogrodii et tenebris prorumpebat in lucem, quam *Judaizantium* appellarunt, eo quod Judaeus quidam, Skharius nomine, qui anno 1471 ex Kiovia Novogrodium advenerat, illius adinventor vulgo habebatur. Præcipui ejus fautores fuerunt Alexius et Dionysius sacerdotes Novogrodienses, qui multos discipulos inter sacerdotes et plebeios sibi adsciverunt, et Mosquam usque suos errores disseminarunt. Hæc nova hæresis illi Strigolnikorum cognata omnino apparet, estque fœtus illius spiritus rebellionis et simultatis in episcopos, quem clerus inferior jamdudum in pectore gerebat. Judaizantes principiis rationalismi imbuti erant; negabant siquidem divinitatem Christi ejusque virginalem conceptionem, resurrectionem, redemptorium opus; rejiciebant insuper mysterium præsentiæ realis et transsubstantiationis, mortuorum resurrectionem, cultum sanctorum, crucis et imaginum. Episcopis, optimatibus monachisque infenso animo erant, spirituque democratico agebantur. Anno 1487, Gennadius, Novogrodii archiepiscopus, hæreticos indicavit, Ivanumque Magnum rogavit, ut pœna ignis vel suspendii eis infligeretur; verum princeps et boiari quidam illis occulte favebant; unde nonnisi post annum 1503, rigorem potestatis civilis experti sunt, et in synodo anni 1504 anathemati publice traditi sunt.

Præcipuus hæreticorum adversarius fuit Josephus Volotskii († 1515), qui in suo opere inscripto *Prosvietitel* (*Illumina-*

1. Cf. Macarium, *Historia Ecclesiæ russicæ*, t. vii, p. 144-170; J. Nekrasov, *Acta Universitatis Novorossiskiensis*, t. vi, Odessæ, 1871.

2. Cf. V. Malinin, *Monachus Philotheus e conventu Eleazarovi ejusque epistolæ*, Kioviæ, 1901.

*tor*), *seu hæresis Judaizantium Confutatio*, illos docte refutavit. Opus constat historica introductione de hæresis origine et historia usque ad synodum anni 1490, et sexdecim sermonibus. In undecim ex illis, auctor doctrinam orthodoxam exponit, hæreticorumque placita convellit præsertim sacræ Scripturæ textibus; in quinque ultimis, de *pravoslavorum* societate et commercio cum hæreticis disserit. Introductio et singuli sermones titulo speciali insigniuntur [1].

Contra Judaizantes calamo decertarunt etiam Maximus Græcus († 1556), de quo supra locuti sumus, et metropolita Daniel (1522-1539). Hic collectionem sexdecim sermonum reliquit, ex quibus plures contra Judaizantes diriguntur; quidam de doctrina morali tractant, et unus, quintus videlicet, confutat errorem Bassiani Kosoi, quem renovasse ferunt errorem Juliani Halicarnassensis de incorruptibilitate corporis Christi [2].

Sub metropolita Macario (1542-1564), duo alii hæretici, Matthæus Bachkin et Theodosius Kosoi, qui eosdem fere errores, quos Strigolniki et Judaizantes, docebant, in synodis annorum 1553 et 1554 condemnati sunt. Theodosius Kosoi perfectus rationalista erat; de religione enim christiana solum præceptum dilectionis erga proximum retinebat, omneque quod supernaturale est repudiabat. Ut pater omnium sectarum rationalismi principiis addictarum, quæ mox in Russia pullularunt, merito habetur. Contra hunc Zinovius († 1568), monasterii Otenskii in diœcesi Novogrodiensi monachus, longum opus composuit cui titulus: *Demonstratio veritatis*. Constat decem dialogis seu colloquiis, in quibus auctor hæreses Theodosii exponit, et non tam textibus Scripturæ vel Patrum quam ratione theologica confutat [3].

Aliud opus cujusdam Anonymi, inscriptum: *Poslanie*

1. *Prosvietitel*, Kazanii, anno 1857, editus; quarta editio, *ibid.*, 1904. Longam analysim hujus operis dat Keltuiala, *op. cit.*, t. II, p. 562-576.

2. De metropolita Daniele vide V. Gmakin, *Metropolita Daniel ejusque opera*, Mosquæ, 1881, in *Lectionibus Societatis historiæ et antiquitatum Universitatis Mosquensis;* Macarium, *Opera metropolitæ Mosquensis Danielis*, in *Lectione christiana*, 1875, t. III, p. 181-275; articulum in *Encyclopædia theologica orthodoxa*, t. IV, col. 922-928.

3. Opus Zinovii editum est Kazanii, anno 1863.

*mnogoslovnoe* (*Epistola verbosa seu longa*) de ejusdem Kosoi erroribus item disserit [1].

Macarius ipse magnum opus hagiographicum, apud Russos percelebre, duodecim voluminibus constans, concinnavit, inscriptum *Tcheti Minei*, *Menologium*, in quo collegit tum Vitas sanctorum tum sermones et homilias diversorum auctorum de festivitatibus totius anni [2]. Idem synodo *Stoglavi* seu *centum capitum* dictæ, anno 1551 congregatæ, præfuit, in qua decreta magni momenti pro Ecclesia russica sancita sunt. Veteres traditiones circa modum formandi signum crucis cum duobus digitis (= *dvuperstie*), circa duplex Alleluia in Missa cantandum, circa barbam non radendam [3], etc., solenni judicio confirmatæ sunt, et contrariæ consuetudines prohibitæ [4]. Nostris adhuc diebus, *Starovieri* Russi ad decreta Stoglavi provocant contra novitates liturgicas patriarchæ Niconis sequenti sæculo promulgatas, necnon contra consuetudines occidentales a Petro Magno in Russiam invectas.

## ARTICULUS II

### De theologis Russiæ meridionalis qui sæculo XVII fuerunt.

Usque ad secundum dimidium sæculi XVI, Russi meridionales Lithuanis et Polonis subjecti fere nihil, ad theologiam quod spectat, in lucem produxerunt quod mentionem mereatur. Inde vero ab hoc sæculo exeunte, cum tum adversus Catholicos tum adversus Protestantes propria dogmata defen-

1. Hanc epistolam edidit Andreas Popov in *Lectionibus Mosquensibus Societatis historiæ et antiquitatum*, 1880, t. II.

2. Editionem *Menologii* Macarii incepit Commissio archeologica in *Bibliotheca historica russica*, anno 1868. Anno 1911, sex volumina lucem aspexerant.

3. Caput quadragesimum *Stoglavi* ante omnia christianis præcipit ne barbam radant : consuetudo contraria est traditio latina et hæretica, a paganis derivata.

4. De concilio *Stoglavi* permulta conscripserunt historici Russi. Vide recens opus Stephanovitch : *De Stoglavo necnon de ejus origine, compositione et connexione cum historia monumentorum antiqui juris ecclesiastici russici*, Petropoli, 1909.

dere haberent, jamque anno 1595, in synodo Brestensi, eorum major pars unioni cum Ecclesia catholica adhæsisset, in theologiæ polemicæ campum prodierunt, et contra suos adversarios totis viribus dimicarunt. Quædam etiam de theologia irenice conscripserunt, ab Scholastica latina multa mutuantes. Jam anno 1589, Kioviæ fundata fuerat *Schola Fratrum* dicta, quam anno 1631 Petrus Moghila in collegium mutavit ad exemplar collegiorum Jesuitarum; anno vero 1701, Academiæ titulo decorata est.

Acerrimæ polemicæ inter Catholicos et Yugorussos dissidentes ortum dedit liber jesuitæ Poloni Petri Skargæ (1536-1612) : *De unitate Ecclesiæ sub uno pastore et de Græcorum ab hac unitate defectione, cum monito et exhortatione ad nationes rossas Græcis adhærentes*, polonice, anno 1577. Idem, anno 1582, opusculum edidit *De erroribus Russorum necnon de causis propter quas Græci ab Ecclesia romana se sejunxerunt.* Utrumque scriptum uno volumine contentum anno 1589 editum est. Ad hoc opus Skargæ primum respondit « Anonymus » quidam ex monasterio Supralskii : *Responsio ad Latinos ex eorum libris*, 1581. Alia responsio anonyma, inscripta *Scazanie* (*Narratio*), mox edita est, in qua auctor, ut iis responderet quæ de patriarchis Constantinopolitanis hæreticis Skarga scripserat, viginti quinque papas enumerabat qui in hæresim lapsi fuissent [1].

Anno 1586, jesuita Benedictus Herbestus (1531-1593), collegii Jaroslavi rector, Cracoviæ vulgavit opus inscriptum : *Fidei romanæ argumenta et græcæ captivitatis historia : pro unione Ecclesiarum, ex prolixiore historia ecclesiastica excerpta ad conversionem Russorum.* Huic respondit Gerasimus Dani-

1. Præcipua opera polemica occasione unionis Brestensis conscripta in sequentibus collectionibus russicis invenies : 1° *Acta spectantia ad historiam Russiæ meridionalis*, Petropoli, 1865, t. II, t. IV ; 2° *Archivium Russiæ meridionalis et occidentalis*, Kioviæ, 1887, t. VII ; 1893, t. IX ; 3° *Bibliotheca historica russica*, Petropoli, 1878, t. I-IV ; 1882, t. VII ; 1903, t. XIX ; 4° Studinski, *Monumenta polemicæ litteraturæ sæculi XVI atque initii sæculi XVII*, t. I. Leopoli, 1906. In dissertatione M. Koialovitch, *Adnotationes circa fontes historiæ unionis lithuanicæ (Lectio christiana*, 1858, t. II, p. 339-390) occurrit index scriptorum polemicorum, quæ ad unionem Brestensem spectant. De historia vero hujus unionis vide copiosam bibliographiam apud Palmieri, *Theologia orthodoxa*, t. I, p. 783-784.

lovitch Smotritskii († 1594) in opere cui titulus : *Clavis regni cælestis*, anno 1587 edito. Clericus quidam Ostrogiensis nomine Basilius circa annum 1588 *Knighitsa* seu *Libellum* edidit in sex capita partitum, in quo tractat 1° de vera fide orthodoxa necnon de sancta catholica et apostolica Ecclesia ; 2° de processione Spiritus Sancti ; 3° de primatu Romano ; 4° de azymis ; 5° de novo kalendario ; 6° de ecclesiis et de cultu imaginum [1].

Circa idem tempus, Stephanus Zizanii Tustanovskii opus vulgarit cui titulus : *Demonstratio sancti Cyrilli Hierosolymitani de Antichristo et ejus lege*, in quo, decimam quintam catechesim sancti Cyrilli commentans, signa adventus Antichristi detegit in doctrina Ecclesiæ romanæ, dicitque papam esse ipsum Antichristum.

Cum autem Petrus Skarga, anno 1596, suam *Defensionem synodi Brestensis*, publicasset, anno sequenti « Anonymus » quidam edidit libellum inscriptum : Ἔκθεσις *sive parva seges rerum et quæstionum in synodo particulari Brestensi agitatarum;* et pseudonymus Christophorus Philalethus, eodem anno, narrationem Skargæ convellere aggressus est in opere Ἀπόκρισις, seu *Responsio*, Vilnæ, 1597, in quatuor partes diviso. In prima, auctor narrationem Skargæ partium studii insimulat ; in secunda, agit de defensoribus « Orthodoxiæ » in synodo ; in tertia, totus est in impugnando primatu papæ ; in quarta demum, Skargæ impetus in patriarchas œcumenicos necnon ejus laudes in unionem Brestensem examini subjicit, ac retundere nititur [2].

Huic « Ἀποκρίσει » Anonymus, quem Petrum Arcudium fuisse hodie compertum est [3], opposuit suam Ἀντίρρησιν seu *Confutationem*, Vilnæ, 1600, in qua Christophorus Philalethus protestantismi accusatur præsertim circa doctrinam de præsentia reali et de transsubstantiatione.

1. *Bibliotheca russica*, t. II, col. 633-938. Idem Basilius conscripsit *Responsionem ad litteras Ignatii Potiei*, Constantino Ostrogensi missas, et quamdam *Historiam conciliabuli seu latrocinii* (sic) *Florentini. Ibid.*, t. III, col. 377-476.

2. Hoc opus russice verterunt, et anno 1870 Kioviæ ediderunt professores Academiæ Kioviensis. De eo disseruit Skabalanovitch, *De Apocrisi Christophori Philalethi disquisitio*, Petropoli, 1873.

3. Cf. Legrand, *Bibliographie hellénique du XVII^e siècle*, t. III, p. 221-225.

De origine unionis Brestensis polemice tractat presbyter ignotus sodalitatis orthodoxæ Leopoliensis in opere post annum 1606 edito, cui titulus *Perestorga* seu *Admonitio.* Primatum papæ argumentis præsertim historicis impugnat [1].

Anno 1608, Leontius Karpovitch, Lauræ Petcherskaiæ Kioviensis diaconus, dissertationem conscripsit *de hæresibus apud Russos meridionales et occidentales grassantibus post unionem Orthodoxiæ cum Ecclesia romana* [1]. Auctor non minus quam triginta quatuor hæreses romanas recenset, ex quibus pleræque ad differentias in ritibus pertinent [2].

Unus ex acerrimis polemistis anticatholicis hujus temporis fuit Joannes Vichenskii, Vichnæ prope Leopolim natus, qui post synodum Brestensem ad montem Atho aufugit, et in monasterio τοῦ Ζωγράφου monasticam vitam amplexus est. Ab anno 1588 usque ad annum 1614 non minus quam quindecim opuscula vel libellos conscripsit, ex quibus notanda sunt : 1° *Epistola ad omnes Orthodoxos Russiæ meridionalis et occidentalis*, in qua lamentabilem statum Orthodoxiæ in regno polonico describit, et in romanos pontifices episcoposque unitos vehementer invehitur; 2° *Epistola ad principem Constantinum Ostrogensem et ad omnes Orthodoxos Malorussiæ*, in qua supercilium romano-catholicum insectatur, linguamque slavicam contra ejus detractores defendit; 3° *Epistola ad metropolitam et episcopos unitos Russiæ meridionalis*, quos copiosis injuriis afficit; 4° *Brevis notitia de latinis incantamentis*, ubi agit de Spiritus Sancti processione, de vetere et primitiva Ecclesia, de mutationibus et novitatibus in festis, in modo formandi signum crucis, etc., de Purgatorio [3].

Alius polemista anticatholicus, qui tamen circa finem vitæ suæ (anno scilicet 1626), Unioni adhæsit, Meletius Smotritskii (1577-1633) nuncupatur. Hic Vilnæ, in collegio Jesuitarum, primum studuit; postea Germaniam peragravit, ubi

1. Cf. Studinski, *Perestorga : monumentum ruthenicum initii sæculi XVII : Disquisitio historica et litteraria*, Leopoli, 1895.

2. *Acta Russiæ meridionalis et occidentalis*, t. II, p. 271-287. Leontius claruit etiam ut prædicator, quosdamque sermones reliquit.

3. Cf. Franko, *Joannes ex Vichna ejusque scripta*, ruthenice, Leopoli, 1895.

quibusdam Lutheranis amicitia se junxit. Sequentium operum auctor est :

1° Ἀντιγραφή seu *Responsio* ad duo scripta Unitorum, ad *Harmoniam* scilicet Ignatii Potiei, et ad opus anonymum inscriptum : *Hæreses, ignorantia et politica paparum et laicorum sodalitatis Vilnensis*, anno 1608, Vilnæ edita, in qua dissertationes occurrunt de Spiritus Sancti processione, de Jesu Christo mediatore, de communione sub utraque specie, de Purgatorio [1];

2° Θρῆνος *seu Lamentatio unicæ, universalis, apostolicæ orientalis Ecclesiæ, adjuncta explanatione dogmatum fidei; liber primum ex græco in slavicum, et nunc ex slavico in polonicum idioma translatus*, sub ementito nomine Theophili Orthologi, Vilnæ, anno 1610. Lamentabilis status « Orthodoxiæ » in Lithuania describitur; romanus Pontifex conviciis incessitur, et Antichristus appellatur; latinæ novitates, inter quas imaginum cultus recensetur, armis e panoplia theologiæ lutheranæ depromptis impugnantur [2];

3° *Justificatio innocentiæ*, Vilnæ, 1621, cujus scopus est, ut defendatur validitas consecrationis metropolitæ Kioviensis dissidentis atque episcoporum, ejus suffraganeorum, a Theophane, patriarcha Hierosolymorum, anno 1620 peractæ [3].

Cædi sancti Josaphat Kuntchevitch admixtus, peregre aufugit, Romamque veniens, anno 1626 catholicæ Ecclesiæ nomen dedit. Anno sequenti, in patriam reversus, archiepiscopi Hierapoleos titulo a papa decoratus, suæ conversionis sinceritatem adversus dissidentium impetus non uno scripto tuitus est, et anno 1633, in fide catholica constans mortuus est.

Tum contra Protestantes tum contra Catholicos calamo decertavit Zacharias Kopytenskii († circa 1627), Lauræ Petcherskaiæ archimandrita. Anno 1619, suum opus *Kniga o viere* (*Liber de fide*) vulgavit, in quo errores, Protestantium confutat. Ejus vero præcipuum scriptum adversus Unitos dirigitur. Cum enim Leo Krevzoi archimandrita unitus, qui

1. *Bibliotheca historica russica*, t. III, col. 1149 sq.

2. Hoc opus refutarunt Petrus Skarga, *In Lamentationem Theophili Orthologi*, Cracoviæ, 1610, et Elias Morochovski, Παρηγορία, *seu Consolatio*, Vilnæ, 1612. Hæc duo opera polonice conscripta sunt.

3. *Archivium*, t. VII, p. 279-344.

postea archiepiscopus Smolenskiensis fuit (1625-1639), anno 1617, suam *Defensionem unionis Ecclesiarum* Vilnæ edidisset, Kopytenskii perlongam confutationem hujus operis anno 1621-1622 composuit, cui titulus : Παλινῳδία, *Palinodia seu liber defensionis catholicæ sanctæ apostolicæ orientalis Ecclesiæ et sanctorum patriarcharum, et de Russis et Græcis christianis* [1]. In quatuor partes dividitur : prima est de primatu Petri apostoli; secunda, de primatu romani pontificis; in tertia, auctor ostendere conatur Ecclesiam russicam romanis pontificibus nunquam fuisse subjectam; in quarta, tractat de unione Brestensi, eamque invalidam fuisse contendit, quod renitentibus patriarchis orientalibus pacta fuerit. Inter opera polemica a Yugorussis sæculo XVII conscripta, *Palinodia* primas tenet.

Permagni etiam faciunt scriptores dissidentes opus inscriptum Λίθος *seu Petra ex funda Ecclesiæ sanctæ orthodoxæ russicæ ad evertendam ac destruendam tenebricosam Perspectivam vel potius satyram Cassiani Sakovicii, archimandritæ uniti monasterii Dubnensis*, Kioviæ 1644. Anno 1642, Cassianus Sokovitch Cracoviæ ediderat opus polonice scriptum, cui titulus : Επανόρθωσις *seu Perspectiva errorum, hæresum et superstitionum græco-russicæ separatæ Ecclesiæ, quæ deprehenduntur tam in dogmatibus fidei quam in administratione sacramentorum et cæteris ritibus et cærimoniis.* Huic respondet auctor Λίθου, Eusebius Pimen, Petri Moghilæ ementitum nomen [2]. Opus complectitur introductionem et octo sectiones. Pimen fatetur quidem quosdam abusus in suam Ecclesiam irrepsisse; illos vero transitorios esse dicit, miserandoque statui Ecclesiæ orthodoxæ sub regimine polonico tribuendos; cæterum, rituale Orientalium in administrandis sacramentis baptismi et confirmationis contra impetus Sokovitch tuetur, quædamque addit de cæteris discrepantiis.

Præter hoc opus, Petrus Moghila alia scripta vel ipse composuit vel slavice vertenda et edenda curavit. Anno

1. *Palinodia* edita est in *Bibliotheca historica russica*, t. IV, col. 313-1200. B. Zavinevitch de ea integrum volumen edidit : Παλινῳδία *Zachariæ Kopytenskii ejusque locus ac momentum in historia litteraturæ polemicæ Russiæ occidentalis*, sæc. XVI et XVII, Varsaviæ, 1883.

2. Hoc opus rursus editum est a Golubiev in *Archivio Russiæ meridionalis et occidentalis*, t. IX, 1ª pars, p. 1-445, Kioviæ, 1893.

1596 natus, in Polonia primum studuit, deinde peregre profectus est ad perficienda studia, sive Parisios, ut quidam volunt, sive in Hollandiam, ut opinatur, E. Picot [1]. Anno 1627, Kioviam devenit, ubi monasticam vitam amplexus est, moxque archimandrita Lauræ Petcherskaiæ renuntiatus est. Ex hoc tempore, præcipuus Russorum unitorum adversarius exstitit, omnemque operam contulit, ut Ecclesiam dissidentem in Russia meridionali instauraret. Anno 1631, ut jam diximus, collegium Kioviense constituit, ex quo præcipui theologi Russi sæculi XVII et primi dimidii sæculi XVIII prodiere. Anno 1633, metropolita Kioviæ creatus est, hancque rexit Ecclesiam usque ad annum 1646 exeuntem, quo præmature e vita cessit, annos quinquaginta natus. Plerosque libros liturgicos Ecclesiæ russicæ juxta editiones venetianas a Græcis factas, quibus rubricas speciales ipse non raro addidit, in typographia Lauræ Petcherskaiæ a se ampliata publicavit, multaque opera ascetica, hagiographica et oratoria antiquorum Patrum vel scriptorum byzantinorum ibidem typis mandavit [2]. Quæ vero de theologia ipse conscripsit, et quidem, ut videtur, non sine sociorum auxilio et cooperatione, hæc tria sunt :

1° *Catechismus productus*, in synodo Kioviensi, anno 1640 approbatus, et anno 1642, in collationibus Iasii examinatus; postea a Meletio Syrigo correctus, et anno 1643 a quatuor patriarchis orientalibus approbatus, *Confessio orthodoxa orientalis Ecclesiæ* mox appelatus est. De hoc supra quædam diximus [3], et de ejus auctoritate infra loquemur [4]. Cum autem correctiones Meletii Syrigi Petro minime placuissent, de sic dicta *Confessione orthodoxa* in Russia meridionali edenda nullo modo curavit, sed ejus loco alium *catechismum breviorem* composuit, quem anno 1645 polonice et russice Kioviæ vulgavit hocce titulo insignitum :

1. Emile Picot, *Pierre Movilă*, apud E. Legrand, *Bibl. hell. du XVII^e siècle*, t. IV, p. 104-159.

2. Catalogum operum et editionum jussu Moghilæ vulgatorum texuit E. Picot, *op.* et *loc. cit.* Præcipuum opus de vita et scriptis Moghilæ auctorem habet C. Golubiev, *Metropolita Kioviensis Petrus Moghila ejusque commilitones*, 2 t., Kioviæ, 1883 et 1898.

3. P. 509.

4. Vide p. 671 sq.

2° *Compendium breve scientiæ de articulis fidei orthodoxæ catholicæ christianæ secundum interpretationem et doctrinam Ecclesiæ sanctæ orientalis catholicæ apostolicæ, ad eruditionem et instructionem juventutis christianæ orthodoxæ studiosæ, præcepto et benedictione seniorum* (id est præsulum Ecclesiæ). Notandum est quasdam differentias parvi momenti intercedere inter textum polonicum, et versionem russicam [1]. Hæc iterum recusa est Leopoli, anno 1646. Ejusdem versio slavonica cum quibusdam additamentis, Mosquæ, anno 1649 prodiit; quæ deinceps pluries edita est cum titulo : *Catechismus seu parva instructio* [2]. Hic catechismus, non vero *Orthodoxa Confessio*, ut doctrinæ propriæ Petri Moghilæ expositio habendus est [3];

3° Λίθος, de quo mox diximus.

De tota hac litteratura polemica circa unionem Brestensem sat sinistre sentiunt docti auctores, ut Polonus Brückner et A. Palmieri : « Hæc polemica, ait ille, plane sterilis fuit, ut fieri assolet, ad controversias theologicas quod attinet. Neminem ad fidem catholicam reduxit, neminem cum ea reconciliavit. Argumenta theologica, quæ tempestate illa discussa fuere, controversiam illius *Filioque* non diremerunt, neque historice demonstratum est quandonam Russi baptizati fuerint utrum scilicet ante, an post schisma Ecclesiarum [4]. » Palmieri vero de eadem hoc profert judicium : « Oscitanter ac perfunctorie actæ sunt controversiæ theologicæ hujus aetatis, theologia scholastica in utroque campo perparum exculta, et critico acumine in testimoniis christianæ traditionis expendendis deficiente. Scriptores catholici brevibus historiæ schismatis narratiunculis ac paucis Patrum locis fallaci spe nitebantur fore ut Russi orthodoxi, deplorato schismate, ad sinum romanæ Ecclesiæ confugerent... Ad scriptores autem orthodoxos quod attinet, tot argumenta licen-

1. Has discrepantias notat Golubiev, *op. cit.*, t. II, *Appendix*, p. 473-480.

2. Editiones notantur a Picot, *loc. cit.*, p. 150 sq.

3. Haud spernendæ differentiæ deprehenduntur inter hunc catechismum et *Confessionem orthodoxam;* de quibus vide *Lectiones Societ. mosquensis hist. et antiquit.*, 1877, t. I, p. 141-145.

4. Bruckner, *Controversiæ de unione*, in *Kwaltarnik historyczny*, 1896, t. X, p. 643, polonice.

tius conficta, tot testimonia ex putidis fontibus derivata, tot sphalmata historica, tot concitati animi invectivæ apud eos reperiuntur, ut operam abuteretur qui ea serio refellere sibi in animum induceret... Me judice, hæc polemica scientifica auctoritate destituitur, et scriptores qui eam excoluere, tam eruditionis copia quam argumentorum delectu longe infra Petavium, Allatium, Arcudium, Lequienum substiterunt [1]. »

Præter polemistas jam memoratos, in hoc primo dimidio sæculi XVII, ut theologus et orator claruit Cyrillus TRANKVILLION († 1646), qui sub finem vitæ suæ unioni adhæsit. Ei debetur primum apud Russos tentamen theologiæ systematicæ, inscriptum *Zertsalo bogoslovie*, *Speculum theologiæ*, anno 1618 editum. In tres partes dividitur : in prima, sermo est de Deo; in secunda, de mundo *quadruplici*, seu de angelis, de cælo et terra, de homine, de mundo mali, ubi dominantur dæmonia; in tertia, de vita futura seu de novissimis. Præter hoc opus, Cyrillus edidit duo volumina sermonum, unum, anno 1619, inscriptum *Evanghelie utchitelnoe*, *Evangelium instructorium* centum et novem sermones complectens pro dominicis et festis totius anni; est dogmaticæ indolis; alterum, anno 1646, inscriptum *Perlo mnogotsennoe*, (*Margarita pretiosissima*), sermones morales et asceticos continet occasione festivitatum prolatos, estque quasi supplementum præcedentis collectionis.

Antequam Petrus Moghila suum primum catechismum componeret, Laurentius Zizanii TUSTANOVSKII opus simile conscripserat, quod anno 1627, a patriarcha Philareto correctum, Mosquæ typis mandatum est; sed vulgatum non est, ob quasdam sententias Moscovitarum judicio novas, quae in eo occurrebant [2].

1. *Theologia orthodoxa*, t. I, p. 796-797. De ipso opere Petri Skargæ *de unitate Ecclesiæ* idem auctor dicit : « Mihi videtur opus rudimentale præ se ferre specimen theologiæ polemicæ adversus schisma orientale, idque mirum non est, quum auctori hoc tantum propositum fuisset ut captui sese accommodaret indocti cleri russici illius ætatis. » *Ibid.*, p. 796 in nota.

2. De controversia cui editio hujus catechismi ansam dedit inter auctorem et theologos moscovitas, vide Tikhonravov in *Annalibus* (Lietopis) *litteraturæ russicæ et antiquitatum*, t. IV, 2ª pars. Dissertatio separatim edita est in n. 17 *Societatis amatorum litteraturæ*, Petropoli, 1878.

In secundo dimidio sæculi XVII, inter Yugorussos claruerunt Lazarus BARANOVITCH (1620-1693), Innocentius GHISEL († 1683), Antonius RADIVILOVSKII († 1688) et Joannes GALIATOVSKII († 1688).

BARANOVITCH, Tchernigoviensis episcopus, præclarus exstitit orator, duplicemque sermonum collectionem edidit. Titulus primæ est : *Metch dukhovnyi* (*Gladius spiritualis*), Kioviæ, 1666; secunda inscribitur : *Tubæ prædicatorum pro præcipuis festivitatibus*, Kioviæ, 1674. Theologiæ polemicæ etiam indulsit, opusque mediocris notæ, anno 1676, Novogrodii vulgavit, cui titulus : *Nova mensura veteris fidei a Deo communicata Lazaro Baranovitch... ut metiatur potestatem sancti Petri Romanorumque Pontificum et processionem Spiritus Sancti a Patre*, in quo infirmis argumentis convellere nititur librum jesuitæ Pauli BŒHMI († 1670) inscriptum : *Fides antiqua seu clara demonstratio quod illi qui permanent in schismate, veteri fidei non amplius adhærent*, Vilnæ, 1668.

Hoc idem docti Jesuitæ opus petivit Innocentius GHISEL, Lauræ Petcherschaiæ archimandrita, ex parentibus lutheranis in Prussia natus, et Orthodoxiam orientalem amplexus, in scripto nondum typis mandato et in bibliothecis Kioviensibus asservato, cui titulus : *Vera fides antiqua Ecclesiæ sanctæ orientalis orthodoxæ catholicæ* [1]. Idem, præter *Synopsim nationis slavicæ* (Kioviæ, 1674), composuit opus dogmatico-morale, inscriptum *Mir se Bogom* (*Pax cum Deo*), ubi tractat de voluntate, de conscientia et de gratia [2].

Antonius RADIVILOVSKII, monasterii Nicolaievi Kioviensis hegumenus, ut prædicator enituit, duoque florilegia suæ eloquentiæ publicavit, unum in Dei Matris honorem, cui titulus : *Hortus Mariæ Deiparæ*, Kioviæ, 1676; alterum, ad Christi laudem : *Corona Christi*, *ibid.*, 1688.

Ut prædicator etiam, sed præsertim ut polemista famam sibi comparavit Joannes GALIATOVSKII, qui collegii Kioviensis rector aliquamdiu exstitit. Sub titulo : *Kliutch razumeniia* (*Clavis cognitionis*), anno 1659, Kioviæ edidit sermonum bipartitam collectionem de festis dominicis et marialibus

1. Quidam hoc opus tribuunt Barlaamo Iasinskii, qui fuit metropolita Kioviæ (1690-1707).

2. Kioviæ, 1669.

necnon de festis sanctorum, in qua, secundum formam apud Polonos prædicatores usitatam, dogmaticam ac moralem doctrinam explicat. Anno 1665, florilegium mariale, inscriptum : *Nebo novoe*, (*Cælum novum*), vulgavit, in quo in unum collegit diversas narrationes de vita et miraculis B. Mariæ virginis, ex fontibus quum orientalibus tum occidentalibus haustas. Ut polemista vero, tum adversus Catholicos tum adversus Judæos et Mahumetanos decertavit. Ad polemicam anticatholicam referuntur opera sequentia :

1° *Colloquium Bielotserkovskium*, anno 1676 vulgatum, in quo narrat disputationem de primatu sancti Petri cum jesuita Pekarskio habitam;

2° *Vetus orientalis Ecclesia Novæ Occidentali demonstrat processionem Spiritus Sancti a solo Patre*, Novogrodii, 1678, in quo tum opus jam citatum Pauli Bœhmi, tum alius Jesuitæ, Nicolai Cichovii, scriptum, cui titulus : *Tribunal sanctorum Patrum orientalium et occidentalium ab Orientalibus summe laudatorum*, Cracoviæ, 1658, refutare conatur. Non solum de processione Spiritus Sancti, sed etiam de primatu papæ sermonem texit;

3° *Animæ mortuorum*, opus in doctrinam catholicam de Purgatorio directum, Tchernigovii, 1683. Auctor mira quædam habet circa statum animarum post mortem, theoriam de *teloniis* dictam fuse exponit [1], distinguitque in inferno duplex habitaculum, unum pro paganis et infidelibus, *abyssum cinerosam* vocatum, alterum pro peccatoribus induratis, quod est *ignea gehenna*.

4° *Fundamenta super quæ Latini unionem Russiæ cum Roma exstruunt, juxta novam hodiernam fidem romanam, justis responsionibus Ecclesiæ orientalis diruta, atque ad nihilum redacta*, opella anno 1683 edita [2].

Anno 1669, contra Judæos vulgavit opus cui titulus : *Messia pravdivyi*, (*Messias verax*), in quo Jesum verum esse Messiam demonstrat, Talmudumque confutat [3].

Contra Mahumetanos scripsit opus inscriptum : *Alcoran Mahumetanorum a Christo judicatum*, Kioviæ, 1687, in duode-

1. De *teloniis* vide t. II hujus *Theologiæ*.

2. Cf. Elstreicher, *Bibl. polska*, t. XVII, p. 12.

3. Anno 1666, inter Judæos multi messiæ in diversis regionibus prodierunt. Hæc fuit Joanni Galiatovskii occasio hoc opus conscribendi.

cim sectiones divisum, in quo historiam Mahumetis narrat, ejusque doctrinam confutat.

Demum adversus omnes hæreticos conscripsit opellam inscriptam : *Alphavit hereticov*, cujus scopus est, ut « Orthodoxi » contra hæreticos præmuniantur, Tchernigoviæ, 1681.

## ARTICULUS III

### De theologis qui in Russia septentrionali sæculo XVII floruerunt. Schismatis russici origo.

Concertationibus polemicis, quæ, initio sæculi XVII, in Russia meridionali et occidentali inter Catholicos et « Orthodoxos » excanduere, vix se immiscuerunt Moscovitæ, quippe qui in debellandis Polonis non calamo sed gladio toti occupati erant; neque scientia theologica sufficienti tunc pollebant, ut in hujusmodi prœliis suas partes haberent. Sæculo vero mediante, sub influxu tum theologorum Kioviensium tum etiam Græcorum, qui eleemosynarum causa, Russiam peragrabant, jam et ipsi in scientia theologica proficere inceperunt, quædamque e proprio penu in lucem mox protulerunt. Postquam Michael Romanov (1613-1645) sceptrum tsarorum suscepit, Mosqua suos habuit græcophilos, qui theoriam de tertia Roma missam facientes, in Græcos tanquam in Orthodoxiæ magistros oculos figebant. Hujusmodi factionis capita erant Stephanus Bonifatiev, tsari confessor, boiarin Theodorus Retichtchets et Nicon, qui tunc monasterii Novospasskii archimandrita erat. Tsarus ipse eis suffragabatur. Hi libros Yugorussorum benigne excipiebant et assidue legebant. Atqui hujusmodi libri polemici patriarchas orientales, et præsertim Constantinopolitanum, tanquam supremam Orthodoxiæ auctoritatem commendabant, Ecclesiamque græcam extollebant, tanquam quæ fidem et traditionem Patrum integerrime servasset. Ut sententias hujusmodi inter doctos disseminarent, horum scriptorum locos selectos in unum collegerunt, collectaneaque duo ediderunt, quorum primum, *Kirillova Kniga* inscriptum, Michael Godov, Mosquæ anno 1644 vulgavit; alterum vero, cui titulus *Kniga o viere*

(*Liber de fide*), opera NATHANAELIS, monasterii Mikhailovskii Kioviensis hegumeni, Mosquæ item, anno 1648, lucem aspexit. In hoc ultimo volumine, patriarcha Constantinopolitanus Ecclesiæ russicæ supremus rector ac dux expresse vocatur, Græcorumque orthodoxia miris laudibus celebratur. Cum autem jam Maximus Græcus et post eum alii Græci peregrinatores ad aliquas discrepantias inter libros et ritus liturgicos utriusque Ecclesiæ, Russicæ videlicet et Græcæ, animadvertissent, Yugorussi vero ipsi, Petro Moghila præeunte, suos libros recenter emendassent, græcophili Mosquenses Ecclesiæ russicæ ritus ad normam græcam redigere animo conceperunt. Ut autem hoc propositum ad effectum perducerent, instanter eos hortatus est PAISIUS, Hierosolymorum patriarcha, qui anno 1649, Mosquam invisit. Unde, hoc eodem anno, Paisio in Orientem revertenti comitem dederunt Russum monachum Arsenium SUKHANOV († 1688), græcæ linguæ peritum, qui libros slavicos cum græcis conferret, differentiasque accurate notaret, ut slavicorum emendatio publice et authentice ad normam græcam postea fieret. Arsenius vero, qui græcophilus nullo pacto erat, sed ad veterum Russorum factionem potius pertinebat, non progressus est ultra Moldaviam. Ibi enim comperit monachos græcos in monte Atho degentes libros slavicos igni tradidisse, eo quod monachus quidam natione Serbus, ætate jam provectus, *dvuperstie* usitaretur (id est : cum duobus digitis signum crucis efformaret). Hoc Arsenio satis fuit, ut non solum iter abrumperet, verum etiam ut in Græcos vehementer insurgeret, et cum eis de dogmatibus et ritibus acerbissime disputaret. Suarum disputationum relatiònem conscripsit, Mosquamque reversus, librum tsaro obtulit[1].

Haec Arsenii prima cum Græcis agendi ratio tsaro et aliis optimatibus parum consulta et a diplomaticæ legibus aliena visa est. Unde, anno 1651, in Orientem iterum illum miserunt. Illa vice, Arsenius munere commisso optime functus est. Constantinopolim, Hierosolymam, Alexandriam visitavit, sacris functionibus adsistens, et omnia attente explorans, ita ut, cum anno 1653 Mosquam reversus esset, patriar-

1. Opus Arsenii : *Controversiæ cum Græcis de fide* edidit Bêlokurov in *Lectione christiana*, 1883, t. II, p. 694-717, et in *Lectionibus Societatis Mosquensis*, 1894, t. II, p. 25-101.

cha Nicon (1653-1666) librorum liturgicorum emendationem sine mora adoriri potuerit [1].

Hæc autem niconiana emendatio veterum Moscovitarum factionem, quæ Græcis infenso animo erat, vehementer commovit. Episcopi quidem omnes, uno excepto, correctiones susceperunt; at non pauci inter presbyteros et alios clericos illis reclamaverunt. Exinde ortum duxit hoc magnum schisma intestinum, quod Russi *Rascol* appellant. Litteratura polemica copiosa, Occidentalibus fere ignota, prodivit, ex hac inter Rascolnikos et Niconianos contentione; quæ nondum sopita est. Cæterum pleraque capita utrimque controversa viro occidentali omnino futila apparent, et ad theologiam vix referuntur. Hæc sunt enim *Starovierorum* rascolnicorum propria dogmata, quæ correctionibus Niconis opponuntur, et usus præniconianos referunt :

1° Articulus symboli qui de Spiritu Sancto est, sic legendus est : *Et in Spiritum Sanctum* VERUM *et vivificantem Dominum;*

2° In sacra liturgia, *Alleluia* duplicandum est, non vero triplicandum; post quod addendum est : « Gloria tibi, Deus; »

3° In processionibus liturgicis, secundum cursum solis procedendum est, non vero in contrariam partem;

4° Signum crucis formandum est duobus digitis, indice scilicet et medio, non vero tribus;

5° Sola crux octobrachialis veneranda est;

6° Salvatoris nomen scribendum est et pronuntiandum « Issus », non vero *Iissus*;

7° Venerandæ sunt tantum imagines veteres, vel quæ ex ipsis depictæ sunt.

8° Invocatio ad Jesum sic concipitur : « Domine Jesu Christe, *Fili Dei*, miserere nobis », non vero : « Domine, Jesu Christe, *Deus noster*, miserere nobis. »

9° Non quinque sed septem *prosphoræ* (id est, particulæ, μερίδες, ex magna hostia excisæ) offerendæ sunt;

1. Suam peregrinationem Arsenius narravit in opere inscripto *Proskinitarii*, quod edidit Bêlokurov in *Lectionibus Mosquensibus*, 1894. Jam illud publicaverat Ivanovskii, Kazanii, 1870, et Petropoli, 1889. De Arsenio vide optimam dissertationem ejusdem Bêlokurov, *Arsenius Sukhanov*, 2 t., Mosquæ, 1891-1894. Cf. etiam *Lectionem christianam*, 1883, t. II, p. 676-738.

10° Non radenda labra neque mentum, neque tabaco vel caffeo utendum;

11° In liturgicis officiis celebrandis, veteres libri soli adhibendi sunt [1].

Initio controversiæ, Starovierorum præcipui doctores fuere 1° Archipresbyter Avvakum, qui plus quam quadraginta dissertationes et opuscula, plerumque in forma supplicationum et epistolarum, conscripsit. Patriarcha Nicon illi est Antichristi præcursor. Anno 1681, cum sociis igni traditus est; 2° Presbyter Nikita Pustoviat, qui anno 1665 longam supplicationem conscripsit contra librum niconianum inscriptum *Skrigeal* [2], in quo non unam hæresim detegit, theoriamque de tertia Roma memorat; 3° Presbyter Lazarus, unius supplicationis auctor; 4° Diaconus Feodorus Ivanov, qui contra correctiones Niconis plures scripsit epistolas, et de additione vocis *verum* (*istinnago*) ad symbolum præsertim disserit; 5° Archimandrita Spiridon († 1665), cujus *Liber de vera fide* late diffusus est [3].

Præcipui vero theologi qui tempore emendationis librorum liturgicorum et usque ad initium sæculi xviii in Russia septentrionali floruerunt, sunt sequentes :

1° Epiphanius Slavinetskii († 1675), ex Russia meridionali oriundus et collegii Kiovensis alumnus, qui anno 1649, a Isaro et patriarcha vocatus, Mosquam perrexit, ibique in corrigendis libris liturgicis multum laboravit, et non pauca scripta tum ecclesiastica tum profana slavice vertit. Reliquit insuper quadraginta sermones, ex quibus quidam eo scripti

1. Sunt tamen inter Starovieros *popovtsos* et Niconianos quædam discrepantiæ, quæ verum characterem dogmaticum præ se ferunt : v. g., Starovieri docent immaculatam conceptionem B. Mariæ virginis, consecrationem Eucharistiæ fieri per sola verba dominica. Utrumque enim dogma in veteribus libris traditur. Sed de his fusius in secundo volumine.

2. *Skrigeal* (græce, πίναξ) est collectio documentorum liturgicorum a Nicone, anno 1656 edita. Præcipuum documentum est *Explicatio liturgiæ* a Græco Joanne Nathanael conscripta. In ea occurrit negatio Immaculatæ Conceptionis.

3. Amplam segetem documentorum ad originem schismatis liturgici spectantium edidit N. J. Subbotin in suis *Documentis pro historia Rascoli in prima periodo ejus existentiæ*, Mosquæ, 9 vol. In vol. iv, v et viii, referuntur scripta primorum Rascolnikorum.

sunt, ut studentibus tanquam specimina eloquentiæ sacræ proponerentur [1].

2° Symeon Petrovskii Sitnianovith (1629-1680) cognomento Polotskii, Yugorussus, Kioviæ alumnus, anno 1663, Mosquam venit, ibique anno 1670, suam dogmaticæ theologiæ expositionem conscripsit, cui titulus : *Vienetz viery catholitcheskaia, Corona fidei catholicæ super fundamento symboli sanctorum Apostolorum, ex variis floribus theologicis contexta.* Hæc systematica theologiæ expositio, quæ typis nunquam mandata est, et in bibliotheca synodali Mosquensi manuscripta asservatur, secundum methodum scholasticam redacta est. Constat capitibus decem et septem in quæstiones et responsiones contextis. Post prævias quæstiones de nomine *christiani*, de indole dogmatum fidei, necnon de hæresibus, articulos symboli Apostolorum (non vero symboli Nicaeno-Constantinopolitani) ordine explicat, adducens primum testimonia sacræ Scripturæ, deinde textus Patrum, postea etiam quædam argumenta ex ratione theologica. Non solum laudat Patres et doctores antiquæ Ecclesiæ. verum etiam opera theologorum occidentalium medii ævi et recentioris temporis, ut S. Anselmi, Gersonis, Genebrardi, Aquensis archiepiscopi (1537-1597), cardinalis Paleotti (1522-1597), Baronii (1557-1607), et præsertim B. Bellarmini (1542-1621). Item, vetus systema astronomicum Scholasticorum adhuc retinet. Contra Latinos pauca tantum habet, nec in eos spiritu polemico invehitur. Adversus Starovieros Nikitam et Lazarum, anno 1666, edidit opus inscriptum *Gezl pravleniia*, id est *Virga directionis*, ubi etiam scholastice procedit. Fuit insuper orator magni nominis; cujus sermones in duo volumina collecti, post ejus mortem editi sunt sub his titulis : 1° *Obied duchevnyi* (*Prandium spirituale*), Mosquæ, 1681, sermones dominicales continens; 2° *Vetcheria duchevnaia*, (*Cœna spiritualis*), Mosquæ, 1683, sermones festales complectens. A collectaneis latinis non pauca mutuatur [2].

1. De Epiphanio vide Pievnitskii in *Trudy* Kioviensibus, 1861, n. 8, 10, et I. Rotar, *Epiphanius Slavinetskii litterarum promotor*, Kioviæ, 1901.

2. De Simeone vide L. Maikov, *Simeon Polotskii*; *Adumbrationes ex historia russicæ litteraturæ sæc.* xvii et xviii, Petropoli, 1889; I. Tatarskii, *Simeon Polocensis, ejus vita et res gestæ*, Mosquæ, 1886.

3° Sylvester Medviedev (1641-1691), præcipuus Simeonis Polotskii discipulus, latinæ linguæ et polonicæ peritus, anno 1678 censor librorum in typographia Mosquensi renuntiatus est; quo munere fungendo animadvertit editiones niconianas librorum liturgicorum non ex antiquis codicibus slavicis et græcis, sed ex recentioribus editionibus Græcorum Venetiis vulgatis fuisse paratas. Illo vero tempore, Mosquæ quasi duæ factiones theologicæ erant : factio scilicet Yugorussorum, qui ex Russia meridionali et occidentali advenerant, et circa quasdam quæstiones *latinophrones* erant; et factio *græcophilorum*, quæ sententias Græcorum modernorum amplectebatur, influxuique patriarcharum orientalium, et præsertim Dosithei Hierosolymitani, obnoxia erat. Aula imperialis et patriarcha Joachimus (1674-1690) græcophilis omnino favebant. Unde pro nova Schola seu Academia slavo-græco-latina, quam Mosquæ constituere decreverant, professores græci arcessiti sunt, et anno 1685, ut supra diximus, Fratres Likhudes ad Moscoviæ caput, post longum iter, pervenerunt. Jam ante horum adventum, controversia quædam inter utramque factionem exorta erat circa momentum, quo in missæ sacrifico panis et vinum in corpus et sanguinem Christi convertuntur. Sylvester Medviedev, qui in hoc cum suo magistro Symeone Polotskii aliisque theologis yugorussis consentiebat [1], doctrinam catholicam de transsubstantiatione donorum per sola verba dominica tanquam indubitatum Orthodoxiæ dogma tuebatur. Hanc sententiam propugnavit 1° in libro dicto *Panis vivus*, triginta quæstionibus et responsionibus constante, ubi doctrina dogmatica de Eucharistia exponitur, et ritus sacræ synaxis explicantur; 2° in alio opere inscripto *Manna*, tsarinæ Sophiæ, auctoris protectrici, dicato, viginti capita complectente, ubi tota quæstio de forma Eucharistiæ fuse exponitur. Auctor illum peccati mortalis reum declarat, qui, post prolationem verborum Domini, sacra dona non adorat tanquam verum corpus Christi; 3° in *Libello adversus Joannicium et Sophronium Likhudes*, in quo professores græcos diris verbis insec-

1. De hac controversia vide Mirkovitch, *De tempore transsubstantiationis sanctorum donorum. Controversia quæ Mosquæ fuit in secundo dimidio sæculi XVII*, Vilnæ, 1886.

tatur. Quidquid scripserint historici quidam, Medviedev suam doctrinam de forma Eucharistiæ nunquam ejuravit, neque ei hoc extorquere potuit patriarcha Joachimus, in synodo Mosquensi anni 1690, in qua vetus opinio byzantina de epiclesi ut sola doctrina Orthodoxiæ consona declarata est. Anno vero 1691, cum in conjuratione adversus tsarum Petrum Magnum implicatus fuisset, capite truncatus est. Præter opera jam citata, triginta sermones et homilias reliquit, primumque indicem bibliographicum litteraturæ russicæ concinnavit [1].

4° Euthymius monachus, Epiphanii Slavinetskii alumnus, Sylvestri Medviedev in controversia de momento transsubstantiationis potissimus exstitit adversarius, cui suffragati sunt fratres Likhudes, ei in componendis libris argumenta subministrantes. Multa opera græca in dialectum russicam transtulit, et in paranda nova versione slavica sacrarum Scripturarum suas partes habuit. Ejus opera polemica sunt sequentia : 1° *Demonstratio adversus sapientiam latinam, quam sancta Ecclesia orthodoxa orientalis rejicit*, contra *Panem vivum* Sylvestri Medviedev directa; 2° *Confutatio latinæ doctrinæ de transsubstantiatione* (agitur, ut patet, de forma Eucharistiæ); 3° *Chtchit Viery* (*Clypeus fidei*); est collectio polemica diversorum documentorum adversus doctrinam catholicam de forma Eucharistiæ et de quibusdam aliis capitibus, jussu Adriani patriarchæ (1690-1700) edita [1]; 4° (*Osten, Aculeus*), opus ejusdem generis ac præcedens, cui tamen concinnando non solus Euthymius, sed etiam alii operam contulerunt [2].

5° Fratres Likhudes, Joannicius et Sophronius, de quibus supra egimus [3].

6° Innocentius Monastyrskii, Sylvestri Medviedev amicus et commilito, in componendo libro inscripto *Manna, panis vivus*, eum adjuvit. Ipse vero plura opuscula de mo-

1. Cf. A. Prozorovskii, *Sylvester Medviedev : ejus vita et res gestæ*, Mosquæ, 1897.

2. In hoc opere, occurrit catalogus librorum theologorum Yugorussorum in concilio Mosquensi anni 1690 condemnatorum. Inter eos veniunt *Magnum rituale* et *parvus catechismus* Petri Moghilæ, anno 1645 editus.

3. P. 517.

mento transsubstantiationis conscripsit. Primum, *De divina liturgia* inscriptum, triginta quæstiones et responsiones complectens, Latino Berengario tribuit adinventionem doctrinæ Græcorum de forma Eucharistiæ, quæ per Venetias Græciam usque pervenerit. In duobus aliis, librum Likhudum, cui titulus *Akos*, confutavit, professores græcos mendacii et fraudulentiæ insimulans, et ad libros liturgicos eorumque rubricas potissimum provocans, ad convellendam doctrinam Græcorum modernorum.

7° Demetrius Tuptalo, Rostoviensis episcopus (1651-1709), sanctorum russorum catalogo anno 1757 adscriptus, in controversia de momento transsubstantiationis suas etiam partes habuit. Ex Russia meridionali oriundus et collegii Kioviensis alumnus, cum suis gentilibus omnino consentiebat circa quæstiones controversas, doctrinamque catholicam de forma Eucharistiæ necnon de conceptione immaculata B. Mariæ virginis tuebatur. Duo opuscula de transsubstantiatione conscripsit, unum ante synodum Mosquensem anni 1690, in quo doctrinam catholicam aperte docet, et alterum post hanc synodum, in quo eidem etiam suffragatur, quidquid in contrarium dixerint quidam auctores [1]. Synodus enim Mosquensis non diremit controversiam pro Yugorussis, qui in suis compendiis theologicis sententiam catholicam docere non destiterunt [2]. Demetrius auctor est insuper 1° operis polemici adversus Rascolnikos inscripti : *Disquisitio de fide Rascolnikorum*, in tres partes divisi : a) Rascolniki a fide orthodoxa defecerunt, et in multiplices sectas distracti sunt; b) Eorum duces sunt mendaces, qui sine legitima missione propria placita prædicant; c) Eorum sacramenta sunt invalida, et bona opera merito vacua, quia extra Ecclesiam facta; 2° succinctæ expositionis doctrinæ christianæ, cui titulus : *Breves quæstiones et responsiones de fide et de aliis rebus Christianis scitu necessariis;* 3° amplæ collectionis *sermonum et homiliarum;* 4° novæ editionis recognitæ et auctæ *Menologii* metropolitæ Macarii, cui titulus : *Tcheti Minei.* In hoc opere apud Russos percelebri et pluries edito, Demetrius non solum

1. Cf. Chliapkin, *S. Demetrius Rostoviensis ejusque ævum*, Petropoli, 1891, p. 225-226.

2. Hoc manifestissimum apparet ex scriptis theologicis Kioviensium initio sæculi XVIII exaratorum.

orientales, sed etiam occidentales fontes et ipsos Bollandistas passim laudat; 5° quorumdam opusculorum asceticorum [1].

In secundo dimidio sæculi XVII, floruit etiam theologus alienigena, ex Prussia oriundus, Adamus ZERNIKAVIUS, religione primum lutheranus, qui lectione Confessionis fidei Metrophanis Critopuli, ut ipse narravit, ad Orthodoxiam orientalem attractus est, et postquam Oxonium, Londinum, Lutetiam Parisiorum, Romam, etc., studiorum causa visitavit, in Malorussiam confugit, Tchernigoviique domicilium elegit; unde et Tchernigoviensem seipsum nuncupavit. Perlongum opus polemicum de processione Spiritus Sancti circa annum 1682 latine perfecit, in XIX tractatus distributum, quod in bibliothecis russicis manuscriptum delituit, donec Samuel MISLAVSKII, annis 1774-1776, Regiomonti (= Kœnigsberg) illud typis mandavit. Rogante vero imperatrice Catharina II, Eugenius Bulgaris idem græce vertit, tituloque sequenti insignitum, Petropoli, anno 1797, in duobus edidit voluminibus : Ἀδὰμ Ζοιρνικαβίου Βορούσσου περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκ μόνου τοῦ Πατρός. Πραγματεῖαι θεολογικαὶ ἐννέα καὶ δέκα. Ἐκ τῆς λατινίδος φωνῆς μεταφρασθεῖσαι καί τισιν ἐπισημειώσεσι διαπυκασθεῖσαι. Καὶ Μάρκου Ἐφεσοῦ τοῦ Εὐγενικοῦ κεφάλαια συλλογιστικὰ πεντήκοντα ἑπτὰ πρὸς Λατίνους ἄχρι τοῦ νῦν ἀνέκδοτα. Καὶ Θεοφίλου τοῦ Κορυδαλέως ἀπάντησις πρὸς Σωφρόνιον Ποκζάσκι, ῥεκτόρα τῆς ἐν Κιαιβίῳ σχολῆς, τὸν ἐν Γιασίῳ τῆς Μολδαβίας ἡγούμενον χρηματίσαντα. Ἐν τῷ τυπογραφείῳ τῆς ἐν Πετρουπόλει αὐτοκρατορικῆς Ἀκαδημίας τῶν ἐπιστημῶν. Ἐν ἔτει 1797. Eadem imperatrice postulante, etiam in russicum idioma opus translatum est manu hieromonachi Hieronymi KONTSEVITCH; hæc tamen versio illo tempore typis non fuit mandata. In quinque primis tractatibus, auctor doctrinam Patrum tum orientalium tum occidentalium explorat; in tractatibus secundo et tertio, Latinos speciatim accusat quod non paucos locos patristicos depravaverint et interpolaverint. In tractatu sexto, axio-

1. Demetrii opera omnia multoties tum Kioviæ tum Mosquæ edita sunt. Tertia editio Kioviensis anni 1825 quinque voluminibus constat; editiones mosquenses, annis 1786, 1838, 1842, 1849, 1895. Amplam bibliographiam de Demetrio tradit A. Palmieri in art. *Dimitri de Rostov*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. IV, col. 1353-1357. Præter Chliapkin, de eo egerunt : Uchakov, *S. Demetrius metropolita Rostoviensis, ejus vita et opera*, Vladimiri, 1909; M. C. Popov, *S. Demetrius Rostoviensis et ejus scripta*, Petropoli, 1910.

mata photiana repetit, suoque modo evolvit. Septimus tractatus est de additione ad symbolum ut a conciliis œcumenicis omnino prohibita. In tractatibus VIII-XIV, photiana via ac ratione exploduntur argumenta Latinorum ex textibus sacræ Scripturæ petita. Tractatus XV et XVI huc spectant, ut auctoritates patristicæ et rationes theologicæ a theologis catholicis prolatæ enerventur ac convellantur. In tribus demum ultimis tractatibus, Zernikavius in concilia œcumenica Lateranense IV, Lugdunense II et Florentinum, ut polemistæ dissidentes assolent, invehitur. Theologi borussi molimen magnis quidem extollunt laudibus quidam Græco-Russi; verum a polemicæ byzantinæ elucubrationibus opus nullo pacto differt, eisdemque vitiis maculatum apparet; unde iis qui secundum criticæ ab omni partium studio liberæ leges, doctrinæ Patrum investigandæ operam impendunt, nullius fere pretii habebitur [1].

1. Analysim operis Zernikavii invenies apud Lâmmer, *Scriptorum Græciæ orthodoxæ bibliotheca selecta*, I, p. 2-81. Zernikavius scripsi etiam aliquam *Confutationem fidei lutheranæ*.

## CAPUT SECUNDUM

### THEOLOGIÆ RUSSICÆ SECUNDA PERIODUS (1700-1836)

#### Prænotamina.

De theologia byzantina supra diximus illam imperatorum auctoritati obnoxiam fuisse, politicæque vicissitudines non raro subiisse. Idem omnino affirmandum est de theologia russica, inde a sæculo XVIII ineunte, postquam nempe Petrus Magnus patriarchatum Mosquensem suppressit (an. 1700), et pro eo Synodum Dirigentem, anno 1721, supposuit. Ut bene notum est, tsarus omnia Moscovitarum instituta quum civilia tum ecclesiastica innovavit, et magna ex parte mutavit. Theologia ipsa novitatibus subducta non fuit. Ut culturam occidentalem in suum imperium inveheret, Lutheranos et Calvinistas præsertim arcessivit, et ad religionem Reformatorum apertam propensionem non semel manifestavit. Cum enim, anno 1716, Injurati anglicani de unione cum Ecclesia græco-russica ineunda cogitassent, eique per litteras rem primum proposuissent, Petrus consilium benigne excepit, patriarchisque orientalibus examinandum transmisit. Anno 1723, ejus jussu, Synodus Dirigens Anglicanis faustum dabat responsum, dum interim patriarchæ orientales Confessionem Dosithei doctrinis Protestantium omnino contrariam ad Russos mittebant; et forsitan unio cum Injuratis, etiam Græcis reclamantibus, pacta fuisset, si Petrus, anno 1725, derepente vita functus non fuisset [1]. Ut autem unioni viam pararet, jam anno 1718, Jeremiam III patriarcham œcumenicum consuluerat de baptismo Calvinistarum

1. De hoc unionis tentamine inter Anglicanos et Græco-Russos vide quæ scripsit L. Petit in *Échos d'Orient : Entre Anglicans et Orthodoxes au début du XVIII^e siècle* (1716-1725), t. VIII (1905), p. 321-328, et documenta ab eodem edita in tomo XXXVII collectionis Mansianæ.

et Lutheranorum, num scilicet, ut usus Ecclesiæ russicæ illatenus ferebat, rebaptizandi essent cum ad Orthodoxiam orientalem accederent [1]. Jeremias vero intimis tsari votis consonum prorsus responsum dedit, dum illos rebaptizandos non esse decrevit.

Hæc Petri erga Protestantes agendi ratio ab illa, quam cum doctoribus Sorbonæ Parisiensis tenuit, mire discrepat. Occasione enim itineris, quod ad Lutetiam Parisiorum anno 1717 habuit, sorbonici doctores, principiis Gallicanorum ceterum imbuti, libellum de condicionibus unionis cum Ecclesia catholica ineundae ei prorexerunt. Hunc Petrus theologis russis tradidit, ut responsum conscriberent. Illam autem responsionem ad Sorbonicos, anno 1718, remisit, quæ tum sententiis tum verbis austerior ac frigidior erat; cujus auctor erat Theophanes Procopovitch, Catholicis infensissimus et Lutheranorum amicus; epistolam vero Stephani Iavorskii, quæ verbotenus comior erat, neglexit; neque, ut videtur, quidquid in contrarium affirmet Iavorskii, de libello Sorbonicorum ad patriarchas orientales mittendo ullo modo curavit [2].

Petri studia erga Protestantes manifestiora adhuc patuere ex favore ac amicitia, quibus Theophanem Procopovitch prosecutus est. Theophanes enim in Academia ecclesiastica Kioviensi, cujus rector ab anno 1711 ad annum 1716 exstiterat, sententias Lutheranorum de fontibus revelationis, de magisterio ecclesiastico necnon de justificatione per fidem

1. In magno concilio Mosquensi, annis 1666-1667 habito, Catholicos rebaptizandos non esse statuerant, sed de Lutheranis et Calvinistis tacuerant.

2. De hoc litterarum commercio inter doctores sorbonicos et Russos P. Pierling integrum conscripsit opusculum : *La Sorbonne et la Russie* (1717-1747), Parisiis, 1882. Responsio Stephani Iavorskii, anno 1720, in Germania edita est. In hac, auctor asserit libellum Sorbonicorum ad patriarchas orientales transmissum fuisse; verum, hujusmodi transmissionis nullum vestigium historici hactenus deprehenderunt. Omnino verisimile est Theophanem hanc communicationem impedivisse. Pierling fuse narrat conatus sacerdotis jansenistæ Jubé pro adducenda unione cum Ecclesia russica, post mortem Petri Magni, ab anno 1727 ad annum 1745. Hunc Sorbonici tanquam suum legatum in Russiam miserunt, anno 1728. Jubé inceptum non prospere cessit, et anno 1732 e Russia ipse pulsus est.

solam aperte docuerat. Hunc præ aliis theologis Petrus amicum atque cooperatorem sibi elegit. Huic mandavit, ut novum Ecclesiæ russicæ constitutum, quod *Regulamentum ecclesiasticum* vocatum est, conscriberet. Viri lutheranizantis promotioni ad sedem Pskoviensem in vanum reclamaverunt, anno 1718, alii theologi, ut Stephanus Iavorskii, Theophylactus Lopatinskii, Gedeon Vischnevskii, Fratres Likhudes. Theophanes propriam orthodoxiam coram tsaro defendit, dictæque sedi præfectus est. E contra, Stephanus Iavorskii magnum suum opus, quod adversus Protestantes composuerat, inscriptum *Kamen viery* (*Petra fidei*), typis vulgandi licentiam non obtinuit.

Sub Petri successoribus Catharina I (1725-1727) et Petro II (1727-1730), Theophanis auctoritas quadamtenus decrevit, et theologis traditioni addictis Reformatorum errores declarare atque confutare licuit. Anno 1728, Consilii secreti imperialis jussu, Theophylacto Lopatinskii Tverensi archiepiscopo approbante, *Petra fidei* Stephani Iavorskii typis tandem mandata est. Opus animos theologorum lutheranorum Germaniæ concitavit. Buddaeus, Theophanis amicus, suam *Epistolam apologeticam pro Ecclesia lutherana adversus Stephani Iavorskii calumnias et injurias* edidit [1]; cui respondit dominicanus hispanus Bernardus Ribera, legationis hispanicæ capellanus [2]. Mox vero, Anna Ivanovna imperante (1730-1740), Theophanis ejusque discipulorum fortuna refloruit. Germani Protestantes in Russia præpotentes evasere. Theophylactus Lopatinskii aliique Theophanis adversarii in custodiam conjecti sunt. Factioni protestantizanti licuit hæreticales sententias inter clericos sine impedimento propagare [3].

Tempore autem Elisabeth Petrovnæ (1741-1762), res rursus immutatæ sunt in commodum factionis traditioni hærentis. Imperatrix enim iis theologis favit qui veterem Orthodoxiam contra procopovitsianas novitates tuebantur, ejusque jussu, *Petra Fidei* iterum typis vulgata est (anno

1. Ienæ, 1729.

2. Responsio Riberæ inscribitur *Responsum antapologeticum*, Vindobonæ, 1731.

3. Ipsum opus Iavorskii *Petra fidei* imperiali decreto, die 19 Augusti anni 1732 dato, interdictum est.

1744). Item annis 1756-1757, *Tcheti Minei* Demetrii Rostoviensis cum quibusdam correctionibus recusa sunt. At vero, Catharina II regnante (1762-1796), factio protestantizans omnino prævaluit. Diversi tractatus theologiæ procopovitsianæ, quos ab anno 1772 ad annum 1779, in diversis civitatibus Russiæ et Germaniæ separatim ediderant, a Samuele Mislavskii in duo volumina distributi, anno 1782, Lipsiæ lucem aspexerunt. Jam ante hanc editionem, quidam compendiorum theologiæ dogmaticæ auctores doctrinam Theophanis ad usum seminariorum et academiarum ecclesiasticarum vulgaverant. Post annum vero 1782, hujusmodi compendiorum numerus crevit, ita ut deinceps, nulla adversaria voce reclamante, et Synodo Dirigente aperte approbante et commendante, theologia procopovitsiana apud Russos pacifice regnaverit.

Nec solus protestanticus influxus, decursu hujus periodi, deprehenditur. Catharina II enim deistis encyclopædistis Galliæ et sectæ massonicæ sectatoribus aliquamdin arrisit, eisque licentiam dedit per Russiam evulgandi scripta Revelationi christianæ plus minusve repugnantia, et placita naturalismi mystici supra omnem religionem positivam se extollentis exprimentia[1]. Hujusmodi mysticismus sub Alexandro I (1801-1825) præsertim floruit, cui suffragabatur *Societas biblica russica*, anno 1812, Petropoli, Anglicanorum opera fundata; quæ usque ad annum 1826 perduravit.

Præter dogmatistas proprie dictos, in hac periodo occurrunt quidam exegetæ et oratores non pauci. Nec desunt polemistæ, qui adversus rascolnikas sectas potissimum decertant. Per totum enim sæculum XVIII, schisma russicum in sectas innumeras pullulavit, quibus addendæ sunt multæ aliæ sectæ quum mysticæ tum rationalisticæ, etiam hoc tempore exortæ. Ad polemicam vero anticatholicam quod attinet, hæc fere tacuit, et pauca tantum protulit, iis exceptis quæ in compendiis ad mentem Theophanis redactis passim legebantur. Apud Græcos vero, ut supra vidimus, polemica ista per eamdem tempestatem furebat.

1. Jam tempore Petri Magni, quædam scripta hujusmodi ex lingua germanica translata per Russiam evulgata fuerant.

Post hunc conspectum generalem, quædam singillatim dicamus :

1° De theologis veteri Orthodoxiæ addictis, quos haud raros in primo dimidio sæculi XVIII adhuc invenimus;

2° De theologis novatoribus, quorum dux est Theophanes Procopovitch;

3° De exegetis et oratoribus;

4° De polemistis.

## ARTICULUS I

### Theologi traditionis studiosi et novitatum adversarii.

Inter theologos sæculi XVIII incipientis, eminet ille Stephanus IAVORSKII cujus nomen jam protulimus. In Russia meridionali anno 1658 natus, in collegio Kioviensi primum studuit; deinde a Barlaamo Iasinskii Leopolim et Posanium missus est, ut sub Jesuitis magistris in disciplinis philosophicis et theologicis perficeretur. Hac occasione, ut ferunt, Ecclesiæ catholicæ nomen dedit; verum, Kioviam reversus, Orthodoxiæ orientali iterum adhæsit, monachusque factus, ut prædicator et professor in collegio Kioviensi magnam famam sibi comparavit. Mosquam, anno 1700, missus, Petri Magni jussu, episcopali sedi Riazanii invitus præfectus est, moxque, Adriano patriarcha mortuo, exarchæ patriarchalis titulo decoratus est. Anno 1701, Academiam slavo-græco-latinam Mosquensem ad exemplar Academiæ Kioviensis ordinavit, ibique aliquamdiu lectiones dedit. Tsari reformationes ac novitates, ad res ecclesiasticas quod spectabat, ei intime displicebant, nec tamen reclamare ausus est, sed passive omnino se habuit, præsertim postquam Theophanis Procopovitch promotionem ad sedem Pskoviensem impedire frustra conatus est.

Ejus præcipuum opus theologicum, quod est simul apologeticum et polemicum adversus Protestantes, jam indicavimus : *Kamen viery*, id est *Petra fidei*, post annum 1713 composita et nonnisi anno 1728 primum edita, omnium confutationum, quæ scripserunt Orientales adversus hæreses

Reformatorum, est sane præstantissima, et ipsam Ἀντίρρησιν Meletii Syrigi tum mole tum argumentorum pondere superat; siquidem auctor Catholicorum scripta de materia proposita optime noverat, ab eisque, præsertim vero a Becano et Bellarmino, non pauca mutuatur. Opus in duodecim tractatus dividitur; quorum primus est *de sanctis imaginibus;* secundus, *de cruce,* tertius, *de sanctorum reliquiis;* quartus, *de sanctissima Eucharistia;* quintus, *de sanctorum invocatione;* sextus, *de animabus beatorum*; septimus, *de suffragiis pro defunctis*; octavus, *de traditionibus;* nonus, *de sacra liturgia;* decimus, *de jejuniis sacris;* undecimus, *de justificatione et bonis operibus;* duodecimus, *de punitione hæreticorum.* Stephanus catholice sentit de justificatione, de merito et bonis operibus, de forma Eucharistiæ, de pœna temporali et de statu medio, quem Latini Purgatorii nomine designant, de canone Scripturarum; ergo novitates procopovitsianas a Reformatis lutheranis et calvinistis mutuatas ex professo refellit. Unde mirum non est Theophanem sua apud Petrum Magnum auctoritate usum fuisse, ne *Petra fidei* typis mandaretur.

Præter *Kamen viery*, Iavorskii conscripsit : 1° *Epistolam ad doctores sorbonicos de Ecclesiarum unione*, supra memoratam; 2° opus adversus Rascolnikos, inscriptum : *Signa adventus Antichristi et finis mundi*, Mosquæ, 1703, ad refellendos Rascolnikos, qui aperte docebant Petrum Magnum esse ipsum Antichristum; 3° *Sermones* non paucos (fuit enim Stephanus præclarus orator) Mosquæ, annis 1804-1805, editos [1], in quibus rhetoricam prædicatorum latinorum sæcul. XVI-XVII, ad instar aliorum Kioviensium, imitatur.

4° *Lectiones theologiæ dogmaticæ*, Kioviae annis 1693-1697 traditas, quæ manuscriptæ remanserunt.

Post Stephanum Iavorskii, nominandus est ejus amicus consentiens Theophylactus Lopatinskii, Academiæ Kioviensis alumnus, anno 1706 rector Academiæ Mosquensis creatus, et anno 1723 ad sedem archiepiscopalem Tveri evectus; qui Theophanis Procopovitch odium in se concitavit, multaque ab eo et ab aliis Protestantium amicis perpessus est; sua namque dignitate privatus est et in custodia

1. Non omnes Stephani sermones editi sunt. Multi alii in codicibus adhuc asservantur.

detentus, donec, anno 1740, Elisabeth Petrovnæ interventu liberaretur, et in pristinum honorem restitueretur. Paulo post, anno scilicet 1741, e vita cessit. Scripsit : 1° compendium theologiæ dogmaticæ cui titulus : *Scientia sacra disputationibus theologicis SS. Ecclesiæ orientali, Scripturæ, conciliis et Patribus consentaneis speculative et controverse illustrata.* Opus complectitur lectiones ab auctore in Academia Mosquensi annis 1706-1710 datas [1]. Theophylactus theologiam moralem de sacramentis simul cum dogmatica tradit secundum methodum scholasticam, multaque ex *Summa theologica* S. Thomæ Aquinatis haurit; 2° Libellum adversus Theophanem Procopovitch inscriptum : *Jugum Domini suave* [2]; 3° *Apologiam libri* « *Petra Fidei* » *adversus Buddæi criminationes*, anno 1731 conscriptam; quam auctor edere prohibitus est; 4° *Refutationem mendaciorum Rascolnikorum*, ab Arsenio Matseievitch, Theophylacti amico, anno 1745, Mosquæ typis mandatam; 5° *Sermones sacros* [3].

In Academia Kioviensi, ubi Procopovitch suas lectiones hæreses lutheranas redolentes, annis 1712-1716, dederat, professores theologiæ, per totum primum dimidium sæculi XVIII, prædecessorum traditioni generatim addicti remanserunt, ut constat ex eorum compendiis latine conscriptis, quæ fere omnia infeliciter hactenus inedita jacent in bibliothecis Kioviensibus. Horum compendiorum præcipua sunt : 1° *Cursus biennalis theologiæ sacrosanctæ* Innocentii Popovskii, rectoris Academiæ ab anno 1704 ad annum 1707; 2° *Theologia scholastica* Christophori Tsiarmutskii, qui post Innocentium Popovskii Academiæ rector fuit; 3° *Theologia christiana orthodoxa* Josephi Voltsianskii, qui rector Academiæ (1721-1727), et postea metropolita Mosquensis fuit (1742-1745); 4° *Theologia scholastica* Hilarionis Levitskii, rectoris Academiæ (1727-1731); 5° *Cursus quadriennalis theologiæ christianæ orthodoxæ* Ambrosii Dubnevitch, ejusdem Academiæ rectoris (1731-1735); 6° *Theologia scholastica*

1. Plura exstant hujus operis exemplaria in bibliotheca Academiæ Mosquensis.

2. Opus non fuit editum. Theophylactus theologos traditioni addictos contra Theophanis impetus defendit.

3. De Theophylacto Lopatinskii dissertationem scripsit N. Pokrovskii in *Provoslavnoe Obozrênie*, 1872, t. III, p. 684-710.

archimandritæ Hilarionis Negrebetskii, theologiæ professoris in eadem Academia (1733-1735); 7° *Summa sacræ theologiæ* Sylvestri Kuliabkæ, Academiæ primum rectoris (1740-1745), deinde metropolitæ Petropolis (1750-1761); 8° *Argumentatrix theologia sacra* Barlaami Liachtchevskii, anno 1747 composita; 9° *Cursus theologiæ* Sylvestri Liakoronskii, Academiæ rectoris (1746-1751). Auctores citati, si unum vel duos excipias, non solum a novitatibus Theophanis abstinent, verum etiam sententias catholicas apud Kiovienses sæculi xvii receptas de conceptu immaculato beatæ Mariæ Virginis, de forma Eucharistiæ, etc., communiter retinent [1]. Cæterum, quæstionibus subtilioribus Scholasticæ occidentalis quandoque plus æquo indulgent [2]. Hoc autem eis laudi dandum, quod theologorum occidentalium scripta bene noverant, et ad Patres latinos haud secus ac ad Orientales provocabant.

Inter theologos doctrinarum protestanticarum adversarios, computandus est Arsenius Matseievitch (1698-1772), metropolita Rostoviensis, qui solus ex episcopis Russiæ, anno 1763, imperatrici Catharinæ II bona ecclesiastica confiscanti fortiter restitit, et ob hoc, decreto Synodi Dirigentis sua dignitate spoliatus, durissimam captivitatem in castro Revalensi, ad mortem usque, invicto animo tulit. Præter duodecim volumina sermonum in bibliotheca seminarii Iaroslavii asservata [3], reliquit *Apologiam* libri *Petra fidei* ejusque auctoris adversus libellum cujusdam Lutherani vel Lutheranizantis, inscriptum : *Malleus in Petram fidei* [4], necnon *Sup-*

1. De theologis Kioviensibus hujus ævi videnda est *Historia Academiæ Kioviensis* Macarii Bulgakov, et monographia Vichnevskii : *Academia Kioviensis in primo dimidio sæculi XVIII*, p. 221 sq., Kioviæ, 1903. Quædam ex hoc auctore recitat Palmieri, *Theologia orthodoxa*, t. I, p. 153-157.

2. Non solum subtiles, verum etiam ridiculas movebant quæstiunculas, utrum, v. g., Filius Dei naturam asini, serpentis, columbæ, etc., assumere potuerit ac debuerit, et si Deus supposuisset cucurbitam, quomodo illa fuisset concionatura, quomodo miracula editura, quomodo crucifigenda, etc.

3. Arsenii sermones non pauci, eo vivente, editi sunt Mosquæ, annis 1742, 1744, 1749.

4. Titulus refutationis Arsenii est : *Objectiones ad satyram lutheranam quæ vocatur*: *Malleus in Petram fidei*. Excerpta quædam hujus operis

*plementum ad confutationem responsionum rascolnikarum anno 1723 propositarum, a Theophylacto Lopatinskii conscriptam* [1].

## ARTICULUS II

### Theophanes Procopovitch ejusque discipuli.

De Theophane Procopovitch quædam jam diximus; de eo nunc fusius loquendum. Hic Kioviæ, anno 1681 natus, fidei catholicæ juvenis adhæsit, ordinisque sancti Basilii habitum suscepit. Romam profectus, in collegio Sancti Athanasii humanioribus litteris theologicisque disciplinis studuit. In patriam postea reversus, Ecclesiæ catholicæ non solum valedixit, sed etiam in eam inexpiabile odium per totum vitæ cursum enutrivit, theologorum lutheranorum Germaniæ amicus ac discipulus factus, dignus sane qui habeatur Cyrillus Lucaris alter, priore in proposito introducendi dogmata Reformatorum in Ecclesiam græco-russicam felicior. Anno 1718, episcopus Pskoviensis creatus, ad archiepiscopalem sedem Novogrodensem anno 1725 transivit, maximaque auctoritate in Ecclesia russica administranda, tum Petri Magni, tum Annæ Ivanovnæ voluntate, potitus est. Vita cessit anno 1736. Non solum vivens, verum etiam mortuus per sua scripta in theologiam Russorum perniciosum influxum habuit; inde enim ab anno 1759, verus Russiæ Aquinas habitus est, compendiaque theologiæ dogmaticæ ad ejus mentem redacta sunt [2].

refert Tchistovitch in sua dissertatione de Theophane Procopovitch : *Theophanes Procopovitch ejusque ætas*, Petropoli, 1868, p. 385-407.

1. De Arsenio Matseievitch multa scripserunt Russi. Ultimæ monographiæ in lucem editæ auctor est M. Popov, *Arsenius Matseievitch, metropolita Rostoviensis et Jaroslaviensis*, Petropoli, 1905.

2. De vita et scriptis Theophanis egerunt : 1° Tchistovitch, *op. cit.*, 2° Samarin, *Stephanus Iavorskii et Theophanes Procopovitch*, Mosquæ, 1844, et auctoris *Opera*, t. v, Mosquæ, 1880; 3° P. Morozov, *Theophanes Procopovitch ut scriptor*, Petropoli, 1880; 4° Plato Tcherviakovskii, *De Introductione in Theologiam Theophanis Procopovitch*, in *Lectione christiana*, 1876, t. I, p. 32-86; t. II, p. 101-152; 1877, t. I, p. 291-332; t. II, p. 2-42; 1878, t. I, p. 18-32, 321-351.

Ut theologiæ systematicæ pater in Russia celebratur Theophanes, qui primus *theologiam de fide seu de credendis*, id est dogmaticam, a *theologia de agendis* seu morali divisit, quod Kiovienses primum non faciebant, et diversos tractatus theologiæ dogmaticæ inter se nexu logico colligare tentavit. Totius theologiæ cursum completum secundum programma a se delineatum non perfecit ipse, sed ex parte tantum aliquod theologiæ dogmaticæ systema latine conscripsit, octo constans tractatibus, qui sequentibus titulis notantur : 1) *Introductio in theologiam, in qua et de sacra Scriptura;* 2) *De Deo uno;* 3) *De Deo trino;* 4) *De processione Spiritus Sancti;* 5) *De creatione ac providentia;* 6) *De statu hominis intregri;* 7) *De statu hominis corrupti.* Hujus tractatus quatuor tantum capita conscripsit Theophanes; reliqua decem capitula e proprio penu adjecit Samuel Mislavskii in sua editione anni 1782; 8) *De gratuita peccatoris per Christum justificatione.* Hic ultimus tractatus solus est quem propria manu auctor scripserit, et indubia authenticitate insigniatur [1]; reliqui vero omnes in non paucis correcti sunt, suppleti vel aucti a diversis auctoribus, præsertim vero a Samuele Mislavskii; imo quædam partes ex discipulorum notis collectæ sunt. Sic, caput XIII *Prolegomenorum*, inscriptum : *de conciliis, de traditionibus et Patrum scriptis*, magna ex parte interpolatum est. Item, tractatus *de processione Spiritus Sancti* expolitus et recognitus est a Damasceno Semenov Rudnev, qui integrum caput addidit *de ortu et progressu controversiæ Græcos inter et Latinos*, multa alia emendavit ac notis illustravit, totumque tractatum sic auctum Gothæ, anno 1772, typis mandavit. Prima editio completa horum tractatuum facta est a Matveiev Baitsurov et a Semenov Deniciev, ab anno 1773 ad annum 1779, octo habens volumina [2]. Secun-

1. Hunc brevem tractatum, hæresim lutheranam omnino redolentem Theophanes anno 1716 conscripsit, Jacobo Marcovitch ejus amico rogante.

2. In hac editione, cuique tractatui integrum volumen dicatur. Titulus generalis est : *Christiana orthodoxa theologia in Academia Kioviensi a Theophane Prokopowicz.... adornata et proposita.* Quinque primi tractatus Regiomonti (= Königsberg) annis 1773-1775 editi sunt; sequentes duo, Mosquæ, anno 1776; ultimus vero, ille scilicet qui est de justificatione, Bratislaviæ, anno 1779 lucem aspexit, sub titulo :

dam in duobus tomis contentam typis lipsianis vulgavit Samuel Mislavskii, anno 1782. Cum autem hujusmodi tractatus completum dogmaticæ cursum, prout Theophanes ipse in prolegomensis illum delineaverat [1], non efformarent, Samuel Mislavskii tertium volumen integrum supplevit, hocce titulo insignitum : *Christianæ orthodoxæ theologiæ, eadem serie ac methodo qua Theophanes Prokopowicz usus est, in Academia Kioviensi adornatæ et propositæ volumen tertium*, Lipsiæ, 1784, in-8°, 757 p.

Tum Theophanes, tum ejus emendatores et recognitores ad theologos protestantes passim provocant, dum scholastici catholici, præsertim vero S. Thomas et B. Bellarminus, nigro lapillo notantur, et dicteriis insectantur [2]. Ex Protestantibus citantur Quesntedt, Pfeiffer, Gerhardt, Hollasius, etc. Loco Scholasticæ catholicæ, in quam sæpius debacchatur, Theophanes Scholasticam protestanticam in Russiam invexit; quod speciatim deprehenditur in ejus perlongis prolegomenis de sacra Scriptura.

*Appendix, continens christianam orthodoxam doctrinam de gratuita per Christum justificatione, eodem auctore usibus amici sui concinnatam, cui, loco præfationis, præmissa est epistola ad eumdem amicum.*

1. Theophanes dogmaticam hac divisione complectitur : 1° Deus consideratur *ad intra*, videlicet in sua existentia, in sua essentia et attributis, in personis sanctissimæ Trinitatis earumque mutuis relationibus; 2° Deus consideratur *in sua operatione ad extra*, quæ duplex est, *creatio* scilicet et *providentia*. Creatio autem respicit tum *mundum invisibilem*, tum *mundum visibilem*. Providentia vero duplicis est generis : Est *providentia communis*, respiciens creaturam ratione præditam et creaturam irrationalem; et *providentia specialis*, spectans hominem post lapsum in peccatum, et pro objecto habens redemptionem per Christum. Unde theologo dicendum est : a) *de lapsu primi hominis et totius humani generis*; b) *de redemptione per Christum*. Tractatum de Christo redemptore et mediatore subsequuntur quæstiones *de præsdestinatione* et *de reprobatione*. Prædestinatio vero poscit *justificationem*, quæ fit per *gratiam*. Gratia acquiritur per *fidem* et *sacramenta*. Ejus fructus sunt *justificatio, adoptio divina, sanctificatio et glorificatio*. Denique, venit tractatus *de Ecclesia*, quæ est subjectum prædestinationis. Ecclesia vero consideratur in quadruplici statu : *ante legem, sub lege, sub regimine gratiæ* et *in regno gloriæ*. Hæc divisio omnino affinis est divisioni operis lutherani J. E. Gerhard, *Methodus studii theologici*, Ienæ, 1654.

2. En exempla amœnitatum Theophanis ad theologos catholicos : vocantur « theologastri, scioli, cerebrosi, animalia balantia, stupidi, asini spurcissimi, stolidæ pecudes, scutica digni nebulones, male feriati, etc. » Concilium Florentinum « synodus asinorum » audit.

Præter hunc theologiæ cursum et *Regulamentum ecclesiasticum*, in quo quædam de officio professoris theologiæ occurrunt [1], Procopovitch alia opera theologica reliquit, quorum notatu digniora sunt sequentia : 1° *De jugo intolerabili*, libellus anno 1712 scriptus, in quo Theophanes exponit controversiam Pauli et Barnabæ cum judaizantibus, et verba Petri de jugo intolerabili legis interpretatur secundum principia Reformatorum [2]; 2° *Apologia fidei, in qua respondetur ad litteras doctissimorum quorumdam Lutheranorum, quas ad patrem Mich. Schi, monachum pieczariensem Regiomonti dederunt, respondentes ad ejus litteras compellatorias, quas ipse prius ad eos misit* [3]. Agitur de duodecim capitibus controversis, et præsertim de processione Spiritus Sancti, necnon de miraculis sanctis monachis Lauræ Petcherskaiæ tributis; 3° *Apologia sacrarum reliquiarum patrum nostrorum, qui post suum obitum in cryptis nostris quieverunt*, etc [4]. Sententiæ in hoc opusculo expressæ cum intima persuasione auctoris circa hujusmodi reliquias aliunde bene nota mire pugnant [5]; 4° *Prima instructio pro pueris continens litteras et syllabas necnon brevem explicationem decem mandatorum, orationis dominicæ, symboli fidei et novem beatitudinum*, slavonice, Petropoli, 1720. Hunc catechismum tanquam enchiridion authenticum et obligatorium pro institutione religiosa puerorum, decreto speciali, die 31 maii anni 1722 dato, omnibus

1. Optimam editionem *Regulamenti ecclesiastici* vulgavit C. Tondini cum doctis adnotationibus: *Règlement ecclésiastique de Pierre le Grand traduit en français sur le russe avec introduction et notes. Edition accompagnée de la traduction latine imprimée à Saint-Pétersbourg, en 1785, par les soins du prince Grégoire Potemkin, du texte russe original et de l'instruction du Procureur suprême du Synode*, Parisiis, 1874. Hanc editionem tomo xxxvii collectionis conciliorum Mansi inseruit L. Petit.

2. Hunc libellum confutavit Theophylactus Lopatinskii in suo opere supra memorato : *Jugum Domini suave, et onus ejus leve.* Editus est in parte quarta operum Theophanis, Mosquæ, anno 1774, et separatim ibidem, anno 1784. Hujus versionem latinam Lipsiæ publicaverunt David Lachtchinskii et I. Karpinskii.

3. Hæc *Apologia* edita est in *Theophanis Prokopowitz Miscellaneis sacris*, J. Jacobi Korn cura, Bratislaviæ, anno 1745 vulgatis, p. 1-64.

4. *Miscellanea sacra*, p. 63-122.

5. Cf. Morozov, *op. cit.*, p. 149. Hæc *Apologia* russice translata est, et pluries edita sub titulo : *Dissertatio de incorruptibilitate reliquiarum sanctorum Dei amicorum*, Mosquæ, 1786, Kioviæ, 1852, etc.

Russiæ clericis tsarus præscripsit [1]. Hoc opusculum lutheranismum passim redolet, et cultum sacrarum imaginum sat aperte impugnat [2]; 5° *Interpretatio sermonis Christi de beatitudinibus*, postulante Petro Magno conscripta, et contra reformationum adversarios directa [3]. In hac opella, Theophanes speciatim disserit de vero martyrio, ut illos Rascolnikos refellat qui pro veterum rituum et usuum defensione libenter tormenta et mortem obibant; 6° *Libellus de matrimoniis mixtis*, slavonice, jussu tsari et nomine Synodi, anno 1721, Petropoli editus, in quo auctor argumentis ex sacra Scriptura et traditione ecclesiastica petitis ostendit matrimonia « Orthodoxorum » cum christianis aliarum confessionum fidei non adversari, et ideo conjugem heterodoxum ad amplectendam « Orthodoxiam » cogendum non esse, sed suæ conscientiæ relinquendum; 7° *Vera justificatio christianorum recte credentium, baptismo infusionis in Christo baptizatorum*, slavonice, Petropoli 1724 [4]. In hoc opusculo, validitatem baptismi per modum infusionis collati Theophanes tuetur contra veterum rituum sectatores, quibus mordaciter irridet, eorum ignorantiam redarguens; 8° *Brevis instructio christiana*, slavonice in formam dialogi inter magistrum et discipulum

1. In *Regulamento ecclesiastico, pars II, De muniis communibus*, § 2, declaratur necessitas « concinnandi aliquem exiguæ molis libellum, qui principalia salutaria nostræ fidei dogmata simulque divina Decalogo comprehensa præcepta contineat. » Huic voto respondet *Prima instructio ad pueros*. Hæc jam ante annum 1723 germanice translata est absque ultima parte de beatitudinibus: *Erste Unterweisung der Jugend, enthaltend das A B. C-Buchlein*, sine indicatione temporis et loci. Ex hac germania translatione facta est versio anglica : *The Russian Catechism, composed and published by order of the Czar*, Londini, 1723, auctore Philipps.

2. Theophanis adversarii hunc libellum tanquam hæreticali labe infectum non semel denuntiaverunt. Notanda est præsertim longa analysis principis Demetrii Kantemiri, Moldaviæ gospodari, quæ manuscripta asservatur sub titulo : *Obscura in scripto anonymo slavonice edito, cui titulus : Prima instructio pro pueris.* Item, Marcellus Rodychevskii, Ladogæ archiepiscopus († 1742) Petro II obtulit commentarium contra eumdem libellum. Cf. Pekarskii, *Scientia et litteratura in Russia sub Petro Magno*, Petropoli, 1862, t. I, p. 178-182, 496 sq., t. II, n° 499.

3. Petropoli, anno 1722 ter edita, slavonice conscripta.

4. Latina versio hujus opusculi, Mosquæ, anno 1779, vulgata est.

conscripta pro institutione adolescentis tsari Petri II [1]; 9° Opusculum inscriptum : *Res et facta de quibus spiritualis magister ad plebem christianam sermonem habere debet*, slavonice [2]; 10° *Disquisitio historica* de potestate imperatorum christianorum in res et personas ecclesiasticas, Petropoli, 1721, slavonice. In hoc libello, Procopovitch rigidi cæsaropapismi, prout hic in *Regulamento ecclesiastico* exprimitur, apologiam texit; 11° *De prolatione nominum patriarcharum orientalium in officiis ecclesiasticis*, quare hic usus in ecclesiis Russiæ amplius non servetur. Ratio est, ait Theophanes, « quia publica, specialis et continua prolatio potestatem prolati in proferentes indicat; atqui Ecclesia russica auctoritati patriarcharum non subjacet, estque ab eis separata et independens [3]; 12° *Orationes et sermones, Slova i rêtchi*, tomi quatuor Petropoli, 1760-1774. Multi ex sermonibus Theophanis de rebus et eventibus politicis tractant. Theologo sunt valde utiles ad perfectam explorationem doctrinæ auctoris; 13° Deperditum est opus polemicum, inscriptum : *Examen concilii Florentini*, ante annum 1714 compositum. Deperdita est etiam quædam *Historia ecclesiastica*, in qua Theophanes doctrinam et sacros ritus Ecclesiæ orthodoxæ inde a Constantino Magno describebat, et originem indicabat diversorum usuum et rituum superstitiosorum. Infectum demum reliquit opus *de Antichristo*, in quo, quorundam Reformatorum instar, probare intendebat Romanum pontificem esse ipsum Antichristum [4].

Ut jam supra innuimus, per primum dimidium sæculi XVIII, paucos tantum theologiæ procopovitsianæ sectatores invenimus; at vero amplius non ita in secundo dimidio ejusdem ævi. Jam anno 1751, Georgius Konisskii (1717-1795) in Academia Kioviensi [5], et Athanasius M. Volkhovskii

1. Versio germanica hujus scripti typis mandata est : *Vorschläge wie ein Prinz in der christlichen Religion solle unterrichtet werden*, sine indicatione loci et anni. Textus originalis in bibliotheca petropolitana asservatur.

2. Parti quartæ operum Theophanis, Mosquæ, 1774, insertum.

3. Petropoli, anno 1721, editum.

4. Cf. Morozov, *op. cit.*, p. 373.

5. Georgius Konisskii, Kioviensis Academiæ rector, anno 1755 episcopus Moghilensis, et anno 1775 archiepiscopus Bêlorussorum creatus, infectum reliquit systema theologicum, quod ineditum asservatur.

(† 1776) in seminario Sergieviensi sanctissimæ Trinitatis [1], theologiam dogmaticam secundum methodum et principia Procopovitch docere inceperunt, vixque ab eo in quibusdam dissentiunt [2]. Anno vero 1759, Arsenii Moghilianskii, Kioviensis metropolitæ, consilio, Kiovienses decreverunt dogmaticam secundum cursum Theophanis in posterum esse docendam [3]; quod et Mosquenses imitati sunt. Ex his Theophanis discipulis vel imitatoribus nominandi sunt, præter duos mox memoratos :

1° Gabriel Petrov († 1801), Academiæ Mosquensis alumnus, episcopus Tverensis anno 1763, Petropolis archiepiscopus ab anno 1770, ineditam reliquit *Theologiam christianam orthodoxam, pro diversitate materiarum in varios tractatus ac paragraphos divisam, in imperiali Mosquensi Academia traditam et explicatam* [4]. Vestigiis Procopovitch, cujus locos integros quandoque ad verbum transcribit, omnino inhæret. In parte positiva potissimum excellit;

2° Macarius Petrovitch († 1766), genere Serbus ex Hungaria, seminarii Tverensis rector, russice et latine conscripsit compendium cui titulus : *Ecclesiæ orientalis doctrina orthodoxa, continens omnia quæ christiano suam salutem æternam quærenti convenit scire et facere :* cursus elementaris, Petropoli, 1783 et 1790, russice tantum editus.

Fuit orator percelebris. Ejus sermones Petropoli, 1835 et 1861, in duobus tomis editi sunt. De eo dissertationem scripsit Pavlovitch, in *Lectione christiana*, 1873, t. I, p. 3-46.

1. Volkhovskii, Academiæ Kioviensis alumnus, postea episcopus Tverensis (1758) et Rostoviensis (1763), ingens volumen ineditum in bibliotheca Academiæ Mosquensis asservatum conscripsit, cui titulus : *Summa theologiæ, salutarem fidei orthodoxæ doctrinam sincere et perspicue proponens.... in seminario Lavræ sacrosanctæ Trinitatis cœpta, anno incarnati Verbi 1751.* Præter Theophanem, scriptoribus lutheranis, Calixto præsertim, utitur. Complures sermones etiam edidit. De eo vide Smirnov, *Historia seminarii Lavræ Troitskiensis*, Mosquæ, 1867, p. 35-45.

2. Sic Volkhovskii creatianismum contra Theophanem, qui traducianismum docet, tuetur.

3. Cf. Tcherviakovskii, *op. cit.*, in *Lectione christiana*, 1876, t. I, p. 33.

4. Asservatur in bibliotheca Academiæ Mosquensis. De Gabriele Petrov integrum opus conscripsit Macarius Bulgakov : *Narratio de vita et scriptis Gabrielis, metropolitæ Novogrodensis et Petropolitani*, Petropoli, 1857.

3° Theophylactus Gorskii († 1788), primum episcopus Pereslavii (1776), postea Kolomensis archiepiscopus (1788), opus dogmatico-morale concinnavit, duobus tomis constans, quorum primus inscribitur : *Orthodoxæ orientalis Ecclesiæ dogmata seu doctrina christiana de credendis, usibus eorum qui studio theologico sese consecrarunt addixeruntque adornata accommodataque*, Petropoli, 1783, 1818, 1827; Lipsiæ, 1784, Mosquæ, 1831. Secundi tomi titulus est : *Orthodoxæ orientalis Ecclesiæ doctrina christiana de agendis*. Ex editionibus notatis constat hoc compendium in seminariis russicis usitatissimum fuisse usque ad limen tertiæ periodi theologiæ russicæ. Atqui ad mentem Theophanis et Buddæi lutherani totum redactum est, ita ut illud cujusdam theologi protestantis esse fetum a priori pronuntiares [1].

4° Samuel Mislavskii († 1796), Academiæ Kioviensis rector, et ab anno 1783 metropolita Kioviæ, non solum emendavit, absolvit ediditque *Theologiam* Procopovitch, verum etiam aliquod compendium russice et latine ipse conscripsit, cui titulus : *Dogmata præcipua fidei orthodoxæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ orientalis, creditu maxime necessaria pro adipiscenda æterna salute* [2].

5° Hilarion archimandrita († 1772), seminarii Lauræ sanctissimæ Trinitatis rector ab anno 1766 ad annum 1770, *Theologiæ summam* tria volumina habentem, quæ in bibliotheca Academiæ Mosquensis manuscripta servatur, concinnavit ex operibus diversorum, Theophanis scilicet ejusque discipulorum : Platonis Mosquensis, Gabrielis Petrov, etc.

6° Hyacinthus Karpinskii († 1798), archimandrita, ad usum seminarii Kolomensis scripsit suum *Compendium orthodoxæ theologicæ doctrinæ*, Lipsiæ, 1786, Mosquæ, 1790, 1810 Omnino protestantizans.

7° Sylvester Lebedinskii († 1808), primum Academiæ Kazanensis rector, ultimo archiepiscopus Astrakhanensis,

1. In prima editione petropolitana, anno 1783, auctor designatur litteris O. E. M. Gorskii aliud compendium brevius scripsit, cui titulus : *Dogmata christiana orthodoxæ fidei theologice proposita atque explicata*, Mosquæ, 1773, russice, germanice et latine; Petropoli, 1792, russice et gallice. Versio gallica facta est a Basilio Nalimoff, diacono.

2. De Samuele vide Rogdestvenskii, *Samuel Mislavskii, metropolita Kioviensis*, Kioviæ, 1877.

ad mentem Procopovitch latine composuit enchiridion ad usum seminariorum, inscriptum : *Compendium theologiæ classicum didactico-polemicum, doctrinæ orthodoxæ christianæ maxime consonum, per theoremata et quæstiones expositum, usibus theologicis in omnibus fere materiis adornatum.* Prima editio, Petropoli, 1799; secunda, priore multo auctior, Mosquæ, 1805.

8° Plato Levkhin († 1812), metropolita Mosquensis, non tam ut theologus quam ut orator claruit. Fuit enim aulæ imperialis prædicator, ab anno 1763 ad annum 1773. Dum rector erat seminarii Lauræ S. Sergii, annis 1761-1763, Procopovitch et lutherano Quenstedt ducibus, conscripsit *Theologiam christianam super fundamentum verbi Dei exstructam, ad praxim pietatis et promotionem fidei Jesu Christi unice directam, et in seminario, quod est ad Lavram SS. Trinitatis et S. Sergii traditam*, quæ manuscripta remansit. Quamquam Theophanem magistrum habet, ab illo tamen dissentit circa originem animæ humanæ, quam a Deo immediate creari docet. Ad famam Platonis apud Occidentales maxime contulit illa *Orthodoxa doctrina seu abbreviata christiana theologia*, quam pro principe Paulo Petrovitch (qui postea fuit Paulus I imperator) russice conscripsit, Petropolique edidit, anno 1765 [1]. Hæc brevis theologia seu potius catechismus, latine, gallice, germanice, græce, armenice, anglice, hollandice, georgice translata est [2]. Quanquam quæstiones summatim tantum et generali consideratione attingit, vestigia tamen lutheranismi in ea facile deprehenduntur. Cætera Platonis scripta sermonibus et orationibus sacris potissimum constant, ex quibus jam annis 1780-1782 Damascenus Semenov Rudnev duodecim tomos confecerat [3].

1. Saepe recusa est : Petropoli, 1791; Mosquæ, 1780, 1880, etc.

2. Versionem latinam paravit Damascenus Semenov Rudnev, Petropoli, 1774; gallicæ auctor fuit Symeon Matthœv, Petropoli, 1776; germanica Rigæ edita est, anno 1770; ex versionibus gallica et germanica Adamantius Corais (1748-1833) græcam confecit, quam adnotationibus illustravit, Lipsiæ, 1782; pluries deinceps recusa est. Aliam versionem græcam edidit Georgius Vendotis, Vindobonæ, 1782.

3. Scriptorum editorum Platonis collectio non minus quam viginti tomos complectitur. Inter ea venit quædam *Brevis historia Ecclesiæ russicæ*, primum in hac materia tentamen.

9° Methodius Smirnov († 1815), Tveri et postea Pskovii archiepiscopus, reliquit cursum theologiæ ex operibus Platonis Levkhin, Theophanis Procopovitch ac Theophylacti Gorskii concinnatum, cui titulus : *Sacra theologia, sive Institutiones theologiæ, sacra Scriptura potissimum fundatæ et studiosis litterarum in Laurensi schola traditæ* [1]. In prolegomenis, brevem texit historiam theologiæ. Scripsit præterea opus historicum inscriptum : *De rebus in primitiva Ecclesiæ gestis*, Mosquæ, 1805 [2], necnon dissertationem *De concilio Florentino*. Methodius circa quædam puncta, verbi gratia, circa conciliorum œcumenicorum infallibilitatem, a Theophane ejusque rigidioribus discipulis dissentit.

10° Irenæus Falkovskii († 1827), rector Academiae Kioviensis, et anno 1821 archiepiscopus Moghiloviensis, compendium theologiæ Theophanis Procopovitch, prout hæc a Samuele Mislavskii edita est, composuit, quod tanquam Enchiridion classicum, primum in Academiis Kioviensi et Petropolensi, deinde, id est ab anno 1809, Synodo commendante, in seminariis russicis, receptum est. Inscribitur : *Christianæ orthodoxæ dogmatico-polemicæ theologiæ, olim a clarissimo viro Theophane Procopovitch ejusque continuatoribus adornatæ compendium, in usum russicæ studiosæ juventutis concinnatum, atque adjectione sex ultimorum librorum juxta delineationem ejusdem clarissimi Theophanis ab archimandrita Irenaeo Falkowski completum*, Mosquæ, 1802, 1810; Petropoli, 1827. Hæc ultima editio petropolitana, petentibus seminariorum professoribus, facta est, adeo compendium celebrabatur.

11° Philaretus Amphiteatrov († 1857), rector Academiæ Mosquensis, ab anno 1837 metropolita Kioviensis, prælectiones theologicas tradidit in seminario Lauræ S. Sergii, quæ ineditæ remanserunt. Doctrinam referunt compendii Irenæi Falkovskii, Auctor in parte positiva potissimum insistit,

1. In tribus tomis manuscripta asservatur in bibliotheca Academiæ Mosquensis.

2. De hoc libro egit Josephus de Maistre in opusculo cui titulus : *Viri christiani Russiæ amantissimi animadversiones in librum Methodii archiepiscopi Twerensis*, anno 1812 composito, et Bruxellis, anno 1851, una cum versione gallica, primum edito.

considerationesque morales singulis quæstionibus subjungit. [1]

12° Inter Theophanis Procopovitch discipulos adnumerandus est etiam celeberrimus metropolita Mosquensis Philaretus Drozdov (1782-1867) in prima periodo vitæ suæ, ut patet ex ejus operibus ante 1836 conscriptis, præsertim ex ejus opusculo : *De differentiis inter Ecclesiam orientalem et Ecclesiam occidentalem*, anno 1811, composito et anno 1870 edito [2], in quo theses lutheranas de unico fonte Revelationis, de conciliorum œcumenicorum relativa auctoritate, de justificatione per solam fidem, etc., invenies. Item, ejus *Catechismus*, in duabus primis editionibus, annis 1823 et 1827 vulgatis, protestanticos errores in quibusdam redolebat [3].

Quosdam alios theologos minoris notæ, qui in conscribendis compendiis theologicis vestigiis Procopovitch institerunt, nominare supersedemus. Ex dictis enim satis constat theologiam lutheranizantem in academiis et seminariis russicis, inde a dimidio sæculi XVIII usque ad finem hujus secundæ periodi, sine controversia regnasse. Notandum est autem per totam hanc periodum, theologiam dogmaticam latine traditam fuisse, quemadmodum et in præcedenti periodo Kioviensibus mos erat. Si quædam compendia elementaria vel catechismos excipias, omnes theologici cursus et enchiri-

1. *De Philareto ejusque ætate* archimandrita Sergius tria volumina edidit, Kazanii, 1888.

2. In *Lectionibus imperialis Societatis historiæ et antiquitatum Universitatis Mosquensis*, 1870, t. I, p. 1-44.

3. Prima editio hujus catechismi hunc titulum ferebat : *Christianus Catechismus orthodoxæ catholicæ orientalis græco-russicæ Ecclesiæ, examinatus atque approbatus a sanctissima Synodo, editusque jussu celsissimæ majestatis imperatoris*, Mosquæ, 1823. In hanc primam editionem tanquam hæresi faventem invecti sunt theologi non pauci, non quidem ob sententias lutheranizantes ibidem expressas, sed ob adjectam versionem russicam locorum S. Scripturæ, symboli fidei, orationis dominicæ ac præceptorum Decalogi. Contendebant enim veteris traditionis tenaces hujusmodi formulas nonnisi slavice populo christiano recitandas esse. Unde anno 1824, Synodus petropolitana hujus primæ editionis vulgationem stitit. Secunda editio emendata, quibusdam aucta, et formulis præfatis vacans, adjecto epitheto *prostrannyi* (id est, *productus, major, longior)* in titulo, publicata est anno 1827. Anno sequenti, Philaretus minorem catechismum edidit, cujus titulus : *Prima elementa christianæ orthodoxæ doctrinæ*, Mosquæ, 1828.

dia latine tantum, vel latine et russice, conscripta fuere. Primum compendium russice tantum exaratum edidit Juvenalis Medviesdskii († 1809) : *Theologia christiana pro cupientibus maximum profectum in pietate*, Mosquæ, 1806. Adhuc annis 1827 et 1831, enchiridia latina Irenæi Falkovskii et Theophylacti Gorskii in typographia synodali recudebantur.

## ARTICULUS III

### De exegetis et oratoribus.

Cum Theophanes Procopovitch ejusque discipuli, theologorum reformatorum instar, sacram Scripturam unicum Revelationis divinæ fontem haberent, mirum non est studia biblica per hanc periodum apud Russos aliquantum floruisse. Primum quidem, quorumdam eruditorum cura, nova recensio Bibliæ slavonicæ, editione Ostrogensi anni 1581 emendatior, parata est, et anno 1751 typis mandata. Huic editioni operam potissimum impenderunt Simon Todorskii († 1754), archiepiscopus Pskoviensis, ejusque discupuli Jacobus Blonnitskii († 1774) et Barlaam Liachtchevskii. Ad interpretationem vero sacrorum librorum quod attinet, exegetæ hujus temporis Novum Testamentum præsertim commentati sunt. Apollo Baibakov († 1801), Academiæ Mosquensis rector, et sub finem vitæ episcopus Arkhangelensis, suas edidit lectiones in Epistolas paulinas: I ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, I ad Thessalonicenses. Gabriel Petrov, de quo supra locuti sumus, Epistolas catholicas dictas interpretatus est. Methodius Smirnov, Tverensis, postea Pskoviensis archiepiscopus, de *Epistola ad Romanos* egit in Academia Mosquensi. Alius vero ejusdem Academiæ rector, qui postea ad sedem archiepiscopalem Pskovii evectus est, Irenæus Klementievskii († 1818), commentationes conscripsit de Epistolis sancti Pauli ad Romanos et ad Hebræos, de Daniele, necnon de duodecim prophetis minoribus juxta textus hebraicum et græcum. Reliquit etiam interpretationem Psalmorum, quam

a B. Bellarmino mutuatus est [1]. Irenæus Falkovskii Epistolas apostolicas interpretatus est, dum Philaretus Drozdov *Commentaria in Genesim* [2] et quamdam *Adumbrationem historiæ biblicæ* [3] concinnavit.

Intra annos 1815-1826, non parva animorum commotio excitata est occasione editionum librorum sacrorum in linguas vulgares et præsertim in linguam russicam, quibus præerat *Societas biblica russica*, anno 1812 fundata. Synodus Dirigens, Alexandri I voto annuens, primum quidem editionem versionis russicæ una cum textu slavico permisit; postea vero, anno scilicet 1824, versio russica totius Novi Testamenti sola publicata est; quod theologos traditioni hærentes maxime offendit. Societas biblica, quæ cæterum alios libros vago mysticismo seu *pietismo* faventes evulgabat, mox suppressa est, et mysticismi adversarii, inter quos eminebant archimandrita Photius, Ivan Petrov, Polubenskii, Stanevitch, Seraphimus Glagolevskii, Petropolis archiepiscopus (1821-1843), Nicolao I imperante, causam vicerunt.

De oratioribus hujus periodi pauca tantum dicemus, ne hic brevis noster conspectus nimis protrahatur. Quosdam inter præcipuos, qui et de theologia dogmatica ex professo scripserunt, supra nominavimus : Stephanum Iavorskii, Theophanem Procopovitch, Theophylactum Lopatinskii, Arsenium Matseievitch, Georgium Konisskii, Platonem Levkhin, qui omnium exstitit celeberrimus, Irenæum Falkovskii, qui non minus quam 1300 sermones reliquit, etc. Inter alios satis sit sequentes memorare :

1° Sub Catharina I, Petro II et Anna Ivanovna (1725-1740), claruerunt : Gabriel Buginskii, anno 1726 Riazanii episcopus creatus, qui Petri Magni reformationibus suffragatus est [4]; hieromonachus Simon Kokhanovskii († 1733), qui contra Rascolnikos præsertim sermones texuit; Cyrillus Florinskii

1. Opera exegetica Klementievskii edita sunt in sex tomis intra annos 1787-1814. Vulgavit etiam collectionem sermonum, annis 1791 et 1794, et anno 1795, *Tractatum theologicum de morte, judicio, inferno et æternitate beatitudinis.*

2. *Zapiski na Knigu Bytia*, Petropoli, 1816.

3. *Natchertanie tserkovno-biblieskoi istorii*, Petropoli, 1816, 1819, 1823, 1839, etc.

4. Sermones Buginskii, Mosquæ, annis 1768 et 1784, editi sunt.

(† 1744), Academiæ Kioviensis alumnus et Academiæ Mosquensis præfectus, qui non solum ut prædicator enituit, sed etiam quamdam *Theologiam positivam ac polemicam* conscripsit, in Academi Mosquensi, annis 1737-1740 traditam, et in bibliotheca ejusdem Academiæ asservatam. Vestigiis inhæret Stephani Iavorskii.

2° Elisabeth Petrovnæ tempore (1741-1762), celebrati fuerunt : Ambrosius Iuchkevitch, qui novitatibus factionis lutheranizantis non semel reclamavit; Gedeon Krinovskii († 1763), ab imperatrice Elisabeth præoptatus, qui sex tomos sermonum reliquit; Demetrius Cietchenov († 1767).

3° Inde ab anno 1762 usque ad finem hujus periodi, in eloquentia sacra famam sibi compararunt : Tikhon Sokolov Zadonskii (1724-1783), episcopus Voronegæ anno 1861 inter sanctos relatus, qui adversus consuetudines paganas in sua diœcesi vigentes assidue decertavit, pluraque scripta moralia et ascetica ad populi instructionem accommodata conscripsit, inter quæ notanda sunt : a) *Libellus de septem sacramentis;* b) *Thesaurus spiritualis ex mundo collectus*, de quo Synodus Dirigens, anno 1789, deprompsit librum inscriptum : *Instructio de officiis particularibus cujusque christiani*, in omnibus ecclesiis publice legenda; c) Opus theologicum in sex partes divisum, cui titulus : *De vero christianismo*, lectiones theologicas russice versas complectens ab auctore in seminario Novogrodensi traditas, multis adnotationibus explicatas[1]; Anastasius Romanenko-Bratanovskii (1761-1806), Astrakhanensis archiepiscopus, quatuor tomorum sermonum auctor; Augustinus Vinogradov (1766-1819), metropolita Mosquensis, qui et *Dogmaticam theologiam* latine conscripsit nondum editam; Michael Desnitskii (1761-1821), archiepiscopus Petropolis; Joannes Vasilievitch Levanda (1736-1814), Kioviensis archipresbyter; Ambrosius Podobiedov († 1818) archiepiscopus Petropolitanus, qui, præter sermones, quamdam *Introductionem ad lectionem sacrarum*

1. Prima editio hujus operis, Petropoli, anno 1785, vulgata est. Completam operum Tikhonis collectionem in quindecim tomos distributam Synodus Dirigens vulgavit Mosquæ, anno 1836. Jam annis 1825-1826, quædam collectio Petropoli publicata fuerat. De Tikhone vide opus A. Lébedev : *Sanctus Tikhon Zadonskii : ejus vita, scripta et canonizatio*, Mosquæ, 1890, Petropoli, 1896.

*Scripturarum Veteris et Novi Testamenti* reliquit; Ambrosius Protasov (1769-1830), Kazanensis archiepiscopus.

Ex hac clariorum oratorum serie colligere prædicationem verbi Dei in omnibus Russiæ dioecesibus hoc ævo floruisse non parvus error esset. Hæc namque satis bene culta nobilitas ad paucos tantum præsules redigitur. Ut autem pastorum inferiorum inopiæ spirituali succurreret, Catharina II collectiones duas componi jussit; quarum prima, inscripta : *Collectanea pro omnibus dominicis et festis diebus*, Petropoli, anno 1775 edita est. Continebat centum quatuor sermones ex S. Joanne Chrysostomo, Platone Levkhin, Gabriele Petrov, Gedeone Krinovskii, Elia Meniate, Massillon, Bourdaloue, Mosheim, Goschler desumptos; ad calcem voluminis subjunctus est parvus catechismus [1]. Altera vero collectio, inscripta : *Liber brevium sermonum de præcipuis salutaribus fidei dogmatibus necnon de mandatis divinis*, ex scriptis Patrum Ecclesiæ tota hausta erat. Vulgata est Mosquæ, anno 1781.

## ARTICULUS IV

### De polemistis.

Ut hujus articuli initio diximus, sectæ religiosæ ab Ecclesia synodali dissidentes per totam hanc periodum mirum in modum multiplicatæ sunt; quas modo dure, modo clementer tractarunt tum Ecclesia tum Status. Hujusmodi autem sectarum duplex genus distinguendum est. Quædam enim ad schisma russicum proprie dictum directe referuntur — illud schisma dicimus, quod ex correctione librorum liturgicorum tempore Niconis patriarchæ facta originem duxit —; aliæ vero schismati liturgico nullo vinculo connectuntur, sed sui ortus diversas nactæ sunt occasiones. Utrumque genus in duplicem speciem iterum dividitur.

Inter veterum rituum sectatores, quoddam discidium mox intercessit. Cum enim episcopos non haberent qui sacerdotes

1. Hunc catechismum fuisse *Primam instructionem pro pueris* Theophanis Procopovitch suspicamur.

eis ordinarent [1], quidam ex ipsis validitatem ordinationis Niconianorum agnoverunt, illosque presbyteros et diaconos susceperunt qui ab Ecclesia synodali identidem deficiebant. Vocati sunt *popovtsy*, id est sacerdotes seu popas habentes, eorumque secta *popovtsinæ* nomine nuncupata est. Et hæc fuit sane Rascolnikorum pars sanior, quæ cum veteribus ritibus sacramenta retinuit; imo, anno 1846, propriam hierarchiam episcopalem sibi constituit [2]. Alii vero opinati sunt Niconianos patriarchasque orientales omnes, qui eis suffragati erant in magno concilio Mosquensi anni 1666-1667, potestatem apostolicam omnino perdidisse, verum sacerdotium in Ecclesia periisse, Antichristum, quem plerique ipsum Petrum Magnum esse dicebant, jam advenisse, finemque mundi appropinquare. Unde omnibus sacramentis, etiam matrimonio, uno excepto baptismo [3], valedixerunt, et in stupendas absurditates, quas enumerare longius esset, inciderunt. Vocati sunt *bezpopovtsy*, id est, presbyteris carentes, eorumque glomeratio *bezpopovtsina* audit. In multas sectas divisi sunt, ex quibus præcipuæ sunt : 1° secta *Pomortsorum* seu *Littoralium* (ex voce russica *pomorie* = *regio secus littus maris*), qui preces fundere pro tsaro non renuebant; 2° secta *Theodosianorum*, ex quodam Theodosio sacrista, qui in carcere obiit, initio sæculi XVIII. Theodosiani Littoralibus rigidiores sunt, et matrimonium omnino damnant; unde et *bezbratchniki* (= *matrimonium rejicientes*) audiunt; 3° secta *Strannikorum*, id est *Peregrinorum* seu *Errantium*, cujus fundator exstitit Ephimus desertor, qui circa finem sæculi XVIII vivebat. *Stranniki* credunt societatem præsentem sub dominatu diaboli penitus subjacere, et ideo ab omni cum ea commercio abstinendum esse decernunt.

Illarum vero rascolnikarum sectarum quæ non trahunt

1. Ex episcopis Russiæ Paulus Kolomensis solus reformationem Niconis recipere recusavit. In carcerem conjectus, obiit antequam ordinationes facere potuerit.

2. Hujus hierarchiæ auctor fuit quidam Ambrosius, Bosniæ episcopus, quem patriarcha Constantinopolitanus deposuerat. In conventu *Starovierorum popovtsorum* Fontanæ Albæ (= Bielokrinitsæ) in Bukovina sito, quibusdam presbyteris hujus sectæ ordinationem episcopalem contulit, qui totam Russiam in varias diœceses partiti sunt.

3. Etiam baptismum rejecerunt quidam sectatores, ut *Nemoliaki*.

originem ab schismate liturgico, duplex species habetur : quædam *mysticæ* dicuntur, quæ sensibilitatis et phantasiæ deliramentis indulgent; aliæ *rationalisticæ* appellantur, quæ non solum sacramenta et ritus exteriores, verum etiam pleraque christiana dogmata respuunt, solam lectionem Scripturarum retinentes. His adnumeranda est secta *Sabbatistarum* seu Judaizantium (*Subbotniki*), qui sabbatum loco Dominicæ observant, et messiam exspectant. Has diversas sectas a schismate liturgico independentes quidam auctores habent tanquam veterum Strilgonikorum et Judaizantium propagines [1].

Contra *popovtsinam* et *bezpopovtsinam* potissimum calamo dimicarunt theologi russi hujus periodi. Scripta jam laudavimus Stephani Iavorskii, Theophylacti Lopatinskii et Arsenii Matseievitch. Celeberrimus Rascolnikorum adversarius simul et apostolus exstitit Pitirim, Nigni-Novogrodensis episcopus (1719-1738), qui, ut ferunt, 38 000 schismaticos ad « Orthodoxiam » convertit, et 240 quæstionum a Rascolnikis propositarum confutationem composuit, inscriptam *Funda;* quæ ad omnes Russiæ Ecclesias missa est. Ejus discipulus, Neophytus hieromonachus, Andream et Symeonem Denisov, germanos fratres, *Pomortsorum* Vitegræ duces, ad disputationem publicam invitavit, centum et sex quæstiones eis proponens elucidandas. Sectatores orale quidem certamen detrectarunt, scriptum vero responsum miserunt, cui titulus *Pomorianæ responsiones* (anno 1723), astute et solerter compositum, in quo refellendo multi insudarunt.

Cum popovtsis, circa finem sæculi xviii, Synodus Dirigens ad aliquam compositionem devenit. Anno 1784, suadentibus metropolitis Gabriele Petrov et Platone Levkhin, illi ad unionem cum Ecclesia synodali invitati sunt : Synodus eis permittebat veteres libros et ritus servare, dummodo auctoritatem Ecclesiæ agnoscerent. Hoc fuit initium illius Ecclesiæ russicæ partis quam *Edinovierie* vocant. Anno 1800, metropolita Plato hujus *Edinovierie* fundamenta ac conditiones pressius determinavit : Synodus anathemata in veteres

1. Præcipuarum sectarum russicarum optimam descriptionem invenies apud Leroy-Beaulieu, *L'empire des tsars et les Russes*, t. III ; *L'Église* p. 326-569. Parisiis, 1889. Litteratura vero russica de hac materia copiosior est quam ut hic recenseri possit.

ritus anno 1666-1667 lata suspendit, plenamque libertatem hujusmodi ritus observandi Starovieris reliquit, dummodo isti hierarchiæ synodali obedientiam præstarent ab eaque suos sacerdotes acciperent. Eis insuper licebat in ecclesiis « orthodoxis » communicare. Ceterum, *Edinovierie* hactenus parum prosperata est, numerusque *Unitorum in fide* (*Edinoviertsy*) præ multitudine Rascolnikorum exiguus semper exstitit.

Post *Petræ fidei* editionem controversiamque exinde ortam, polemistæ russi adversus Protestantes fere nihil protulerunt : quod sane mirum non est, cum in non paucis capitibus Lutheranis et Calvinistis assentirent. Neque adversus Catholicos, tametsi quidam, ut Theophanes Procopovitch, vehementi spiritu polemico in eos ferebantur, multa ex professo scripserunt. Præter dissertationem Procopovitch de *Processione Spiritus Sancti*, de qua supra, et perlongum tractatum Adami Zernikavii de eodem argumento, quem Samuel Mislavskii annis 1774-1776, ut diximus, Regiomonti publicavit, et Eugenius Bulgaris, anno 1797, græce reddidit [1], notanda veniunt : 1° Opus Philareti Drozdov inscriptum : *Dialogi de orthodoxia orientalis catholicæ Ecclesiæ inter inquirentem et persuasum*, russice, Petropoli, 1815 [2]. In his dialogis admodum brevibus, numero septem, auctor de processione Spiritus Sancti et de primatu papæ potissimum disserit. Quædam etiam habet de schismate photiano, et ad calcem sui opusculi *Epistolam encyclicam Photii ad patriarchas orientales* subjunxit. Opus infimæ notæ, consueta polemistarum græcorum argumenta referens, etsi quædam singularia de conceptu Ecclesiæ universæ continet, de quibus alio loco dicetur; 2° Opus principis Alexandri Sturdzæ gallice conscriptum, cui titulus : *Considérations sur la doctrine et l'esprit de l'Église orthodoxe*, Stuttgardi, Vimariæ, Parisiis, 1816; germanice, Lipsiæ, 1817. Editionis hujus libelli adversus papam et jesuitas directi expensa solvit ipse tsarus Alexander I, Pio papæ VII vehementer iratus, quod pacto dicto *de sacro fœdere* adhærere noluisset.

1. Cf. supra, p. 577.

2. Diximus, p. 545, Græcum Theodorum Vallianum hos dialogos græce vertisse et edidisse. Habetur etiam hujus opusculi versio gallica a Sondakov, Parisiis, anno 1862 edita.

## CAPUT TERTIUM

### THEOLOGIÆ RUSSICÆ TERTIA PERIODUS (1836-1917).

#### Prænotamina.

Inde ab anno 1836, manifesta mutatio in theologia russica deprehenditur. Quæ enim prius præcipuas Reformatorum theses de fontibus Revelationis necnon de justificatione libenter amplectebatur, inde ab hoc tempore, ad saniorem doctrinam in Confessionibus fidei Petri Moghilæ et Dosithei expressam et ab Stephano Iavorskii in *Petra fidei* propugnatam redire visa est. Porro hujus subitaneæ innovationis meritum non sane præsulibus vel theologis russis, ne ipsi quidem Synodo Dirigenti, sed ejus summo procuratori laico, comiti scilicet Nicolao Alexandrovitch Protasov, tribuendum est. Hic enim, cujus præceptorem quemdam jesuitam per quindecim annos fuisse ferunt, *latinophron* aliquatenus erat. Considerans autem theologiam russicam protestantismum plus æquo redolere, theologosque vestigia Theophanis adhuc terere, clavum scientiæ sacræ in dexteram partem convertere animo sibi proposuit; quod ut perficeret, militarem agendi rationem, sibi bene notam — fuerat quippe militiæ præfectus — adhibuit. Theologi ergo novam viam inire jussi sunt. Cum autem Commissio synodalis scholarum ecclesiasticarum ejus proposito resistere tentasset, decreto imperiali, anno 1839, suppressa est; in cujus locum suffecta est quædam *Directio ecclesiastica*, Procuratori tota devota, omnia ad ejus nutum decernens. Reformatio sine mora incepit.

Protestantes theologos Patrum et doctorum Ecclesiæ ipsorumque conciliorum œcumenicorum auctoritati derogare omnibus compertum est. Ab hoc crimine theologi russi periodi præcedentis non omnino immunes fuerant. Protasov itaque ad traditionis antiquæ studium seminariorum et academiarum ecclesiasticarum alumnos impulit. Jam anno

1836, patrologiæ cursus seminariorum programmati insertus est. Anno 1840, nova statuta pro seminariis et academiis elaborata sunt, et cursus theologiæ patristicæ in academiis constitutus est. Anno 1839, editus est *Liber canonum* (*Kniga pravil*) *Apostolorum, conciliorum œcumenicorum et particularium et sanctorum Patrum* [1]. Inde vero ab anno 1843, Academia Mosquensis operibus Patrum russice vertendis impense incubuit; cui labori et cæteræ Academiæ operam contulerunt[2]. Translata sunt autem non solum scripta Patrum orientalium, sed etiam latinorum. Hic Patrum amor eorumque operum studium totam hanc periodum insigniunt. Academiarum alumni ad gradus academicos obtinendos materias patristicas elucidandas plerumque sibi selegerunt; unde factum est, ut litteratura russica coæva hujusmodi dissertationibus et monographiis ditissima evaserit [3].

Cum autem præcipuum Procopovitch ejusque discipulorum peccatum in hoc constitisset quod Confessiones fidei sæculi XVII, ad refellendas hæreses Lutheranorum et Calvinistarum concinnatas, penitus fere dereliquissent — quippe qui non paucas sententias doctrinæ in illis expressæ aperte repugnantes amplexati erant [4] — Protasov illas rursum edendas ac per totam Russiam vulgandas curavit. Anno 1837, synodali decreto typis mandata est *Orthodoxa confessio* Petri Moghilæ, cujus triginta millia exemplaria ad ecclesias imperii missa sunt. Anno 1841, hujus libelli duodecima editio jam lucem aspiciebat. In omnibus ecclesiasticis scholis et seminariis, instructionis religiosæ professores hanc confessionem tanquam Manuale omnibus explicandum adhibere jussi sunt [5].

1. Hæc prima editio textum originalem græcum referebat. Anno vero 1843, editio slavica vulgata est.

2. Opus jam auspicati erant *Lectionis christianæ* redactores, inde ab anno 1821.

3. Hujusmodi dissertationum indicem texuit A. Palmieri, *Theologia orthodoxa*, I, p. 253-254, 712-730.

4. De hac Confessione Theophanes, in *Regulamento ecclesiastico*, dixerat : « Utpote non exiguæ molis, difficilior est, quam ut rudiorum hominum memoriæ insinuetur. Quatenus autem grandi stylo est conscriptus, sublimior est, quam ut a plebe intelligatur. » Exquisitus sane modus a molesto libello sese expediendi!

5. Ab anno 1837 usque ad annum 1845, Synodus hanc Confessionem ecclesiasticis scholis ter commendavit. Vide Macarium, *Introductio ad theologiam orthodoxam*, 5ª editio russica, Petropoli, 1884, p. 415-416.

Item, anno 1838, versio russica *Confessionis* Dosithei publicata est [1]; quam, anno 1845, Synodus omnibus clericis « pro perpetuo usu non solum in seminario, verum etiam post egressum e seminario », gratis distribuere præscripsit. In hac tamen Confessione, etiam in textu originali, qui anno 1840, Petropoli editus est [2], quædam mutata sunt, quædam de industria prætermissa; de quibus alio loco dicemus [3].

Catechismum majorem Philareti Drozdov etiam in sua secunda editione anno 1827 vulgata quædam lutheranismi vestigia retinuisse supra diximus [4]. Protasov auctori mandavit, ut suum opus recognosceret, quædam addendo, quædam supprimendo [5]. Philaretus invitus procuratori morem gessit, membrorumque Synodi consilio additiones et suppressiones postulatas perfecit, non tamen sine quibusdam ambiguitatibus in terminis doctrinæ lutheranæ faventibus [6]. Hac occa-

1. Titulus hujus editionis pluries deinceps recusæ sic se habet. *Tsarskaia i patriarchia gramoty o utchregdenii Sv. Synoda se izlogeniem pravoslavnago ispoviedania vostotchno-catholitcheskoi Tserkvi (Imperiales et patriarchales litteræ de constitutione sanctæ Synodi una cum expositione orthodoxæ confessionis orientalis catholicæ Ecclesiæ)*, Petropoli, 1838.

2. Editio hoc titulo insignitur : Τὰ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως καὶ τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν γράμματα περὶ τῆς συστάσεως τῆς ἁγιωτάτης Συνόδου μετ' ἐκθέσεως τῆς ὀρθοδόξου πίστεως τῆς ἀνατολικῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, Petropoli, 1840.

3. Hujusmodi mutationes, quae a Philareto Drozdov factæ sunt, protestantismo favent.

4. Cf. p. 597.

5. Suppressum est libelli initium circa cognitionem Dei ex creaturis visibilibus. Adjectum est caput de traditione ut divinæ revelationis altero fonte sacra Scriptura antiquiore. Quædam de prædestinatione mutata sunt. Protasov volebat, ut caput de præceptis Ecclesiæ adderetur; quod non est factum præ animadversionibus quorumdam præsulum. Cf. Korsunskii, *Fata catechismorum Philareti, metropolitæ Mosquensis*, Mosquæ, 1883. Cf. etiam ejusdem auctoris articulum : *Determinatio conceptus de Ecclesia in scriptis Philareti, metropolitæ Mosquensis*, in *Lectione christiana*, 1895, t. II, p. 47-90.

6. Hujusmodi ambiguitatum exemplum habes in capite de sacra traditione et Scriptura. Cf. infra, p. 649. Quidam ex iis qui circa Protasov erant, ut Serbinovitch, Catechismum Philareti, prout se habet in sua tertia et ultima recensione, tanquam lutheranizantem denuntiare non destiterunt. Cf. *Epistolam Philareti Gumilevskii ad A. B. Gorskii*, in *Supplementis ad opera sanctorum Patrum*, t. XXXIII (1884), p. 57, in nota. Quidam censor synodalis de hoc libello istud judicium profere-

sione, A. I. Turgueniev, qui sectionis de negotiis ecclesiasticis præfectus fuerat, tempore ministerii principis A. N. Golitsyn, de præsulibus Ecclesiæ russicæ sequentia duriora proferebat : « Ecclesiasticis nostris haud confido : catechismos enim mutant ad mutationem ministrorum et ober-procuratorum. Quod opinionibus falso fundamento innixis sincere quis valedicere possit, hoc sane possibile reputo; quod autem toti Synodo tale quid extemplo accidat, hoc suspicionem injicit etiam viro hujusmodi mutationibus insueto... Quo magis senesco et animum attendo, eo magis doctrinæ christianæ adhæreo, et eo magis etiam in animum mihi induco in clericis parum esse fidei, hancque eis non esse metam et terminum, sed quoddam medium [1]. »

Inde a principatu Petri Magni, opus Stephani Iavorskii inscriptum *Kamen viery* signum temporum in Russia exstiterat. Hoc idem fuit sæculo XIX. Protasov enim novam editionem hujus libri vulgari præcepit; quæ tribus voluminibus contenta, Mosquæ, anno 1843, lucem aspexit.

Interim theologiæ dogmaticæ magistri ad conscribenda nova compendia classica novæ Orthodoxiæ consona invitabantur. Primum compendium hujusmodi auctorem habuit presbyterum Petrum Ternovskii (1798-1874), Mosquensis Universitatis professorem. Ejus *Theologia dogmatica seu ampla expositio doctrinæ fidei Ecclesiæ catholicæ orthodoxæ*, Mosquæ, anno 1838 edita est [2]. Mox alia Manualia hoc primo perfectiora, de quibus infra, a diversis vulgata sunt.

Hæc autem, non latine, ut prius mos erat, sed russice conscripta sunt. In hac enim tertia periodo, Russia docta linguæ latinæ in disciplinis philosophicis et theologicis tradendis valedixit, et dialecto gentili usa est. Una cum lingua latina etiam theologia speculativa seu scholastica propemodum derelicta est, et positiva sola in academiis et seminariis cele-

bat : « Hic liber, cujus scopus est, ut omnes communiter edoceat fidei præcepta, permultis scatet locutionibus ambiguis, sententias de fide accurate non exprimit, ac plus vice una ab Ecclesiæ nostræ doctrinis abscedit. » Cf. Barsov, *Crisis operum Philareti, metropolitæ mosquensis*, in *Lectione christiana*, 1887, t. I, p. 791. Palmieri, *op. cit.*, t. I, p. 648.

1. *Russkaia Starina*, t. XXXIV (1882), p. 179. Cf. Korsunskii, *art. cit.*, p. 55-56.

2. Secunda editio hujus operis anno 1839 facta est; tertia, anno 1843.

brata est. Ad hanc novam viam ineundam, non sola contulit comitis Protasovi voluntas, sed etiam Ecclesiæ russicæ intestina necessitas, quæ postulabat, ut contra diversos « Orthodoxiæ » hostes argumentis præsertim positivis theologi decertarent. Rascolnikarum enim sectarum numerus, nedum decreverit, potius auctus est. Præterea, per totam hanc periodum Gubernium russicum Ecclesiæ catholicæ vehementer infensum fuit, Unitosque Poloniæ et Lithuaniæ dire persecutus est; theologiæ autem dissidenti, ut sæpe diximus, solenne est politicæ civilis vestigiis insistere, ejusque vicissitudines experiri. Unde tractatus polemici contra Ecclesiam catholicam, et præsertim contra Romani Pontificis primatum, nostro tempore abundant. Contra Protestantes etiam, sed mollius dimicarunt theologi recentiores, qui cæterum quasdam reliquias lutheranas et calvinianas periodi præcedentis in suis tractatibus retinent. Nec defuerunt unionis tentamina tum cum Anglicanis tum præsertim cum Veteribus Catholicis Helvetiæ et Germaniæ. Instante recenti bello, quædam « entente cordiale », politicæ concordiæ inter Angliam et Russiam prope similis, inter theologos utriusque gentis jam adumbrabatur.

Theologiæ polemicæ tum adversus Protestantes tum præsertim adversus Catholicos novum impulsum intulit factio dicta *Slavophilorum*, quæ intra annos 1840-1880 summum fortunæ culmen consecuta est; cujus duces fuere Constantinus Serghievitch Aksakov (1817-1860), Kirievskii, Samarin, theologus vero, Alexius Stepanovitch Khomiakov (1804-1860). Slavophili veteribus animi moscovitici studiis culturæ occidentali oppositis agebantur. Quidquid Occidentem redolebat, abominabantur; russica sola eis bona et laudanda videbantur. Ad theologiam quod spectat, Khomiakov conceptus proprios et omnino subjectivos de religione christiana, de Ecclesia, de Orthodoxia russica necnon de catholicismo romano sibi effinxit. Nova autem theologia ista, rationalismum mysticum seu modernismum sapiens, et ipsi Orthodoxiæ orientali minime consona, longe lateque per Russiam propagata est, academiasque ecclesiasticas atque seminaria pervasit, ita ut in scriptis theologorum russorum recentiorum vestigia manifesta slavophilismi deprehendantur. Cæterum, nostris diebus, hic slavophilismus est potius animi

dispositio ac studium quam doctrina certis constans dogmatibus : unum tantum fundamentale principium Slavophilorum insidet animis : odium scilicet *romanismi* et papæ [1].

Slavophilis adversabatur factio *Zapadnikorum* seu Occidentalium, quorum primus fuit Petrus Tchadaiev (1794-1856). Hic, anno 1836, in folio periodico *Telescopa*, epistolam publicavit, in qua veterum institutorum totiusque præteriti Russiæ orthodoxæ acerbam censuram agebat, dolens præsertim quod Russia non a Roma, sed a Byzantio christianam fidem accepisset. Hujus audacis scripti auctor exulare coactus est; ejus vero discipuli, ex quibus præcipui fuere Vissarion Grigorievitch Bielinskii (1811-1844), Granovskii, Gertsen, quæstiones religiosas neglexerunt, moxque positivistarum et materialistarum placita amplexati sunt, ita ut christianismi infensissimi hostes evaserint. Genuinus Tchadaievi discipulus circa finem sæculi XIX tandem apparuit, Vladimirus Soloviev scilicet (1853-1900), qui viam vere novam et ad veram Ecclesiam ducentem suis gentilibus indicavit. Admodum paucos discipulos inter Russos hactenus ille habuit. Faxit Deus, ut post hæc tam turbida tempora, favente multorum Russorum in regiones catholicas Occidentis dispersione, illorum numerus citius augeatur!

Orthodoxia a Protasov reformata quasi viam mediam inter protestantismum et catholicismum tenere contendebat, recentiorique tempore spiritu slavophilico imbuebatur. Hanc invenimus expressam in compendiis classicis theologiæ dogmaticæ et polemicæ ad usum academiarum et seminariorum compositis. Erraret tamen qui putaret hujusmodi theologiam ab omnibus theologis russis coævis libenter recipi et propugnari. Quamquam enim opinionum libera manifestatio, ante recens bellum, censura Dracone digna impediebatur, attamen theologi non pauci inter doctiores a theologia classica plus minusve abhorrebant, quos *Liberales* et « Orthodoxiæ laxæ » asseclas vocare possumus. Hi siquidem, definitionibus septem priorum conciliorum contenti, unionem omnium Ecclesiarum christianorum perficere quærebant super funda-

1. Notandum est eventus politicos sæculi XIX mediantis ortui ac progressui Slavophilismi mirum in modum favisse. Nicolao I enim imperante, Russia culturæ occidentali maxime extranea et clausa remansit; bellum vero Krimeense odium in Occidentales summe auxit.

mento « dogmatum fundamentalium » omnibus fere Ecclesiis et sectis communium. Inter dogmata proprie dicta et « theologumena » rigidam distinctionem invehentes, theologumenis annumerabant doctrinas uniuscujusque sectæ peculiares, quæ unionem christianorum ad invicem impedire non debeant, neque fidei communi nullo modo imponendæ sint. Ecclesia universalis, secundum eosdem, omnibus Ecclesiis particularibus ab invicem nunc disjunctis constituitur. Papatus autem romanus tanquam unionis exoptatæ præcipuus adversarius denuntiabatur. Unde Liberales isti Ecclesiam catholicam summo odio prosequebantur. Hujus scholæ sectatores, ante Bolcevistarum adventum, multi in Russia exstabant, atque in dies augebantur. Ad eam inter cæteros pertinebant illi theologi qui inde a collationibus Bonnæ, annis 1874-1875, habitis, unionem cum Veteribus Catholicis vel cum Anglicanis inire conabantur. Inter eos eminebant Yanychev, Bolotov, Lopukin, Kiereev, Svietlov.

Porro litteratura theologica hujus periodi, secundum diversas suas partes et sectiones, copiosior est quam ut eam per singula hic pertractare possimus. Quamvis enim, ut jam diximus, theologia speculativa per totam hanc ætatem parum exculta fuerit, at diversæ species theologiæ positivæ, præsertim vero historia theologiæ russicæ et byzantinæ, multos habuerunt studiosos. Extraordinaria enim fecunditas litteraria, maxime ab anno 1860, in academiis ecclesiasticis viguit. Multa folia periodica theologica lucem aspexerunt, quæ de omnibus disciplinis theologicis dissertationes et articulos publicabant, dum Academiarum alumni, ad consequendum gradum magistratus theologici, theses non spernendas producebant. Nobis vero satis erit præcipua hujus litteraturæ monumenta notare, alias indicationes bibliographicas, decursu secundi nostri voluminis, præbituri. Agemus :

1° De præcipuis compendiis classicis theologiæ dogmaticæ et disciplinarum huic maxime affinium necnon de quibusdam monographiis ad dogmaticam spectantibus;

2° De polemistis clarioribus ;

3° De commentariis theologicis quæ stato tempore ante bellum edebantur.

## ARTICULUS I

### De præcipuis compendiis theologiæ dogmaticæ necnon de quibusdam aliis operibus theologiam dogmaticam illustrantibus.

Post *Theologiam dogmaticam* Petri Ternovskii, de qua supra, præcipua compendia theologiæ dogmaticæ ad normam librorum symbolicorum composita, sequentia fuere :

1° *Theologia Ecclesiæ catholicæ orthodoxæ* Antonii Amphiteatrov (1815-1879), primum rectoris Academiæ Kioviensis, ab anno 1867 archiepiscopi Kazanensis. Hæc *theologia*, quæ magni catechismi nomen potius meretur, Kioviæ, anno 1848 vulgata est, et per aliquot annos tanquam manuale classicum in seminariis recepta est [1].

2° Ab anno 1847 ad annum 1853, Macarius Bulgakov (1816-1882), qui anno 1879 metropolita Mosquæ renuntiatus est, cursum productum theologiæ dogmaticæ sex tomis constantem Petropoli edidit. Primum vulgata est *Introductio in theologiam orthodoxam*, anno 1847 [2]; deinde, ab anno 1849, tomi *Theologiæ dogmaticæ orthodoxæ* singillatim prodiere [3]. Cum autem hic cursus longior esset quam ut in seminariis tradi posset, auctor, anno 1868, uno volumine illum contraxit, cui titulum præfixit : *Manuale ad studium christianæ orthodoxæ dogmaticæ theologiæ* [4]. Inter cursus theologiæ dogmaticæ a Russis conscriptos, *Theologia* Macarii primas certe tenet, et *Orthodoxiæ* a Protasov propositæ optime respondet. Quamquam in quibusdam quæstionibus theologiæ lutheranæ suffragatur, attamen in pluribus ad theologiam catholicam propius accedit. Multa siquidem auctor a catho-

1. Aliæ editiones; Kioviæ, 1856; Petropoli, 1849, 1857, 1862; Mosquæ, 1852. Habetur versio græca; cf. p. 544.

2. Editio sexta, Petropoli, 1897. Gallice versa est : *Introduction à la théologie orthodoxe*, Parisiis, 1857. De aliis translationibus vide, p. 544, 636, 638.

3. Editio quinta in duobus tomis, Petropoli, 1895. Versio gallica, *Théologie dogmatique orthodoxe*, 2 t., Parisiis, 1859-1860, mendis scatet, sicut et versio *Introductionis*. De aliis versionibus vide, p. 636.

4. Versio germanica hujus compendii, auctore D. Blumenthal, Mosquæ, anno 1875 vulgata est. De versione græca, vide, p. 544.

licis theologis, præsertim a Perrone, mutuatus est. Cæterum, fere totum opus ad theologiam positivam pertinet, interminabiles textuum patristicorum series referens, quorum authenticitas, maxime in quæstionibus controversis, accurata censura comprobanda est [1]. Elementum speculatiorum in eo occurrens minimum est. Auctor quæstiones scholasticas prorsus negligit.

Præter hæc opera, Macarius alia conscripsit ad historiam theologiæ russicæ valde utilia : a) *Historiam Academiæ Kioviensis*, Petropoli, 1843; b) *Historiam schismatis veterum Ritualistarum*, Petropoli, 1855; c) *Historiam Ecclesiæ russicæ* (usque ad annum 1667), 12 vol., Petropoli, 1883-1903. Reliquit insuper sermones non paucos [2].

3° Philaretus Gumilevskii (1805-1866), ab anno 1859 archiepiscopus Tchernigoviensis, composuit compendium duobus haud magnis constans voluminibus, cui titulus : *Orthodoxa dogmatica theologia*, Tchernigoviae, 1854 [3]. Ejusdem est indolis atque *Theologia* Macarii. Multa alia opera edidit auctor, inter quæ hæc notanda sunt : a) *Historia Ecclesiæ russicæ* (usque ad annum 1826), 1ª ed., 1847, 6ª, Petropoli, 1894 [4]; b) *Doctrina historica de Patribus Ecclesiæ*, 3 vol., Tchernigoviæ, 1859 [5]; c) *Conspectus litteraturæ ecclesiasticæ russicæ*, 2 vol., Tchernigoviæ, 1859 [6]; d) *Conspectus historicus hymnographorum et hymnorum Ecclesiæ græcæ*, Tchernigoviæ, 1860 [7]; e) *Sancti russi ab Ecclesia orthodoxa honorati. cum notitiis de festis dominicis et marialibus, necnon de imaginibus miraculosis*, 12 vol., Tchernigoviæ, 1861-1865 [8]; f) *Interpretatio B. Pauli apostoli ad Galatas*, Tchernigoviæ, 1862; g) *Doctrina Joannis evangelistæ de Verbo*, Tcherni-

1. Cf. Franzlin, *Examen doctrinæ Macarii Bulgakov de processione Spiritus Sancti*, 2ª ed., Prati, 1894.

2. De Marcario duo volumina conscripsit Th. Titov, *Macarius Bulgakov, metropolita Mosquensis et Kolomensis : Specimen historico-biographicum*, Kioviæ 1895 et 1898.

3. Tertia editio, Petropoli, 1882.

4. Germanice versa a Blumenthal, *Geschichte der Kirche Russlands*, 2 vol., Frankfurtii, 1872.

5. Editio abbreviata, Tchernigoviæ, 1854.

6. Tertia editio, Petropoli, 1884.

7. Tertia editio, Petropoli, 1902.

8. Tertia ed., aucta, Petropoli, 1900.

goviæ, 1869; h) *Sermones de passione Domini nostri Jesu Christi*, 2 vol., Petropoli, 1859 [1]; i) *Sermones, homiliæ et orationes*, 4 vol., 3ª ed., Petropoli, 1883 [2].

4º Sylvester Malevanskii (1828-1908), rector Academiæ Kioviensis, ab anno 1885 episcopus Kanevensis, scripsit cursum theologiæ quinque tomis constantem, cui titulus : *Tentamen theologiæ dogmaticæ orthodoxæ, adjecta historica expositione dogmatum* [3]. Hic cursus fere totus est positivus; cæterum, auctor de theologia patristica satis bene disserit, et in hoc Macarium præcellit.

5º N. Malinovskii, primum rector seminarii Podoliensis, postea seminarii Vologhdensis, duplicem vulgavit cursum theologiæ dogmaticæ, unum longiorem, quatuor habentem volumina [4], breviorem alterum, duobus tomis constantem [5]. In utroque, auctor ad theologiam comparativam et polemicam potissimum attendit, objectiones adversariorum fusiori calamo confutat; quo fit, ut elementum speculativum et scholasticum copiosius sit quam in præcedentibus operibus.

6º Innocentius Borisov (1800-1857), rector Academiæ Kioviensis, ab anno 1848 archiepiscopus Chersonensis, *Prælectiones theologiæ dogmaticæ* conscripsit, quæ post ejus mortem, Kioviæ, anno 1869, editæ sunt [6]. Claruit etiam Borisov ut prædicator [7].

7º Joannes Sokolov († 1869), ab anno 1866 episcopus urbis Smolensk, *Prælectiones dogmaticas* et ipse reliquit, in

1. Tertia editio, Petropoli, 1884.

2. De Philareto vide S. Smirnov, *Historia Academiæ Mosquensis: Philaretus, archiepiscopus Tchernigoviensis*, Tambovii, 1900; I. Listovskii, *Philaretus, archiepiscopus Tchernigoviensis*, Tchernigoviæ, 1895.

3. Primum volumen, Kioviæ, lucem aspexit, anno 1878. Cursus integer editus est Kioviæ, annis 1892-1898.

4. *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. I, Kkarkovii, 1895; t. II, Stavropoli, Kavkasii, 1903, 2ª éd., 1910; t. III et t. IV, anno 1909, Serghief Possad prodierunt.

5. *Compendium theologiæ dogmaticæ orthodoxæ*, pars prima, Kamenetz-Podolsk, 1904; pars altera, Serghief Possad, 1908.

6. In *Collectaneis lectionum professorum Academiæ Kioviensis.*

7. Collectio completa operum Innocentii in sex tomis edita est Petropoli, anno 1908. Major pars constat sermonibus. In tomo VI recusæ sunt prælectiones dogmaticæ.

Academia Petropolitana traditas, quas permagni quidam faciunt [1].

8° Justinus Polianskii († 1903), ab anno 1894 episcopus Riazanensis, compendium theologiæ dogmaticæ ad usum seminariorum conscripsit, cui titubus : *Doctrina fidei christianæ orthodoxæ seu theologia dogmatica*, 2 vol., Chersone, 1886-1887 [2].

9° Alexander Bielaev († 1903), Academiæ Mosquensis professor, auctor est operis singularis hoc titulo insigniti : *Amor Dei : Adumbratio expositionis præcipuorum dogmatum christianæ fidei ex principio divini amoris*, Mosquæ 1880, 2ª ed., 1884, in quo ostendere nititur omnia dogmata christianæ religionis ex principio divini amoris effluere.

10° Ineditæ remanserunt, ob nimiam censuræ ecclesiasticæ severitatem, *Prælectiones dogmaticæ* Alexandri Vasilievitch Gorskii († 1875), Academiæ Mosquensis rectoris, qui theologos protestantes et rationalistas Germaniæ erudite confutabat, multaque a catholicis auctoribus mutuabatur [3].

11° Notanda est demum *Theologia dogmatica orthodoxa* archipresbyteri Eugenii Popov, modo oratorio, sub forma collationum tradita, sex habens volumina [4].

Nec desunt alia compendia breviora, ex quibus aliquot recenset A. Palmieri [5]. His annumerandus est *Catechismus productus* seu *major* Philareti Drozdov, de quo jam non una vice locuti sumus. Hunc commentati sunt plures auctores, sicut nostri faciunt pro *Summa theologica* sancti Thomæ [6]. De doctrina theologica ejusdem Philareti integrum

1. Editæ in *Lectione christiana*, 1874-1877, et separatim, Petropoli, 1906, 2 vol. Cf. Palmieri, *op. cit.*, I, p. 178.

2. Opus recusum in t. III-IV *Collectionis operum omnium* auctoris, Mosquæ, 1895.

3. De hoc theologo egit C. Popov, *Rector Academiæ ecclesiasticæ mosquensis archipresbyter A. B. Gorskii*, Serghiev-Possad, 1897.

4. Permæ, 1884. Idem auctor composuit : a) *Epistolas de theologia orthodoxa pastorali*, 4 vol., Permæ, 1877; b) *Lectiones populares de theologia orthodoxa morali*, 2 vol., 2ª ed., Petropoli, 1901.

5. *Op cit.*, t. I, p. 179-180.

6. Prolixior commentarius auctorem habet I. Titov, *Prælectiones juxta catechismum christianum majorem Ecclesiæ orthodoxæ orientalis*, 2 vol., Mosquæ, 1904. Alium edidit A. Tsarevskii, *Prælectiones in legem divinam ad diligentius studium majoris catechismi Ecclesiæ orthodoxæ*, Jurevi, 1901.

volumen conscripsit Alexius Gorodkov : *Theologia dogmatica ex operibus Philareti, metropolitæ Mosquensis*, Kazanii, 1887. Præcipua autem opera Philareti, præter illa quæ jam notavimus [1], sunt sequentia : a) Tria volumina *sermonum* (1844-1845) [2]; b) *Sermones ad Veterem Ritualistam*; c) Quinque volumina *Responsionum* ad diversa quæsita de theologia dogmatica vel morali, de liturgia et jure canonico [3].

In Academiis ecclesiasticis, et in seminariis ab anno 1867 tradebatur cursus de theologia fundamentali. Præter *Introductionem ad theologiam orthodoxam* Macarii jam memoratam, notanda sunt sequentia compendia hujus disciplinæ :

1° *Introductio genetica ad theologiam orthodoxam* Th. Sidonskii († 1873), Petropoli, 1877. Opus redactum est ex notis alumnorum;

2° *Manuale theologiæ fundamentalis* episcopi Augustin, tertia editio, Mosquæ, 1894; quarta, ibid., 1904;

3° *Apologetica christiana : Cursus theologiæ fundamentalis*, auctore N. P. Rogdestvenskii, 2 vol., 2ª ed., Petropoli, 1893;

4° *Introductio in theologiam orthodoxam* Iv. Piatnitskii, Stavropoli, 1893;

5° *Tentamen expositionis apologeticæ doctrinæ fidei christianæ orthodoxæ* archipresbyteri P. Svietlov, 2 vol., Kioviæ, 1898-1899. Hujus insignis operis nova editio aucta, Kioviæ, annis 1910-1912 vulgata est sub titulo : *Doctrina fidei christianæ apologetice exposita.* Auctor, qui est unus e præcipuis theologis nostri ævi, multa alia edidit, ex quibus hæc graviora sunt : a) *Cursus theologiæ apologeticæ*, Kioviæ, 1900 et 1905; b) *Crux Christi. Momentum crucis in opere Christi : Tentamen explicationis dogmatis Redemptionis*, 2ª editio aucta, Kioviæ, 1907; c) *Ubinam est Ecclesia universalis ? De quæstione unionis Ecclesiarum necnon de doctrina circa Ecclesiam*,

1. Vide, p. 597 et 599.

2. Versionem gallicam horum sermonum ex secunda editione anni 1861 edidit A. Serpinet, Parisiis, 1866. Alia collectio sermonum Philareti quinque tomos habens, Mosquæ, annis 1873-1885 vulgata est.

3. Duplex habetur harum responsionum collectio : prima, parata a Savva, archiepiscopo Tverensi, constans tomis quinque, cum supplemento, Petropoli, 1885-1888; altera ab I. N. Korsunskii et V. C. Markov in tribus tomis vulgata, Mosquæ, 1903-1906.

Serghiev-Possad, 1905; d) *Idea regni Dei ejusque momentum in systemate doctrinæ christianæ : Dissertatio theologico-apologetica*, Serghiev-Possad, 1905; e) *Quid legendum de theologia ? Index systematicus litteraturæ apologeticæ russice, germanice, gallice, anglice conscriptæ*, Kioviæ, 1907.

Inter alia opera, quæ ad pleniorem notitiam theologiæ russicæ hodiernæ aliquid conferre possunt, mentionem merentur sequentia :

1° *Fides Ecclesiæ orthodoxæ orientalis græco-russicæ juxta ejus libros symbolicos*, Sergii Nikitskii, 2 vol., Mosquæ, 1889 et 1890;

2° Opus Alexii Petrovitch Maltzev germanice conscriptum, cui titulus : *Dogmatische Erörterungen zur Einführung in das Verständniss der orthod. cathol. Auffassung in ihren Verhältniss zur Römischen und Protestantischen*, Berolini, 1893. Ejusdem auctoris introductiones ad versionem germanicam diversorum librorum liturgicorum Ecclesiæ russicæ, Berolini inde ab anno 1894, editorum, præsertim vero introductio ad volumen inscriptum : *Die Sacramente der orthodox-catholischen Kirche des Morgenlandes*, Berolini, 1898, quædam habent ad theologiam dogmaticam spectantia;

3° A. Burgov, *Doctrina dogmatica orthodoxa de peccato originali*, Kioviæ, 1904;

4° Sergius, archiepiscopus Finniæ, *Doctrina orthodoxa de salute*, Petropoli, 1903;

5° J. Filevskii, *Doctrina Ecclesiæ orthodoxæ de sancta traditione*, Kharkovii, 1902;

6° Alexander Almazov, *Historia rituum baptismi et confirmationis*, Kazanii, 1885; ejusdem, *Confessio secreta in Ecclesia orthodoxa orientali*, 3 vol., Odessæ, 1894;

7° Benedictus Alentov, hieromonachus, *Ritus sacramenti Sancti Olei* (Extremæ Unctionis) : *Conspectus historico-liturgicus*, Serghiev-Possad, 1917 [1];

8° S. Zarin, *Ascetismus secundum doctrinam christianam orthodoxam*, 2 vol., Petropoli, 1907.

Præterea, perutilia sunt, maxime ad cognoscendam doctrinam de fontibus theologicis, de Ecclesia necnon de sacra-

1. Longam analysim hujus operis scripsit Rouêt de Journel, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. xxi (1918-1919), *Le rite de l'Extrême-Onction dans-l'Église gréco-russe*, p. 40-72.

mentis, compendia juris canonici, quorum notiora sunt : 1° I. Skvortsov († 1863), *Commentarii de legislatione ecclesiastica*, Kioviæ, 1848, 4ª ed., 1871; 2° Joannes Sokolov, episcopus urbis Smolensk († 1869), *Adumbratio cursus juris ecclesiastici*, 2 vol., Petropoli, 1851 et 1852; 3° I. Berdnikov, *Brevis cursus juris canonici Ecclesiæ orthodoxæ græcorussicæ, adjecta mentione principalium singularitatum juris canonici Catholicorum et Protestantium*, Kazanii, 1888; ejusdem, *Principia fundamentalia juris canonici Ecclesiæ orthodoxæ*, Kazanii, 1902; 4° Alexius Pavlov († 1898) *Cursus juris canonici*, Serghiev-Possad, 1902, opus theologo valde utile; 5° I. Suvorov, *Cursus juris canonici*, 2 vol., Iaroslaviæ, 1889-1890, opus maximi momenti sana eruditione conscriptum, cujus summam contraxit auctor in suo *Compendio ecclesiastici juris*, 1ª ed., Mosquæ, 1898, 4ª, ibid., 1912 [1].

Ut supra diximus, innumeras dissertationes de theologia patristica conscripserunt Russi nostri ævi, quas enumerare supersedemus. Silemus etiam de cursibus et compendiis theologiæ moralis et pastoralis [2], necnon de scriptis ad exegesim [3], liturgiam [4] et historiam ecclesiasticam [5] pertinentibus, ne brevis hic conspectus ultra debitas limites progrediatur.

## ARTICULUS II

### De Polemistis.

Theologia polemica, in hac ultima periodo, maxime floruit. In Academiis siquidem ecclesiasticis et, inde ab anno 1884, etiam in seminariis, duplex theologiæ polemicæ cursus tradebatur : unus contra Rascolnikos, speciatim contra

1. Amplam bibliographiam de scriptis ad jus canonicum spectantibus texuit A. Palmieri, *op. cit.*, t. I, p. 752-757, ad quam lectorem remittimus.

2. Quædam indicat A. Palmieri, *La Chiesa russa, le sue odierne condizioni e il suo riformismo dottrinale*, Florentiæ, 1908, p. 636-639.

3. Cf. Palmieri, *ibid.*, p. 647-651.

4. *Ibid.*, p. 665-669.

5. *Ibid.*, p. 652-661.

Veteres Ritualistas (*Staroobriadtsy*); alter contra Confessiones occidentales, id est, contra romanam Ecclesiam et contra tres præcipuas divisiones protestantismi, lutheranismum, calvinismum et anglicanismum. Primus cursus inscribebatur : *Confutatio russici schismatis nomine veteris ritualismi cogniti* [1]; alter communi appellatione *theologiæ comparativæ*, vel sæpius *theologiæ polemicæ*, *oblitchitelnoe bogoslovie*, designabatur. Pro utroque concinnata fuerant compendia classica secundum programma a Synodo Dirigente per singula delineatum.

*Confutationes russici schismatis* in duas partes generatim dividuntur. Prima pars est apologetica, et circa illas criminationes rituales versatur, quas *Staroobriatsy* contra Ecclesiam synodalem proferunt [2]. In hac parte, apologetæ niconiani insistunt in distinctione inter dogmata fidei et ritus accidentales cærimoniasque ab Ecclesia constitutas : Dogmata sunt immutabilia; ritus per decursum temporum variare possunt. Non parvi sane interest notare theologos russos contra Rascolnikos hæc ipsa argumenta urgere, quæ theologi catholici adversus polemistas antilatinos, Photii et Cærularii imitatores, jamdudum exserunt. Item, hoc admirationem excitare potest, quod iidem theologi russi validitatem baptismi per modum infusionis vel ab hæreticis collati contra eosdem Rascolnikos tueri nituntur iisdem probationibus, quibus Catholici contra Græcos rebaptizantes utuntur. Secunda pars vero est dogmatico-polemica, et in doctrinam quum *bezpopovtsorum* tum *popovtsorum* tela conjicit. *Ad bezpopovtsos* quod attinet, convelluntur potissimum eorum dogmata de adventu Antichristi, de cessatione et suppressione sacerdotii et sacramentorum, tempore Antichristi, de potestate audiendi confessiones et remittendi peccata laicis concessa, de possibilitate salutem consequendi sine receptione sacramentorum confirmationis, eucharistiæ, Extremæ Unctionis, vel benedictionis sacerdotalis in matrimonio contrahendo. Cæterum, animadvertendum est polemistas Ecclesiæ synodalis necessitatem confirmationis, communionis, vel benedictionis sacerdotalis pro matrimonio

1. *Oblitchenie russkago rascola izviestnago pod imenem staroobriadtchestva.*

2. Præcipuas criminationes hujusmodi supra recensuimus, p. 571.

plus æquo urgere, dum Rascolnikos omni ex parte exagitare volunt. Item, contra *popovtsos* contendunt episcopos et sacerdotes excommunicatos omni potestatis ordinis exercitio privari, ita ut ordinationes aliaque sacramenta, solo excepto baptismo, ab excommunicatis administrata, sint omnino invalida.

Inter polemistas qui recentiori tempore contra Rascolnikos decertarunt, eminuerunt :

1° Gregorius Postnikov († 1860), primum rector Academiæ Petropolensis, et ab anno 1856 metropolita Petropolis, qui contra Rascolnikos composuit opus inscriptum : *Vera antiqua Christi Ecclesia* [1], in duas partes divisum. In prima, auctor de vera Christi Ecclesia disserit; quam esse « Orthodoxam » Ecclesiam probare conatur; in secunda vero, accusationes Rascolnikorum contra « Orthodoxiam » dissolvit;

2° N. I. Ivanovskii, Academiæ Kazanensis professor, qui optimum compendium tripartitum contra omnes sectas conscripsit, hunc præferens titulum : *Manuale de historia et refutatione schismatis veterum ritualistarum, addita notitia de sectis rationalisticis et mysticis*, 2 vol., Kazanii, 1905 [2]. Idem auctor est aliorum scriptorum antirascolnikorum, quorum præcipuum inscribitur : *Criticum examen doctrinæ bezpopovtsorum de Ecclesia et sacramentis*, Kazanii, 1892;

3° K. Plotnikov, *Compendium confutationis russici schismatis nomine vetero-ritualismi noti*, Petropoli, 1897 et 1904. Idem edidit *Historiam russici schismatis nuncupati « Vetero-Ritualismus »*, Petropoli, 1905;

4° Paulus, archimandrita, polemista fecundissimus, cujus sermones et alia scripta antirascolnika quatuor ampla volumina replent, Mosquæ, annis 1897-1899 edita. In his, auctor texuit munitissimam apologiam Ecclesiæ græco-russicæ contra Rascolnikos, eorumque objectationes disertissime refellit;

5° E. Antonov, qui Starovieros hierarchiæ Bielokrinitzæ addictos potissimum impugnavit : *Responsa ad centum quinque quæstiones a vetero-ritualistis unionis austriacæ propositas*, Mosquæ, 1892; *Examen libri a popovtsis austriacæ*

1. Ultima editio, Mosquæ, 1898.
2. Prima editio, Kazanii, 1887.

*unionis editi sub titulo* : « *Discussio responsorum ad centum quinque quæstiones* », 2 fasc., Mosquæ, 1899-1901;

6° A. I. Ozerskii argumenta contra Rascolnikos et pro Ecclesia orthodoxa hausit ex ipsis libris a Rascolnikis laudatis, in opere inscripto : *Excerpta ex libris antiquis sive manuscriptis sive prelo mandatis, quibus evincitur sanctitas Ecclesiæ synodalis et apostolicæ necnon necessitas ejus mandatis obsequendi ad salutem consequendam*, Mosquæ. Hujus operis duæ sunt partes; in prima, dantur excerpta ad quæstiones dogmaticas spectantia; in secunda, ea quæ ad quæstiones rituales referuntur.

Præter hæc opera generalia, multæ sunt dissertationes speciales de quibusdam quæstionibus controversis. Sequentes notare satis sit :

1° I. Nilskii, *De Antichristo contra Rascolnikos, cum expositione ad captum omnium accommodata*, Petropoli, 1899;

2° Nicanor, archiepiscopus Chersonesæ, *Sermo de modo digitos componendi ad signum crucis efformandum et ad dandam benedictionem*, Petropoli, 1890.

3° Gesen, *Historia versionis slavicæ symboli fidei.*

4° I. Arseniev. *De eodem cultu tum quatribrachiali tum octobrachiali cruci debito*, Mosquæ, 1889.

Citanda sunt demum erudita opera N. I. Subbotin et A. C. Prugavin. Primus edidit novem volumina *Documentorum de historia rascoli in prima periodo ejus existentiæ* (ultimum volumen, Mosquæ, 1895); folium speciale periodicum ad explorationem russici schismatis, inscriptum : *Verbum fraternum* (*Bratskoe Slovo*), anno 1875, et iterum ab anno 1883 ad annum 1899, publicavit; *Historiam hierarchiæ Bielokrinitzæ* conscripsit, Mosquæ, 1895-1899, multaque alia opuscula de Rascolnikis concinnavit. Prugavin vero magnum opus incepit cui titulus : *Rascol-Sectanstvo : Documenta ad explorationem evolutionis religioso-moralis russicæ gentis*, t. I, bibliographicus de vetere ritualismo, Mosquæ, 1887.

De diversis sectis ad russicum schisma non pertinentibus conscriptæ sunt speciales monographiæ, quas enumerare supersedemus. Inde ab anno 1896, Kioviæ primum, deinde Petropoli edebatur contra sectarios universim periodicum inscriptum *Missionerskoe Obozrênie* (*Diarium Missionum*).

Inter compendia theologiæ polemicæ adversus Confessiones occidentales ad usum seminariorum redacta, hæc vulgatiora erant :

1° I. Perov, *Manuale theologiæ polemicæ juxta programma seminariorum*, 6ª ed., Tulæ, 1905;

2° I. Truskovskii, *Manuale theologiæ polemicæ*, 2ª ed., Moghilev, 1889;

3° E. Uspenskii, *Theologia polemica*, 2ª ed., Petropoli, 1894;

4° L. Epiphanovitch, *Prælectiones theologiæ polemicæ*, 4ª ed., Novotcherkassk, 1897.

Cursum productiorem theologiæ polemicæ quatuor volumina habentem conscripsit Innocentius Novogorodov († 1868), Academiæ Kazanensis rector, *Bogoslovie oblitchitelnoe*, Kazanii, 1859. Maxima pars hujus operis in Catholicos dirigitur : « Fucum facit auctor commenticia eruditione, qua nititur lippis ostendere traditiones Patrum in cunctis, vel in minimis, doctrinis atque institutis catholicæ Ecclesiæ refragari [1]. »

Multos alios polemistas anticatholicos Russia coæva novit, ex quibus clariores fuere :

1° Anatolius Martynovskii († 1872), archiepiscopus Moghilensis, qui sub ementito nomine Abdiae Vostokov serpentinum opus contra Ecclesiam romanam conscripsit, cui titulus : *De relationibus romanæ Ecclesiæ ad cæteras Ecclesias christianas et ad totum genus humanum*, 2 vol., Petropoli 1857; 1864 [2].

2° Ivantzov Platonov († 1894), archipresbyter, auctor operis inscripti : *De romano catholicismo ejusque relationibus ad Ecclesiam orthodoxam*, Mosquæ, 1869, et alterius, cui titulus : *De occidentalibus Confessionibus*, 4ª ed., Mosquæ, 1906;

3° Nicolaus Iakoblevitch Bielaev (1843-1894), professor Academiæ Kazanensis, qui sequentes dissertationes edidit : a) *Principium pelagianum in catholicismo romano*, Kazanii, 1871; b) *Indoles catholicismi romani, prout nobis eam exhibet*

1. Palmieri, *Theologia orthodoxa*, t. I, p. 775.

2. Datur versio italica hujus operis : *La Chiesa romana nei suoi rapporti con le altre Chiese christiane e con tutto il genere umano*, Romæ, 1874.

*dogma papale*, Kazanii, 1878; c) *Principium fundamentale catholicismi romani*, Kazanii, 1895 [1];

4° Vladimirus Guettée (1816-1892), natione Gallus, primum parochus catholicus Blesis in Gallia, postea (anno scilicet 1862), ad Orthodoxiam russicam transivit, postquam ejus opus : *Histoire de l'Eglise de France* (1847-1857) inter libros prohibitos a S. C. Indicis relatum est. Plura contra Ecclesiam catholicam polemice scripsit tum in folio periodico *L'Union chrétienne* (1858-1867), tum in dissertationibus separatim editis, ex quibus hæ notandæ sunt : a) *La papauté schismatique* ou : *Rome dans ses rapports avec l'Église orientale*, Parisiis, 1863 [2]; b) *La papauté hérétique : Exposé des hérésies, erreurs et innovations de l'Église romaine, depuis sa séparation de l'Église catholique, au IXe siècle*, Parisiis, 1874 [3]; c) *Exposition de la doctrine de l'Église catholique orthodoxe accompagnée des différences qui se rencontrent dans les autres Églises chrétiennes*, Parisiis, 1868; 2a ed., 1884 [4]. Hoc opusculum est nullius fere momenti, neque veram refert theologorum russorum doctrinam circa plura capita in quibus hi theologi doctrinæ catholicæ adversantur;

5° Josephus Vassilievitch Vassiliev (1821-1881), archipresbyter, legationis russicæ Parisiorum capellanus, folii periodici *L'Union chrétienne* (1858-1867) fundator ac director, in eo non pauca polemice conscripsit, et opus edidit, inscriptum : *Examen doctrinæ Ecclesiæ romanæ de primatu papæ;*

6° Andreas Nicolaievitch Muraviev (1806-1874) plura opuscula theologica tum irenica tum polemica vulgavit, ex quibus hæc notanda : a) *Epistolæ de servitio divino orientalis catholicæ Ecclesiæ*, anno 1836 primum editæ, et in omnes fere linguas Europæ translatæ; ultima editio, Petropoli, 1902; b) *Expositio symboli fidei Ecclesiæ orthodoxæ*, Petropoli, 1838; c) *Veritas Ecclesiæ universalis circa romanam aliasque*

1. Summam hujus operis germanice dedit Kireev in *Revue internationale de théologie*, 1893, p. 610-639 : *Grundsatz des römischen Katholizismus*. Exstat versio græca : Ἡ θεμελιώδης ἀρχὴ τοῦ ῥωμαϊκοῦ καθολικισμοῦ, Petropoli, 1902.

2. Opus russice versum ab Istomin, Kharkovii, 1895.

3. Russice versum ab Istomin, Kharkovii, 1895.

4. Russice versum anno 1869, Petropoli et Kazanii.

*sedes patriarchales*, Petropoli, 1841, 1849, 1903; d) *Verbum Orthodoxiæ catholicæ ad catholicismum romanum*, Mosquæ, 1853, opus gallice versum : *Parole de l'orthodoxie catholique au catholicisme romain*, Parisiis, 1893 [1]; e) Tria opuscula *De quæstione religiosa Orientis et Occidentis*, Mosquæ, 1856; Petropoli, 1858 et 1859 [2];

7° Nicanor Brovkovitch († 1890) archiepiscopus Chersonesæ, auctor operis, cui titulus : *Examen romanæ doctrinæ de visibili principatu papæ in Ecclesia, juxta principiæ sacræ Scripturæ et traditionem primorum sæculorum christianismi* Kazanii, 1871;

8° Alexander Lebedev († 1898), archipresbyter, tria volumina scripsit de *Differentiis inter orthodoxos et papistas* (sic); primum, *De conceptione immaculata B. Mariæ virginis* [3]; secundum, *De cultu latino Cordis Jesu*; tertium, *De principatu papæ*, Petropoli 1886 et 1903. In hoc ultimo opere, subjectivismo slavophilico auctor omnino indulget, miraque comminiscitur de mediatione papæ inter Catholicos et Deum;

9° Verkhovskii, auctor dissertationis inscriptæ : *Vox Orthodoxi contra papismum in Occidente et in Oriente*, Tchernovitz, 1886;

10° Overbeck († 1905), natione Germanus, Orthodoxiæ russicæ adhæsit. Ejus præcipua opera sunt sequentia : a) *Die orthodoxe katholishe Anschaung im Gegensatz zum Papsthum und Jesuitismus, sowie zum Protestantismus nebst einem Rückblick auf die papstliche Encyklika und Syllabus*, Halæ ad Salam, 1865. Hujus operis versio russica Vilnæ, anno 1867, vulgata est cum hocce titulo : *Ex Oriente lux. Respectus ad catholicam orthodoxiam cum papatu et protestantismo comparatam;* b) *Ecclesia catholica orthodoxa. Reclamatio adversus*

1. Confutatio hujus opusculi edita est in *Civiltà cattolica*, 1854; quæ gallice reddita est : *Réfutation d'un écrit intitulé : Parole de l'orthodoxie catholique au catholicisme romain*, Parisiis, 1854.

2. Muraviev auctor est insuper brevis *Historiæ Ecclesiæ russicæ*, Petropoli, 1838, quæ anglice, germanice et græce translata est. Perutile est etiam ejus opus : *Relationes Russiæ cum Oriente in negotiis ecclesiasticis*, 2 vol., Petropoli, 1858-1860.

3. Prima editio, Varsaviæ, 1881. Analysim hujus operis scripsimus in *Échos d'Orient*, 1920, p. 22-35.

*Ecclesiam papalem et invitatio ad Ecclesias catholicas nationales constituendas*, Petropoli; 1869; c) *Haud dubia excellentia Ecclesiæ orthodoxæ super omnes alias Ecclesias*, Petropoli, 1882 (opus russice versum in *Lectione christiana*).

11° Suchkov contra primatum Romani Pontificis composuit opus inscriptum : *Contra falsam doctrinam de primatu universali romanæ Ecclesiæ, ex testimonio S. Scripturæ et documentorum duorum primorum sæculorum christianismi*, Petropoli, 1891 [1].

Adversus Protestantes, præsertim adversus Lutheranos, theologi russi multos articulos in diversis foliis periodicis publicarunt, quædamque opera conscripserunt, ex quibus hæc indicare sufficiat :

1° Chrysanthus Retivtsets († 1883), Nigigrodii episcopus, *Indoles protestantismi ejusque progressus historicus*, Petropoli, 1871 [2];

2° Tsvietaev, *Certamen litterarium cum protestantismo in regno moscovitico*, Mosquæ, 1887;

3° Korzavin, *Doctrina de justificatione juxta libros symbolicos lutheranos comparata cum doctrina orthodoxa*, Tamboviæ, 1887;

4° A. P. Golubtsov, professor Academiæ Mosquensis : *De Protestantismo cum Orthodoxia comparato*, Rigæ, 1889;

5° Terentiev, *Doctrina systematica fidei lutheranæ juxta libros symbolicos lutheranos*, Kazanii, 1910 [3].

Cum Anglicanis amicius egerunt theologi russi, præsertim ab anno 1863, quæstionemque de unione inter « Orthodoxiam » et Anglicanismum pluries moverunt, ad nostra usque tempora. Quidam theologi differentias dogmaticas inter utramque Confessionem componere tentarunt. Obstabat tamen maxime quæstio de validitate ordinationum anglicanarum necnon negatio transsubstantiationis eucharisticæ ex parte Anglicanorum. Circa processionem vero Spiritus Sancti, concordia facilior videbatur, quibusdam theologis

1. Alias indicationes bibliographicas invenies apud A. Palmieri, *op. cit.*, t. I, p. 776-777 ; t. II, p. 147-150, 176-177, 180-182.

2. Idem conscripsit opus inscriptum : *Religio mundi antiqui in ejus relationibus ad christianismum*, 3 vol., Petropoli, 1873.

3. Cf. Palmieri, *op. cit.*, t. II, p. 185-187.

russis hanc quæstionem inter theologumena referentibus[1].

Contra Ecclesiam catholicam et protestantismum simul invectus est theologus Slavophilorum, Alexius Stepanovitch KHOMIAKOV, qui, quamvis celeberrimus exstiterit, multosque suæ doctrinæ studiosos habuerit, theologi nomen vix meretur. Est enim ejus theologia magis imaginationis et sensibilitatis fœtus, quam rationis principiis Revelationis illuminatæ fructus. Constat autem diversis opusculis sub forma epistolarum plerumque scriptis, et in tomo II collectionis ejus operum sub hoc titulo editis : *Quædam verba christiani orthodoxi circa Confessiones occidentales*[2]. Fere tota versatur circa Ecclesiæ notionem, naturam et munera. Juxta Khomiakovum, Ecclesia universalis complectitur diversas Ecclesias christianas ab invicem separatas; subjectum vero infallibilitatis est ipse populus christianus. Censura russica diu prohibuit quominus opera theologica hujus Slavophili typis mandarentur. Anno vero 1879, Synodus licentiam edendi hujusmodi scripta dedit, ea conditione, ut in procœmio de parum accurato sentiendi et dicendi modo auctoris lector moneretur.

Haud parvam inter theologos russos recentiores excitavit contentionem quæstio *vetero-catholica* dicta, quæ jam in collationibus Bonnensibus, annis 1874-1875, agitari cœpit, et inde ab anno 1893, Commissione speciali apud Synodum

1. De hujusmodi tentaminibus unionis vide indicationes bibliographicas apud Palmieri, *ibid.*, t. II, p. 187-188.

2. His opusculis præmittitur libellus anno 1840 exaratus, cui titulus : *Tentamen expositionis catecheticæ doctrinæ de Ecclesia.* Collectio completa operum Khomiakovii, octo tomos complectens, Petropoli, anno 1900 vulgata est. Pleræque ejus epistolæ de Confessionibus occidentalibus, Parisiis, anno 1853, Lipsiæ, 1855 et 1858, et præsertim Lausannæ, 1872, gallice editæ fuerant. Titulus editionis Lausannæ vulgatæ hic est : *L'Église latine et le protestantisme au point de vue de l'Église d'Orient.* De Khomiakovo qua theologo multa scripserunt Russi; de quibus vide B. Zavitnevitch, *Alexius Stepanovitch Khomiakov*, 2 vol., Kioviæ, 1902; secundum volumen integrum est de Khomiakovo ut theologo; in priore vero, texitur elenchus scriptorum qui de eo egerunt. Indicationes bibliographicas necnon breve compendium doctrinæ viri invenies apud A. Palmieri, *op. cit.*, t. I, p. 281, 799-801; t. II, p. 143-147, 160-161. Cf. Morel, *La théologie de Khomiakoff*, in *Revue catholique des Églises*, 1904, t. I, p. 58-65; Gracieux, *L'élément moral dans la théologie de Khomiakoff*, in *Bessarione*, series III, vol. VII, p. 358-366.

russicam de hac constituta, publice tractata est. Hac occasione, theologi russi in duas factiones adversas divisi sunt. Quidam enim, ad liberalismum theologicum propensi, unionem cum Veteribus Catholicis omni modo propugnarunt; cui ut faciliorem viam aperirent, Orthodoxiam orientalem coarctarunt atque redegerunt ad solas definitiones septem priorum conciliorum œcumenicorum; alias vero discrepantias dogmaticas inter Confessiones christianas vigentes (una tamen excepta, illa scilicet quæ est de primatu et infallibilitate Romani Pontificis), inter theologumena libera recensuerunt. Inter theologos hujus indolis claruerunt Joannes Leontievitch Yanychev (1826-1900) [1], Basilius Vassilievitch Bolotov (1854-1900), dux Kireev († 1910) [2], archypresbyter Svietlov [3]. Animos potissimum commoverunt *Theses de Filioque* a Bolotov, anno 1898, editæ, in quibus auctor diserte docebat processionem Spiritus Sancti ab utroque esse *theologumenon* seu meram opinionem theologicam neque damnandam, neque omnibus christianis imponendam [4]. Huic theoriæ de theologumenis acriter reclamaverunt theologi rigidiores, veteris theologiæ polemicæ byzantinæ magis amici quam logicæ, inter quos nominandi sunt Alexander Feodorovitch Gussev (1842-1904) [5], Academiæ Kazanensis profes-

1. Yanychev collationibus Bonnensibus interfuit, et quædam de quæstione vetero-catholica scripsit, Petropoli, 1894. Ad processionem Spiritus Sancti quod attinet, theoriam sententiæ Georgii Cyprii affinem propugnavit. Cf. Sokolov, *J. L. Yanychev ejusque agendi ratio in quæstione vetero-catholica*, in *Lectione christiana*, 1911, t. I, p. 242-245.

2. Quæ scripsit Kireev de quæstione vetero-catholica in unum collegit D. Iakchitch in tomo I operum auctoris, Petropoli, 1912, p. 62-378.

3. Svietlov eamdem quæstionem potissimum examinavit in opere supra indicato : *Ubinam est Ecclesia universalis ?* Serghiev-Possad, 1905. Vide ejus articulos de hac questione in *Bogoslovskii Viestnik*, ann. 1903-1905 editos.

4. Hujusmodi theses germanice, sine nomine auctoris, editæ sunt in *Revue Internationale de théologie*, 1898, t. VI, p. 684-712; *Thesen über das Filioque von einem russischen Theologen.* Cf. Brilliantov, *Scripta professoris Bolotov circa quæstionem illius Filioque, et controversiæ in russica litteratura circa ipsius theses de Filioque*, in *Lectione christiana*, 1913, t. I, p. 431-457; 573-596.

5. Gussev tres dissertationes de vetero-catholicismo conscripsit : a) *Responsum vetero-catholico professori Michaud circa quæstionem de Filioque et transsubstantiatione*, Kkarkoviæ, 1899; b) *Responsio vetero-catholica ad nostras theses de Filioque et transsubstantiatione.*

sor; Vladimirus Kerenskii, ejusdem Academiæ professor [1]; Sergius, Yamburgensis episcopus [2]; archipresbyter Eugenius Smirnov [3]. In hujusmodi controversiis et disputationibus, dogma photianum de processione Spiritus Sancti *a Patre solo* lethale vulnus in Russia accepit. Ex hoc enim cum theologis occidentalibus commercio, quibusdam Russis perspicue illuxit multos Ecclesiæ Patres doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti a Patre Filioque vel a Patre per Filium diserte docuisse. In hisce præterea certaminibus, verus status seu positio dogmatica Orthodoxiæ orientalis mirum in modum elucidata est, ita ut, secundum strictas logicæ regulas, non sane rigidiorum, sed liberalium theologorum factio sine controversia palmam tulerit [4].

## ARTICULUS III

### De commentariis theologicis.

Ante recentem rerum perturbationem, erant in Russia quatuor Universitates theologicæ, quæ nomine Academiarum ecclesiasticarum designabantur, Academia scilicet Kiovien-

*Dissertatio polemico-apologetica*, Kazanii, 1903; c) *Nostrum ultimum verbum de vetero-catholicismo necnon de ejus apologetis russis*, Kazanii, 1904.

1. Kerenskii non minus quam undecim libros vel opuscula de vetero-catholicismo edidit, ab anno 1894 ad annum 1910. Præcipua sunt : a) *Vetero-catholicismus; ejus historia et intestina evolutio præsertim quantum ad fidei expositionem*, Kazanii, 1894; b) *Quæstio vetero-catholica, recentiori tempore*, Kazanii, 1897; c) *De quæstione vetero-catholica. Responsum ad A. Kireev*, Petropoli, 1904; c) *Quidnam separavit et adhuc separat Ecclesias orthodoxam-orientalem et vetero-catholicam* Kharkoviæ, 1910.

2. Cf. ejus dissertationem : *Quidnam nos separat a Veteribus Catholicis*, in *Tserkovnyi Viestnik*, 1903, n. 43-45. Cf. *Revue internationale de théologie*, 1904, p. 159-189.

3. Smirnov dissertationem de vetero-catholicismo edidit in periodico *Viera i Razum*, 1893, t. II, p. 388-440, 470-522; 523-559; 597-646; 669-679 : *Orthodoxusne est vetero-catholicismus ?*

4. De tota hac controversia vide art. *Filioque* in *Dict. de théologie catholique*, t. V, col. 2332-2336, auctore A. Palmieri, et A. Malvy. *Bulletin de théologie russe*, in periodico *Études*, 20 déc. 1904, p. 856-879.

sis, anno 1701 hac appellatione insignita, Academia Mosquensis (an. 1685), Academia Petropolitana (an. 1809) et Academia Kazanensis (an. 1842). Unaquæque autem proprium habebat folium periodicum, in quo articuli et dissertationes de diversis disciplinis theologicis vulgabantur. Præter hæc quatuor periodica, edebantur et aliæ ephemerides ecclesiasticæ de materiis theologicis identidem tractantes. Horum commentariorum plerique inde ab anno 1860 lucem aspexerunt; recentiores vero annis 1905-1907 exorti erant; quo tempore major libertas opinandi et scribendi indulgebatur. Hujusmodi periodicorum præcipua hic notamus, per urbes ubi edebantur illa ordinantes.

Petropoli publicabantur : 1° *Lectio christiana, Khristianskoe Tchtenie*, anno 1821 a Gregorio Postnikov fundata, primum trimestris, postea mensilis, ab Academia Petropolitana edita; quæ usque ad annum 1917 sine intermissione vitam protraxit. Est omnium commentariorum theologicorum Russiæ antiquior, ditior, publicæ Orthodoxiæ studiosior; 2° *Collocutio ecclesiastica, Dukhovnaia Becieda*, ab eodem Gregorio Postnikov anno 1858 fundata, quæ perduravit usque ad annum 1876, et ab anno 1861 edidit supplementum inscriptum *Chronicon ecclesiasticum, Tserkovnaia Lietopis*, quo usa est Synodus ad vulganda sua documenta publica; 3° Anno 1875, lucem aspexit *Ecclesiasticus Nuntius, Tserkovnyi Viestnik*, Academiæ Petropolitanæ organum alterum, singulis hebdomadibus editus, qui ab anno 1876 usque ad annum 1887 inclusive, acta publica Synodi Dirigentis promulgavit, postea vera solius Academiæ vox fuit, inter clericos *albi coloris* [1] vulgatissimus et episcopis adversus; 4° Inde ab anno 1888, Synodus proprium habuit folium hebdomadale, cui titulus *Nuntia ecclesiastica, Tserkovnyia Viedomosti*, in duas partes divisum, primam continentem acta publica, secundam diversis nuntiis, articulis de disciplinis ecclesiasticis, librorum recensionibus constantem; 5° *Viator* seu *Peregrinus, Strannik*, ab anno 1860 editus, mensilis theologico-litterariæ indolis, picturis et photographiis ornatus. Recentiori tempore, Alexandro Lopukhin († 1904) duce, *Strannik* tanquam supplementum publicare incepit primos fasciculos

1. *Clerus albus* est clerus inferior, plerumque conjugatus.

alicujus *Encyclopædiæ theologicæ orthodoxæ*, cujus tredecim volumina, ab anno 1900 usque ad annum 1914, lucem aspexerunt. Post mortem Lopukhin, clarissimus professor N. Glubokovskii huic encyclopædiæ edendæ præerat. Operi ad finem perducendo obstiterunt lugendi eventus russicæ perturbationis; 6° *Recensio missionaria, Missionerskoe Obozrênie*, anno 1896, Kioviæ fundata, postea Petropoli edita; 7° *Vox ecclesiastica, Tserkovnyi Golos*, anno 1906 primum edita, hebdomadalis, clero albo ejusque studiis devota.

Post Petropolim, Mosqua exstabat præcipuum centrum scientiæ theologicæ. Ibi edebantur: 1° *Supplementa ad operum sanctorum Patrum russice versorum, Pribavleniia ktvoreniiam sv. ottsev v russkom perevodie*, ab anno 1843 usque ad annum 1891 inclusive, ab Academia Mosquensi publicata: collectio magni momenti; 2° *Theologicus nuntius, Bogoslovskii Viestnik*, anno 1892 *Supplementis ad opera SS. Patrum* suffectus, mensilis, progressui favens et rerum novationi, ideoque rigidioribus Orthodoxis invisus; 3° *Orthodoxa ephemeris, Pravoslavnoe Obozrênie*, ab anno 1860 usque ad annum 1891 edita, philosophico-theologicæ indolis; 4° *Lectio ædificans, Duchepoleznoe Tchtenie*, anno 1860 fundata, articulos asceticos, morales vel ad historiam Ecclesiæ russicæ spectantes edens; 5° *Fides et Ecclesia, Viera i Tserkov*, anno 1899 lucem aspexit, decemque fasciculos quotannis edebat, de rebus theologicis et philosophicis potissimum tractantes; 6° *Christianus, Khristianin*, anno 1907 ab episcopo Evdokim, rectore Academiæ Mosquensis, fundatus, de quæstionibus religiosis nostri ævi, de historia coæva Ecclesiarum orthodoxarum et Occidentis christiani agebat, notitiasque de theologia russica hodierna tradebat.

Academia Kioviensis, inde ab anno 1860, suos *Labores, Trudy*, vulgare incepit, in quibus occurrunt doctæ dissertationes et monographiæ de historia ecclesiastica Russiæ meridionalis et occidentalis et varii articuli ad theologiam spectantes. Kioviæ etiam edebatur epheremis pastoralis inscripta : *Manusductio pro pastoribus ruris, Rukovodstvo dlia selskikh pastyrei*, quæ anno 1907 hebdomadalis facta est. Edebat articulos de theologia pastorali, de liturgia, sermones, recensiones operum theologicorum, etc.

Academia Kazanensis anno 1855 typis mandavit primum

fasciculum *Collocutoris orthodoxi*, *Pravoslavnyi Sobeciednik*, qui primum trimestris fuit, et ab anno 1858 mensilis. Ditissimus est dissertationibus circa schisma russicum, multaque habet de rebus islamicis. Anno 1906, periodicum hebdomadale cui titulus : *Vita ecclesiastico-socialis*, *Tserkovno-obchtchestvennaia Gizn*, a professoribus ejusdem Academiæ Kazanensis, L. Pisarev, M. Machanov, K. Grigorev et A. Smirnov vulgabatur, reformationique Ecclesiæ russicæ suffragabatur.

Anno 1884, Kharkoviæ archiepiscopus, Ambrosius Kliutcharev, commentarium philosophico-theologicum fundavit inscriptum : *Fides et ratio*, *Viera i Razum*, cujus fama scientifica haud parva exstitit. Bimenstruus erat, in duas sectiones divisus, unam theologicam, philosophicam alteram, continens etiam acta publica diœcesis Kharkoviensis. Ejus collectio maximi momenti est pro historia theologiæ et philosophiæ russicæ coætaneæ.

Præter hos commentarios, non deerant alia folia ecclesiastica minoris momenti ad divulgationem rerum religiosarum. Unaquæque diœcesis imperii suam habebat ephemeridem hebdomadalem, *Eparchialnyia Viedomosti*, sicut mos est in Occidente catholico. Multa documenta ad historiam theologiæ byzantinæ et russicæ spectantia Universitates laicæ imperii diversæque Societates scientificæ, præsertim archæologicæ, in propriis Actis seu Commentariis, per decursum sæculi XIX et ad nostra usque tempora, publicaverunt. Horum Actorum pleraque, una cum commentariis theologicis Academiarum ecclesiasticarum, bibliotheca vaticana romana possidet.

## SUPPLEMENTUM AD SECTIONEM TERTIAM

### De theologia dogmatica apud Bulgaros, Serbos et Rumenos dissidentes.

Scientia theologica hactenus parum floruit apud dissidentes Bulgaros, Serbos et Rumenos, qui decursu sæculi XIX Turcarum jugum detrectarunt. Hi omnes pleraque compendia classica cæteraque opera ad disciplinas theologicas spectantia tum a Græcis tum præsertim a Russis mutuati sunt. Recentiori tamen tempore, quædam propria de hujusmodi materiis proferre jam inceperunt, ex quibus præcipua memorare non abs re erit.

#### I. — Theologia Bulgarorum.

Omnium Slavorum primi, litteraturam theologicam Bulgari habuerunt; quæ in versionibus operum Patrum græcorum fere tota constitit. Apud eos enim deversi sunt discipuli sancti Methodii, linguæ vetero-slavicæ primi cultores, quorum celeberrimus exstitit Clemens, Velitsæ episcopus. Hic non solum operibus Patrum slavice vertendis incubuit; verum etiam multos sermones sanctorumque encomia ipse composuit, ex quibus multa adhuc inedita sunt [1]. Litteraturæ vetero-slavicæ ætas aurea fuit tempus Symeonis (892-927), primi Bulgarorum tsari, opus vero clarissimum, encyclopædia quædam vulgo inscripta *Sbornik* seu *Collectanea Symeonis* [2],

1. Cf. N. I. Tunitskii, *S. Clemens Slovenensis episcopus. Ejus vita et activitas culturalis* (russice), Serghiev-Possad, 1913. Tunitskii editionem completam operum Clementis, ex quibus non pauca in bibliothecis russicis ipse detegerat, paraverat. Huic incepto perficiendo obstiterunt, ut videtur, bellum et alii recentes, eventus.

2. Hæc collectanea vocantur etiam *Sbornik Sviatoslavi*, quia anno 1073 exemplum hujus collectionis transcriptum est pro principe Russiæ hujus nominis.

verum eruditionis byzantinæ hujus ævi compendium, ubi in unum conglomerantur et commiscentur theologia, philosophia, rhetorica, historia. Ferunt ipsum Symeonem centum triginta quinque homilias patristicas propria manu transtulisse. Inter alios translatores enituerunt : 1° Constantinus, qui unus e discipulis sancti Methodii habetur, auctor interpretationis sermonum sancti Athanasii contra arianos et multarum homiliarum sancti Joannis Chrysostomi; 2° Joannes, Bulgariæ exarcha, qui, ut supra diximus [1], *Expositionem fidei orthodoxæ* sancti Joannis Damasceni ex parte vertit, una cum quibusdam aliis scriptis Patrum, *Cælique* nomine totum designavit. Præterea, plures sermones composuit, ex quibus qui circa interpretationem primorum capitum Genesis versantur, appellatione *Chestodenev (Hexameron)* inscribuntur, et ex operibus Patrum de eadem materia concinnati sunt.

Sæculis x-xii, Bulgaria suos habuit polemistas, qui contra paulicianos et bogomilos dogmatibus manichæorum imbutos Orthodoxiam calamo defenderunt. Nominantur : 1° Cosmas presbyter (circa finem sæculi x), qui reliquit tredecim sermones seu *Colloquia Joannis presbyteri indigni contra novam hæresim bogomilorum* [2]; 2° Athanasius, monachus hierosolymitanus, qui quatuor opuscula conscripsit contra Bogomilos et diversos alios errores vel superstitiones [3]; 3° Hilario, Moglenæ episcopus († 1164), cujus *Disputationes cum hæreticis* referuntur in ejus *Vita* ab Euthymio, patriarcha Tirnoviensi, sæculo xiv conscripta. Cæterum hujusmodi *Disputationes* e fontibus græcis emanant [4].

Sub Turcarum dominatu, usque ad sæculam xix, Bulgari fere nihil, ad theologiam quod spectat, conscripserunt.

1. Cf. p. 548.

2. Hæc colloquia edita sunt, anno 1864, in *Pravoslavnyi Sobeciednik* Academiæ Kazanensis.

3. Edita a Russo Pypin in suo opere : *Libri apocryphi antiquæ litteraturæ russicæ*, Petropoli, 1862, in collectaneis : *Monumenta antiquæ litteraturæ russicæ.*

4. De antiqua litteratura theologica Bulgarorum : vide : 1° Kalaidovitch, *Joannes, exarcha Bulgarus: disquisitio illustrans historiam linguæ et litteraturæ slavicæ sæc.* ix-x, Mosquæ, 1824; 2° Palauzov, *Sæculum tsari bulgari Symeonis*, Petropoli, 1852; 3° Pypin et Spassovitch, *Histoire des littératures slaves*, ex russico versum ab E. Denis, Parisiis, 1881.

Sæculo autem XIX, nempe postquam independentiam tum religiosam tum politicam adepti sunt, bibliothecam theologicam pro necessitate suæ Ecclesiæ sibi comparare inceperunt eodem fere pacto quo sæc. IX-X fecerant, opera videlicet aliena bulgarice reddendo. Porro ex fontibus russicis potissimum hauserunt. Præcipua compendia doctrinæ christianæ ab ipsis ex russico translata hæc sunt :

1° *Catechismus major* seu *productus* Philareti Drozdov [1];

2° *Theologia dogmatica* Antonii Amphiteatrov [2];

3° *Enchiridion theologiæ dogmaticæ* Macarii [3];

4° *Doctrina christiana seu abbreviata christiana theologia* Platonis, metropolitæ Mosquensis[4] ;

5° *Theologia dogmatica orthodoxa* Sylvestri Malevanskii, episcopi [5];

6° *Manuale theologiæ fundamentalis* Augustini, episcopi [6];

7° *Doctrina fundamentalis* Demetrii Socolov [7];

8° *Epistolæ de servitio divino orientalis catholicæ Ecclesiæ* A. N. Muravievi, 1909.

Bulgarice etiam versum est ex gallico opus Vladimiri Guettée : *Exposition de la doctrine de l'Église catholique orthodoxe accompagnée des différences qui se rencontrent dans les autres Églises chrétiennes* [8].

Compendia theologiæ moralis vel pastoralis ex russico recensere supersedemus [9]. I. Stephanov ex versione russica bulgarice reddidit *Jus ecclesiasticum orthodoxum* Nicodemi

1. Christo Danof, *Prostranen pravoslaven Katikhizis*, Beligradii, 1858, Vindobonæ, 1863; Philippopoli, 1879; Govanof, *Prostranii khristianski Katikhizis pravos-katol-vostotchna tserkva*, Beligradii, 1852.

2. Meletius Zographsky, *Dogmatitchesco Bogoslovie na provoslavnata katolitcheska vostotchna Tserkva*, Kichenevii, 1869.

3. *Osnovnite istini na verata*, 1901.

4. *Pravoslavno Utchenie ili secrateno khristiansco bogoslovie*, Constantinopoli, 1844.

5. Macarius, Tzankof et Bacalof, *Pravoslavno dogmatitchno bogoslovie*, 3 vol., Sofiæ, 1912.

6. Bacalof, *Rekovodstvo po osnovno bogoslovie*, Sofiæ, 1907.

7. Mantchef, *Natchalno nastavlenie na pravoslavnata vèra*, Philippoli, 1882.

8. M. Balabanof, *Izlogenie na utchenito na vseobchtata pravoslavna tserkva*, etc., 1873.

9. Præcipua sunt compendia M. Olenitskii, A. Pokrovskii, P. Soliarkii, Seraphimi metropolitæ.

Milasch, Sofiæ, 1903. Balabanof ex germanico vertit *Apologiam christianismi* theologi lutherani Chr. Luthardt, 4 vol., Sofiæ, 1899. S. Thomof *Theologiam abbreviatam* Binney ex anglico transtulit, anno 1881. Notanda est etiam versio operis polemici N. Milasch : *Slavorum Apostoli SS. Cyrillus et Methodius et veritas Orthodoxiæ*, a P. Ivanov, Sophiæ, 1903.

Inter opera a Bulgaris ipsis composita mentionem merentur :

1° *Orthodoxa dogmatico-polemica theologia* Stephani Buntovnikof, Sofiæ, 1909, 206 p.;

2° *Veritates Ecclesiæ orthodoxæ* Anthimi Chivatchef, Sofiæ, 1917, 159 p., ubi indicantur discrepantiæ dogmaticæ inter Ecclesias christianas vigentes;

3° *Fundamenta Orthodoxiæ* Chr. Pavlof, Kustendil, 1910, 117 p.;

4° *Doctrina christiana et moralis* Raini Popovitch, Pesti, 1837;

5° *Catechismus christianus orthodoxus* Stephanovi, Philippopoli, 1892, 149 p.;

6° *Compendium doctrinæ fidei* P. Tcherniaevi, Tirnovii, 1907;

7° *Canones sanctæ Ecclesiæ orthodoxæ cum commentariis*, a Stephanof, Tzankof et Tzonef editi, 3 vol., Sofiæ, 1912 [1].

Infimæ notæ est, ad scientiam theologicam quod spectat, *Tserkoven Vestnik* (*Ecclesiasticus Nuntius*) commentarius hebdomadalis a Synodo bulgarica inde ab anno 1900 editus. Inde vero ab anno 1919, Sofiæ, publicatur ephemeris trimestris, cui titulus *Dukhovna Kultura* (*Ecclesiastica Cultura*).

### II. — Theologia Serborum.

Serbi primam suam litteraturam ecclesiasticam veteroslavice conscriptam a Bulgaris acceperunt; quæ, ut diximus, versionibus operum græcorum constabat. Inde a sæculo XIII, quasdam ex his versionibus in suam dialectum transferre ipsi cœperunt : v. gr., sæculo XIV, translata est *Expositio fidei*

1. Indicationes bibliographicas de hac recentiori litteratura theologica Bulgarorum debemus docto professori collegii catholici Philippopolensis, P. H. Gieseler.

sancti Joannis Damasceni. Cæterum, usque ad sæculum XVIII, apud Serbos, sicut et apud alios Slavos, qui de rebus religiosis scribebant lingua palæoslavica utebantur. Qui vero aliquid scripserunt, fere nihil quod ad theologiam pertineat, reliquerunt. Notantur præsertim quædam Vitæ et encomia sanctorum [1].

Illi Serbi qui, sæculo XVII exeunte, in Austriam et Hungariam migrarunt, influxum theologorum Kioviensium et Moscovitarum experti sunt, eorumque sermones et compendia classica in dialectum slavo-serbicam transtulerunt. Dositheus Obradovitch, sub finem sæculi XVIII, dialecto serbica vulgari primus in scriptis uti incepit. Celeberrimus vero poeta Vick Karadgitch (1787-1864) edidit versionem serbicam Novi Testamenti, quæ animos maxime commovit, et ab auctoritate ecclesiastica prohibita est.

Recentiori tempore, Serbi, sicut et Bulgari, theologos russos compilarunt, quædamque ex eorum scriptis in suam dialectum verterunt. Metrophanes Chevits *Theologiam dogmaticam* Macarii Bulgakov transtulit [2]. Item, ejusdem Macarii *Enchiridion theologiæ dogmaticæ* serbice versum, anno 1898, Beligradii editum est. Nuperrime, C. Vecelinovitch tomum primum alicujus *Dogmaticæ Ecclesiæ orthodoxæ* vulgavit [3], quæ duo prima volumina *Speciminis theologiæ dogmaticæ orthodoxæ* Sylvestri Malevanskii in unum contrahit.

Anno 1900, Firmilian archimandrita brevem cursum theologiæ dogmaticæ, *Dogmatitchko Bogoslovie*, Carlovitzii publicavit, in duos tomos distributam; quibus tertium de theologia biblica et pastorali, anno sequenti, addidit. Apud Serbos vero Dalmatiæ, ut canonista claruit Nicodemus Milasch, Zaræ episcopus, cujus *Ecclesiasticum jus Ecclesiæ orthodoxæ orientalis* serbice (Zaræ, 1890), germanice (Vindobonæ, 1897 et 1905), russice (Petropoli, 1897), bulgarice (Sofiæ, 1903) græce (Athenis, 1906), rumenice, translatum est. Idem multas alias dissertationes canonicas conscripsit ex quibus præcipuæ sunt : a) *Codex canonum Ecclesiæ Africanæ*, Zaræ,

1. Serbi ut suum vindicare possunt Gregorium Tsamblakum, qui anno 1416 metropolita Kioviensis renuntiatus est. Reliquit quosdam sermones et laudationes sanctorum.

2. Tertia editio, Novi-Sad, 1895.

3. Beligradii, 1912.

1881; 2° *De collectionibus canonicis Ecclesiæ orthodoxæ*, Neusatz, 1886; 3° *Jus pœnale ecclesiasticum*, Mostari, 1911. Edidit etiam opus historico-polemicum, cui titulus : *Slavorum Apostoli Cyrillus et Methodius, et veritas Orthodoxiæ*, Zaræ, 1881, in quo in secunda parte agit de processione Spiritus Sancti, de additione ad symbolum, de azymis, de Purgatorio, de conceptione immaculata B. Mariæ virginis, de primatu Romani Pontificis.

Quidam alii Serbi dissertationes canonicas reliquerunt : 1° N. Buzitchich, *Nomocanon circa matrimonium*, Beligradii, 1880; ejusdem, *Nomocanon Ecclesiæ serbicæ*, Beligradii, 1882; 2° E. Joannovitch, *De jurisdictione ecclesiastica Ecclesiæ catholicæ orientalis in regionibus austriacis*, Karlovitzii, 1844, serbice et germanice; 3° E. von Raditch, *De causis divortii in Ecclesia orthodoxa*, Neusatz, 1884; 4° E. C. Mitrovitch, *De limitibus juridicis Ecclesiæ et Status*, Beligradii, 1900; 5° I. Bojovitch, *De mutuis relationibus Ecclesiæ et Status*, Beligradii, 1895; 6° N. Dutchich, *Matrimonium christianum*, Beligradii, 1898 [1].

Inde ab anno 1905, constituta est Facultas theologica apud universitatem Beligradensem, quæ hactenus parum floruit; edebantur, ante recens bellum, quædam folia periodica ecclesiastica in diversis autocephaliis serbicis. In Ecclesia regni serbici publicabantur : 1° *Nuntius Ecclesiæ serbicæ*, *Vestnik srpske Tsrkve* (ab anno 1895); 2° *Sermo pastoralis*, *Pastirka Retch* (ab anno 1906) pro clero inferiore et fidelibus. Patriarchatus Carlovitsianus suum habebat commentarium mensilem inscriptum : *Bogoslovski Glasnik*, *Præco theologicus* (ab anno 1901). Dalmatæ edebant *Nuntium serbicum*, *Srpski Vestnik*, et in Bosnia-Hertzegovinia publicabatur *Fons Bosniæ-Hertzegovinæ*, *Bosansko-Hertzegovaski Istotchnik*. Inde ab anno 1920, ephemeris publica novi patriarchatus serbici inscribitur *Glasnik provoslavne tsrkve* (*Præco Ecclesiæ serbicæ*). Cæterum, in hujusmodi foliis pauca occurrunt quæ ad theologicam dogmaticam pertineant.

1. Quædam opera minoris momenti, ut catechismos, sermones, etc., recensere abstinemus. Notamus tamen compendium doctrinæ christianæ ad usum gymnasiorum a C. Theodorovitch conscriptum : *Dogmatica Ecclesiæ orthodoxæ*, Beligradii, 1923.

### III. — Theologia Rumenorum.

Usque ad sæculum XVIII, Rumeni litteraturam religiosam propria dialecto conscriptam non habuerunt [1]. Ex quo enim Bulgaris (sæc. X) et postea Græcis et Turcis subjecti sunt, liturgia palæoslavica vel græca usi sunt, totamque suam scientiam theologicam ex scriptis slavicis vel græcis hauserunt. Inde vero a sæculo XVIII, quædam opera Byzantinorum et Græcorum recentiorum rumenice reddere cœperunt. Hoc inceptum per totum sæculi XIX decursum persecuti sunt, versionibus ex slavico vel græco addentes translationes quorumdam operum russicorum vel etiam latinorum. Inter eos qui huic labori incubuerunt, nominandi sunt : 1° Dionysius Romano, qui *Confessiones* sancti Augustini vertit, et plura compendia pro instructione religiosa plebis ipse composuit; 2° Neophitus Scriban, qui Πηδάλιον transtulit, catechismum et alia compendia edidit; 3° Melchisedec, episcopus Romanensis, qui *Theologicam dogmatiam* Antonii Amphiteatrov vertit, anno 1885, *Brevem introductionem ad scientias theologicas* edidit, anno 1856, catechismum necnon compendia liturgiæ, theologiæ pastoralis, eloquentiæ sacræ composuit. Quædam etiam polemice conscripsit, ex quibus notandum est opus inscriptum : *Papismus in Rumenia et status hodiernus Ecclesiarum rumenicarum* [2]; 4° Gerasimus Timus, episcopus, qui *Introductionem in theologiam orthodoxam* Macarii Bulgakov transtulit, Bucarestii, 1885; 5° Josip, qui opus Vladimiri Guettée : *La papauté schismatique*, rumenice vulgavit, Bucarestii, 1880; 6° Pavel Rosa, qui novam editionem rumenicam *Confessionis orthodoxæ* Petri Moghilæ recenter publicavit, Sibiu, 1914 [3]; 7° Joannes Michalcescu, qui *Jus ecclesiasticum* Nicodemi Milasch recenter transtulit, etc., etc.

1. Notandum tamen Calvinistas, inde a sæculo XVI, quosdam libros religiosos rumenice pro Rumenis Transylvaniæ et Hungariæ, quos ad suas doctrinas trahere tentarunt, edidisse. Cf. N. Iorga, *Histoire des Roumains de Transylvanie et de Hongrie*, t. I, p. 196-243, Bucarestii, 1915.

2. Omnia opera Melchisedec non minus quam triginta tomos efformant.

3. De aliis editionibus rumenicis *Confessionis orthodoxæ*, cf. Legrand, *Bibliographie hellénique du XVII^e siècle*, t. IV, p. 155.

Præter has translationes, theologi rumeni quædam compendia theologiæ dogmaticæ concinnarunt, ex quibus vulgatiora sunt sequentia : 1° *Teologia Dogmatik* archimandritæ Joannis Raitch, Sibiu, 1854; 2° *Lectiuni de teologia dogmatica*, auctore Economul St. Calinescu, Bucarestii, 1896; 3° *Manual de teologie dogmatica* Joannis Michalcescu, 2ª ed., Bucarestii, 1920. Idem theologus compendium theologiæ symbolicæ edidit *Compendiu de teologie simbolica*, Bucarestii, 1902, et anno 1904, Lipsiæ publicavit nova collectanea librorum symbolicorum Ecclesiæ orthodoxæ orientalis sub hoc titulo : Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας, *Die Bekenntnisse und die wichtigsten Glaubenszeugnisse der griechisch-orientalischen Kirche im Originaltext nebst einleintenden Bemerkungen;* 4° *Compendiu de teologia dogmatica* Jacobi Olariu, Caramsebes, 1917, qui auctor est etiam plurium scriptorum exegeticorum [1].

Inde ab anno 1881, quædam Facultas theologica apud Universitatem Bucarestii constituta fuit; quæ tamen nonnisi anno 1890 juridicam existentiam consecuta est. Editæ sunt quædam theses ab alumnis pro gradu licentiæ compositæ, quæ ad jus canonicum vel ad historiam ecclesiasticam potius pertinent quam ad theologiam dogmaticam [2]. Rumeni enim, sicut Serbi et Bulgari, jus canonicum et historiam ecclesiasticam præ dogmatica colunt. Inter compendia juris canonici præcipua sunt : 1° *Compendium juris canonici unius, sanctæ, catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ* Andreæ Schagunæ (versio germanica ab A. Sentz, Sibiu, 1868; tertia editio rumenica, Sibiu, 1913; 2° *Enchiridion juris*

1. Inter opera exegetica Olariu hæc notamus : 1° *Introductio in libros sacros Veteris et Novi Testamenti*, 3ª ed., Caramsebes, 1912; 2° *Commentarium Evangelii sancti Joannis*, Caramsebes, 1898; 3° *Interpretatio Epistolarum S. Pauli ad Philip., Colos., Thessal., Timoth., Titum, ad Hebræos, ibid.*, 1913; 4° *Interpretatio trium Synopticorum.*

2. Hujusmodi theses non sunt magni momenti, ut conjicere nobis licet ex his tribus quæ vidimus : 1° Cricore Costea, *Sinodul* VII *ecumenic din punct de vedere canonic*, Bucarestii, 1906; 2° Dimitrie Georgescu, *Sinodul Trullan san Quinisext*, Bucarestii, 1900; 3° Nicolæ D. N. Dragomirescu, *Clement Romanul*, Bucarestii, 1900. Ejusdem generis est opusculum Simeonis Popescu inscriptum : Πνεῦμα *in Nicæno-Constantinopolitano; Studiu exegetico-dogmatic*, Sibiu, 1881. Ejusdem Popescu notandum est opus polemicum contra papæ primatum : *Descoltarea. Primatului Papal si influenta lui asupra crestinatatei : Cercetari istorice*, Sibiu, 1882.

*ecclesiastici* Basilii Pocitan, Bucarestii, 1892, 1898; 3° *Jus ecclesiasticum* D. J. Boroianu, 2 vol., Iasii, 1899. In primo volumine continentur canones Ecclesiæ orientalis cum commentariis; 4° *Jus canonicum* Theodoriani Mariu, 3 vol., Bucarestii, 1905.

In Ecclesia regni rumenici, prout hoc exstabat ante recens bellum, non defuerunt ephemerides ecclesiasticæ quæ vitam brevissimam vixerunt, ut *Ecoul ecclesiastic* (1850-1851), *Predicatorul* (1857-1858), *Ecclesia* (ab anno) 1866), *Revista teologica* Iasiensis, etc. Ab anno 1874, Synodus Bucarestiensis suum habet commentarium mensilem, quæ nostris adhuc diebus editur, cujus titulus est : *Biserica ortodoxa romana.* Inde ab anno 1907, Rumeni Transylvaniæ edunt etiam ephemeridem theologicam mensilem : *Revista teologica*, Sibiu. Doctiores inter Rumenos erant, ante bellum, incolæ Buchovinæ. Jam anno 1875, Facultas theologica rumenica apud Universitatem Tchernoviensem fundata fuerat, quæ satis prosperabatur [1]. Ab anno 1882 commentarium theologicum, rumenice et ruthenice scriptum, quem quidam « scientiæ theologicæ thesaurum » appellant, publicavit. *Candela* — sic enim nuncupatur — adhuc lucet. Præcipui ejus scriptores fuere : Basilius Mitrofanovici († 1888), Basilius Gaina († 1907), Isidorus Onciul († 1897), Theodorus Tarnavsky († 1914), Fratres Eusebius et Constantinus Popopovici, Basilius Gheorghiu, Vladimirus Repta, metropolita [2].

1. Anno 1914, Facultas habebat 188 studentes, septem professores et tres privatos doctores.

2. Cf. I. Nistor, *Istoria Bisericii dim Bucovina*, Bucarestii, 1916.

# TRACTATUS TERTIUS

## DE FONTIBUS THEOLOGIÆ GRÆCO-RUSSICÆ

Ea quæ de fontibus theologiæ græco-russicæ dicturi sumus, ad tria spectant, scilicet :

1° ad existentiam duplicis fontis revelationis divinæ necnon ad relationem inter utrumque fontem, juxta Ecclesiæ græco-russicæ doctrinam;

2° ad canonem sacrarum Scripturarum;

3° ad instrumenta traditionis divinæ, seu ad media et documenta, quibus traditio divina conservatur atque transmittitur.

De magisterio vivo ecclesiastico ejusque dotibus hic directe sermo non erit; convenientius enim de eo in tractatu de Ecclesia agetur.

## CAPUT PRIMUM

### DE DUPLICI FONTE REVELATIONIS DIVINÆ JUXTA DOCTRINAM ECCLESIÆ GRÆCO-RUSSICÆ

Quæ de hac quæstione dicenda habemus, duplici propositione complectimur.

### PRIMA PROPOSITIO

*Juxta doctrinam* HODIE *in Ecclesia græco-russica communissime traditam, duplex existit fons divinæ Revelationis, Scriptura scilicet divinitus inspirata et traditio* COMPLEXE *sumpta, id est* ACTIVE *simul et* PASSIVE *considerata.*

PROBATUR :

1º Ex *libris symbolicis* communiter in hac Ecclesia receptis.

*Confessio* Petri Moghilæ (I p., quæst. IV), hæc habet :

« Articuli fidei suam auctoritatem probationemque habent partim ex sacra Scriptura, partim ex traditione ecclesiastica et ex doctrina synodorum sanctorumque Patrum... Dogmata enim duplicis sunt generis : alia sunt *litteris mandata*, quæ divinis sacræ Scripturæ libris comprehensa habentur; alia *viva voce ab Apostolis tradita;* et haec declarata et explicata fuerunt a conciliis sanctisque Patribus; binisque hisce fundamentis fides superstructa exstat : ἄλλα παραδίδει ἡ γραφὴ, τὰ ὁποῖα περιέχονται εἰς τὰ θεολογικὰ βιβλία τῆς ἁγίας γραφῆς· καὶ ἄλλα εἶναι δόγματα παραδεδομένα ἐκ στόματος ἀπὸ τοὺς ἀποστόλους. »

Alio loco, eadem Confessio declarat Ecclesiam potestatem habere supra Scripturam sacram, illamque examinare et probare per synodos œcumenicas : ἔχει τὴν ἐξουσίαν τούτην, ὥστε μὲ τὰς συνόδους τὰς οἰκουμενικὰς νὰ δοκιμάζῃ τὰς γραφάς.

Unde hæc Confessio omnino cum doctrina catholica concordat, circa duplicem fontem revelationis necnon circa

potestatem magisterii ecclesiastici sacras Scripturas probandi atque interpretandi.

Item *Confessio* Dosithei, cap. II, docet S. Scripturam secundum traditionem Ecclesiæ esse interpretandam, Ecclesiam esse infallibilem, ejusque auctoritatem non esse minorem auctoritate sacræ Scripturæ *cum utriusque auctor sit Spiritus Sanctus* Scripturam sacram esse obscuram (quæst. II), concilia *œcumenica* non *posse errare* (cap. XII).

*Catechismus* Philareti clare docet divinam Revelationem propagari inter homines, et in vera Ecclesia conservari per Scripturam sacram et traditionem active sumptam; traditionem seu magisterium Ecclesiæ esse Scriptura prius, et etiam nunc necessarium esse ad rectam Scripturæ intelligentiam, idemque non posse circa fidem errare.

2° Ex doctrina theologorum, præsertim eorum qui compendia theologiæ dogmaticæ concinnarunt ad usum clericorum, vel catechismos ediderunt ad religiosam plebis institutionem; item, eorum qui inde a sæculo XVI et per totum sæculum XVII, contra Protestantes decertarunt. Illo tempore, ut supra vidimus, Ecclesia græco-russica tum in pluribus synodis tum per suos præcipuos theologos doctrinam Reformatorum circa unicum Revelationis fontem et Ecclesiæ fallibilitatem aperte rejecit atque damnavit [1]. Inter recentes vero qui de fontibus Revelationis luculentius tractant, nominandi sunt : 1° inter Russos : Antonius Amphiteatrov, Macarius, Sylvester Malevanskii, Svietlov; 2° inter Græcos : Mesoloras, Andrutsus, Zikos Rhosis [2].

3° Cæterum, mirum non est hanc doctrinam inter dissidentes communissimam esse, quandoquidem septima synodus œcumenica, in sua actione VIII, expressis verbis definivit :

*Si quis omnem ecclesiasticam traditionem sive scriptam sive non scriptam rejicit, anathema sit.*

1. Cf. opera Meletii Pigæ, Metrophanis Critopuli, Meletii Syrigi, Stephani Iavorsky, etc., in *Historia theologiæ* memorata.

2. Cf. compendia theologiæ dogmaticæ vel symbolicæ ab his theologis conscripta et supra indicata.

## SECUNDA PROPOSITIO

*Per totum fere sæculum XVIII, et initio sæculi XIX usque ad annum 1836, doctrina protestantica de unico fonte Revelationis necnon de auctoritate relativa magisterii ecclesiastici et ipsorum conciliorum œcumenicorum, apud Russos communis evasit, consentiente, imo approbante Synodo Dirigente. Hujus autem doctrinæ vestigia, etiam nostris diebus, apud quosdam theologos deprehenduntur.*

PROBATUR :

Ut in capite II de historia theologiæ russicæ dictum est, sæculo XVIII ineunte, theologi russi, ut Stephanus Iavorskii et Theophylactus Lopatinskii, doctrinam catholicam de duplici fonte Revelationis necnon de infallibili Ecclesiæ magisterio contra Protestantes aperte tradebant. Inde vero ab anno 1711, Theophanes Procopovitch Reformatorum sententiam de sacra Scriptura ut unico fonte Revelationis in Academia Kioviensi docere incepit; cujus lectiones, inde ab ejusdem sæculi dimidio, per omnes imperii russici scholas theologicas circumlatæ sunt. Qui compendia theologiæ dogmaticæ ad mentem Theophanis concinnarunt, thesim de unico fonte suis operibus inseruerunt; quæ jam initio sæculi XIX unanimiter recepta erat ac publice approbata.

Præ manibus habemus *Compendium theologiæ classicum* Sylvestri Lebedinskii, 2ª ed., Mosquæ, 1805, in quo doctrina Theophanis Procopovitch hisce propositionibus contrahitur :

I. — *Scriptura est unum et proprium theologiæ principium. Sola Scriptura dat principia theologiæ. Sola est regula fidei.*

II. — *Sine Scriptura hodie Ecclesia non posset subsistere.*

III. — *Sacra Scriptura ita perfecta est, ut omnia vel quoad verba, vel virtute in se contineat, quæ nobis ad salutem sunt necessaria, ita ut absque iis salvi esse non possimus, tam ad fidem quam ad mores spectantia.*

IV. — *Sacra Scriptura est clara et sufficiens ad perfectam*

*doctrinam, obscura autem secundum quid, non simpliciter, et difficilis est non per se, sed per accidens, non omnibus, sed temere legentibus.*

V. — *Apostolus Paulus nobis hodie nonnisi in Scripturis loquitur. Non docet traditiones scriptas admittendas esse, sed ex allatis verbis ipsius* (II Thessal., II, 15), *tantum sequitur Paulum plura Thessalonicensibus prædicasse, quam inscripsit in epistola ad eos missa. Totum fidei depositum nunc in sacras Scripturas relatum est.*

VI. — *Definitiones conciliorum non habentur pro canonica Scriptura, quamvis nihil falsi in se contineant; et imo nihil aliud sunt nisi explicationes Scripturæ, quoniam pondus suum habent ex S. Scriptura, et nihil valuissent, si inde non penderent.*

VII. — *Concilium quodlibet sententias suas non potest ad eam sublevare auctoritatem, ut habeantur deinceps pro dogmate tanto rigore observando, ut nulla necessitas, nulla alia potestas ecclesiastica possit eas dissolvere, quemadmodum se habent præcepta divina, v. g.,* « *Honora patrem tuam et matrem tuam* »; « *non occides* », *etc.*

VIII. — *Traditiones non scriptæ necessariæ non sunt, debentque rejici, quia Scriptura perfecta est solaque veritatis norma.*

IX. — *Ecclesiarum rectores non sunt S. Scripturæ et Ecclesiæ magistri, sed ministri. — Doctrina Ecclesiæ examinari debet ad S. Scripturam.*

X. — *Patres, etiam conjunctim sumpti, non habent infallibilatis privilegium.*

XI. — *A concilio Hierosolymitano apostolico ad alia concilia non valet consequentia; in hoc enim concilio erant* Θεόπνευστοι, *scilicet Apostoli, qui specialem et singularem etiam gratiam habebant, et acti Spiritu Sancto decernebant omnia in hoc concilio.*

XII. — *Non negatur tamen quædam assistentia a Spiritu Sancto aliis conciliis. sed legitimis, in nomine Dei congregatis præstita, adjuvans Patrum pios conatus. si Patres adhibeant pia vota et preces.*

Eamdem doctrinam expresse tradebant alia compendia ad mentem Theophanis redacta, quæ in manibus studentium clericorum erant, initio sæculi XIX. Adhuc anno 1831. Mos-

quæ, typis S. Synodi recudebatur compendium Theophylacti Gorskii : *Orthodoxæ Orientalis Ecclesiæ dogmata seu doctrina christiana de credendis, usibus, eorum qui studio theologico sese consecrarunt addixeruntque adornata accommodataque* [1]. In eo, non minus diserte quam in opere Sylvestri Lebedinskii doctrina Reformatorum proponebatur, ut e sequentibus excerptis patet :

« Scriptura sacra est divina revelatio [2], cujus auctoritas et divina origo argumentis tum internis tum externis demonstratur. Interna sunt, quæ ex ipsa indole atque natura Scripturæ sacræ desumuntur, et quidem tum a styli simplicitate cum summa majestate conjuncta, tum ab ipsius doctrinæ sacræ adfectionibus divinam ejus originem arguentibus [3]. Externa argumenta cum iis fere conveniunt quibus divinæ revelationis veritas probatur [4]. Quamtumvis autem hæc argumenta magni ponderis sint, atque ejusmodi probationem suppeditent quæ a demonstratione prope absit, longe tamen certior adhuc est potens doctrinæ in S. Scriptura propositæ efficacia non naturalis. sed supernaturalis planeque divina, quæ vim suam exseruit maxime in vocandis gentibus per præconium Evangelii [5].....

« Expositis iis quæ circa auctoritatem Scripturæ monenda erant, progredimur nunc ad aliam ejus *affectionem*, nempe, *perspicuitatem*, quæ non *conceptibilitas*, ut sic loquar, rerum omnium, sed potius tale dicendi genus in Scriptura obviam est, ut *etiam homines simpliciores ex ea veritates ad salutem scitu necessarias discere possint, si modo ipsi debitam diligentiam adhibere velint.* Hinc et Scriptura hanc evidentiam de se ipsa prædicat (II Pet., I, 19; II Timoth., III, 15; Joh., XX, 3; Rom., X, 17) et propria cujusvis experientia qui sacras Litteras unquam attente legat, hujus rei testimonium perhibet [6]....

« Præterea, perfectione etiam seu sufficientia Scriptura

1. De hoc opere, vide supra, p. 595.
2. P. 24.
3. *Ibid.*, p. 27.
4. *Ibid.*, p. 31.
5. *Ibid.*, p. 33.
6. *Ibid.*, p. 34-35. Addit tamen auctor, p. 36 : « Notandum est Scripturam quidem ubique perspicuam esse, sed hanc perspicuitatem locorum gradu tamen differre. »

gaudet, et quidem tum *intuitu partium, quia nulla, ne minima quidem, ejus pars temporum injuria aut alia ratione intercidit, tum intuitu doctrinæ, quia plene ea omnia habet, quæ homini scitu crediluque ad salutem consequendam sunt necessaria* [1].....

« Sacra Scriptura est *unica fidei et vitæ nostræ regula atque norma... Ad hancce normam et regulam controversiæ fidei exigi ac dijudicari debent.* Supremus nimirum ejusmodi controversiarum judex est ipse Spiritus Sanctus, qui per Scripturam sacram nos verum a falso discernere condocet. Adplicatio autem sententiæ a judice pronuntiatæ ad quæstionem specialem ab omnibus quidem christianis, præcipue tamen ab Ecclesiæ doctoribus fieri potest ac debet [2]... »

« Scholion. *Quæ cum ita se habeant, visibili quodam controversiarum judice opus non esse intelligitur.* Et cur disputemus num eodem opus sit, cum nullibi terrarum ejusmodi detur nec a Deo constitutus sit ?.... At in quonam exstat infallibilitatis privilegium ? Errarunt plurimi ex episcopis, et in gravissimas prolapsi sunt hæreses. *Qua ergo ratione persuadebimus nobis visibilem esse judicem controversiarum falli nescium* [3] ? »

Existentiam traditionum divinarum in sacra Scriptura non contentarum omnino rejicit auctor :

« *Theologia revelata*, inquit, *nihil continet nisi quod ipsa Scriptura nos doceat et ex ea demonstrari possit.....* Fuerunt quam plurimi qui revelationes quasdam divinas perperam jactitarent, Scripturæ auctoritati tantum detrahentes, quantum illis, vana specie delusi, in rebus fidei quoque tribuebant. Alii rursus aut rationis imperio aut Ecclesiæ auctoritati Scripturam sacram subjiciendo traditionesque ei adjungendo, quosdam homines ab ejus lectione arcendo, hinc et perfectionem ejus ac sufficientiam in dubium vocando, eamdem revera suo loco movent [4]. »

Et in quodam scholio hæc addit :

*Denique qui hic a veritate divortium faciunt Ecclesiæ saltem auctoritatem traditionesque crepant, eas divinis Scripturis æquiparantes. Quo ipso produnt nihil aliud sibi constitutum esse quam ut imperium illud, quod successores Petri in alios*

1. P. 37-38.
2. P. 40, 43.
3. P. 44-45.
4. P. 56, 58-59.

*sibi vindicant, quacumque possint ratione fulciant, hominesque plebeios in cæco continent obsequio, aut seipsos mentem præjudicio auctoritatis ita impeditam habere, ut in luce meridiana cæcutiat* [1].

De auctoritate autem conciliorum etiam œcumenicorum traditionumque apostolicarum hæc profert :

« Legitimorum conciliorum et traditionum quæ ex historicis et aliis scriptoribus ad veterem Ecclesiam et ad ipsa usque Apostolorum tempora facile possunt revocari, sanctorum item Patrum auctoritas non quidem divina est neque divinis oraculis æquiparanda, magna tamen est et magni habenda ab omnibus fidelibus, tum ad intellïgendam veteris Ecclesiæ doctrinam tum ad quædam Scripturæ sacræ loca fidelibus explicanda, tum etiam ad dogmata illustranda [2]. »

Totam hanc de sacra Scriptura et traditione doctrinam, quam post an. 1836-1840, ut hæreticam communiter habuerunt theologi russi, Synodus Dirigens non una vice authentice probavit, non reclamantibus aliis Ecclesiis autocephalis, quæ protestantismum in Ecclesia russica adeo invaluisse, ut conjicere est, ignorabant. Ita, anno 1809, præfata Synodus tanquam auctorem classicum theologiæ dogmaticæ ad usum seminariorum Theophanem Procopovitch ab Irenæo Falkovskii abbreviatum designavit, eodemque decreto F. Buddaei, Lutherani bene noti, *Institutiones theologiæ dogmaticæ* commendavit.

Item, eadem Synodus, anno 1816, illi presbytero cui munus explanandi doctrinam « orthodoxam » uxori principis imperialis Nicolai, Lutheranorum dogmatibus addictæ, commiserat, sequentes dabat monitiones :

*Dans l'exposition de l'enseignement dogmatique de l'Église gréco-russe, on doit expliquer avec le plus grand soin que cette Église reconnaît la parole de Dieu contenue dans les Écritures saintes* COMME LA RÈGLE UNIQUE ET COMPLÈTEMENT

1. P. 60.

2. P. 276-277. Auctor, p. 278, traditiones divinas sic definit : *Traditiones divinæ sunt quæ ipsum Deum auctorem agnoscunt nihilque aliud quam ipsam sacram Scripturam significant.* Suo operi vero, ad calcem tomi II, p. 309, his verbis finem imponit : « Sufficiunt hæc ad cognoscendam orthodoxæ orientalis Ecclesiæ veritatem, ad pertractanda ejus dogmata. »

SUFFISANTE DE LA FOI ET DE LA VIE CHRÉTIENNE, ET COMME LA SEULE MESURE DE LA VÉRITÉ; *qu'elle révère sans doute la tradition de l'Église primitive, mais en tant seulement qu'elle se trouve d'accord avec l'Écriture, et qu'enfin elle puise dans cette pure tradition non des dogmes nouveaux de la foi, mais bien des opinions édifiantes, ainsi que des directions pour la discipline ecclésiastique* [1].

Catechismus metropolitæ Platonis Levkhin, lutheranismum, ut diximus, in multis locis redolet. In hoc enim, unus tantum fons divinæ Revelationis indicatur, scilicet sacra Scriptura, *quæ est Dei verbum* (II pars, § 1 et 2). *Sola lectio vel auditio veritatum sublimium in Scriptura contentarum sufficit ad persuadendum homini christiano per intimum sensum Scripturam esse veraciter verbum Dei* (*Ibid.*, § 2). Ecclesia fundatur *supra sanctissimum verbum Evangelii* (*Ibid.*, § 6). Sancti Patres contraxerunt breviter *omnes veritates salutis, quæ continentur in divinis libris* (§ 7; cf. § 9) : Christus gubernat Ecclesiam invisibiliter *ope verbi per Spiritun Sanctum... Potestas clavium fundari debet supra verbum Dei tantum* (§ 29). Dicit quidem auctor veram Ecclesiam servare traditiones apostolicas (§ 28); verum, non affirmat has traditiones esse verbum Dei distinctum a sacra Scriptura.

Decimus anathematismus *Officii Dominicæ Orthodoxiæ* jussu Catharinæ II elucubrati, sic se habet : *Abjicientibus synodos sanctorum Patrum eorumque* TRADITIONES DIVINÆ REVELATIONI CONSENTANEAS *et ab orthodoxa catholica Ecclesia pie conservatas, anathema.* His verbis innuitur solas traditiones retinendas esse quæ divinæ Revelationi, id est sacræ Scripturæ, conformes sunt, ita ut sacra Scriptura sola sit regula fidei, et ad eam examinanda et pensanda sit doctrina conciliorum œcumenicorum.

In suo opusculo inscripto : *Expositio discrepantiarum in doctrina fidei inter Ecclesiam Orientalem et Occidentalem*, circa annum 1812 composito [2], Philaretus Drozdov, qui

1. J. Gagarin, *La Réforme du clergé russe*, Paris, 1867, p. 78.

2. Hoc opusculum editum est, anno 1870, in *Tchtenia imperialis Societatis historiæ et archeologiæ russicæ Universitatis Mosquensis.* Eamdem doctrinam ac Philaretus, eodem tempore tradebat Theophylactus, Riazensis episcopus, dum Methodius Tverensis contra illos duos infallibilitatem conciliorum œcumenicorum propugnabat. Vide, *ibid.*,

tunc archimandrita et professor theologiæ in Academia Petropolensi erat, propositiones Procopovitch supra relatas de Scriptura sacra ut fonte unico, sufficienti et genuino doctrinæ fidei, de perspicuitate Scripturæ, de auctoritate relativa conciliorum œcumenicorum, fere ad verbum repetit, traditionesque qualescumque, quæ ad res fidei referuntur quidem, sed in sacra Scriptura non occurrunt, objectum fidei esse non posse, ideoque rejiciendas aperte profitetur. Eamdem doctrinam brevius tradidit in duabus primis editionibus sui catechismi, annis 1823 et 1827 vulgatis, quas Synodus Dirigens approbavit. In tertia vero ejusdem catechismi editione, anno 1839 vulgata, existentiam quidem ecclesiastici magisterii ut infallibilis interpretis et fidelis custodis Scripturæ sacræ diserte docuit; de existentia vero alicujus traditionis divinæ passive sumptæ, quæ in sacra Scriptura contenta non esset, ambigue loquitur, ejusque sententia videtur esse quod totum depositum revelatum in libris sanctis inveniatur. Ad quæstionem enim : *Nonne servanda est sancta traditio, etiam quando Scripturam sacram non habemus ?* — in hunc modum respondet :

« Servanda est TRADITIO REVELATIONI DIVINÆ et SACRÆ SCRIPTURÆ CONFORMIS, sicut hoc docet ipsa Scriptura sacra. Apostolus Paulus scribit : *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram* (II Th.. II, 15) [1]. »

Sententia protestantica quæ tenet nullam veritatem fidei seu dogma dari posse, quæ in Sacra Scriptura non contineatur, a theologis non paucis, nostris etiam diebus, propugnatur. Hi theologi sacræ Scripturæ primatum tribuunt supra traditionem active sumptam, dicentes Scripturam criterium esse veræ traditionis, traditionem vero non esse a Scriptura independentem, sed ejus munus in eo tantum esse, ut Scripturam custodiat et explicet. Sic docent quidam compendiorum theologiæ polemicæ auctores apud Russos, ut Truskovskii, qui Ecclesiam catholicam carpit, quod traditio-

eorum dissertationes. Synodum autem non thesi Methodii, sed sententiæ Philareti et Theophylacti suffragatum fuisse ex præcedentibus claret.

1. Qui de doctrina theologica Philareti tractarunt, libenter agnoscunt illum sacræ Scripturæ primas semper tribuisse. Cf. Korsunskii, in *Lectione christiana*, 1895, t. II, p. 56.

nem tanquam fidei fontem Scripturæ non subjectam admittat. Ita etiam A. Beliaev, qui in *Encyclopædia theologica russica* (ad artic. *Dogma*) nuper hæc scribebat : *Ecclesia non potest decernere aliquod dogma fidei quod in Scriptura contentum non esset, neque unquam hoc fecit. Ecclesia dogmata e Scriptura tantum haurit : ea promulgat, declarat, idoneis terminis exprimit.*

Perov, item, in suo *Manuali theologiæ polemicæ* : « *Scriptura*, inquit, *quidquid pro salute nostra necessarium est, plenitudinemque veritatis divinæ continet* » (p. 30).

Eamdem sententiam contra Andrutsum catholice sentientem recenter tuebatur professor I. Balanus [1]. Ad hanc appropinquare videtur etiam Damalas in suo opere : *De principiis*, dum duplicem distinguit traditionem : primam scilicet, quam *apostolicam* nuncupat, in S. Scriptura non necessario contentam, cujus Ecclesia est custos infallibilis; et alteram, quam vocat *ecclesiasticam*, ad quam referuntur conciliorum œcumenicorum definitiones. Harum autem definitionum objectum in S. Scriptura, sive *formaliter*, sive *virtualiter* necessario invenitur [2].

Idem theologus, in sua *Relatione de collationibus Bonnensibus* hæc habet :

« Nulla Ecclesia quæ sibi nomen *catholicæ* et *orthodoxæ* retinere velit, tanquam proprium dogma docere potest aliquid, quod in sacra Scriptura non contineatur, *sive secundum manifestum et infallibilem sensum illius ab œcumenicis synodis determinatum, sive secundum interpretationem communis conscientiæ orthodoxæ catholicæ Ecclesiæ*. Hæretica vocatur illa doctrina, quæ sacræ Scripturæ doctrinæ adversatur, sive secundum authenticam interpretationem septem conciliorum œcumenicorum, sive secundum interpretatio-

1. Cf. *Échos d'Orient*, t. XI, p. 151.

2. Decreta conciliorum « εἶναι ἡ αὐθεντικὴ πηγὴ τῶν τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας δογμάτων, ἐπειδὴ συμφωνοῦσι πρὸς τὴν ἁγίαν γραφήν. Περὶ ἀρχῶν, p. 48. ... Ἡ παράδοσις λοιπὸν αὕτη στηρίζεται ἐπὶ τῆς ἁγίας γραφῆς, ὡς ἐπὶ θεμελίου, καὶ πάντα τὰ δόγματα τὰ ὑπὸ τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων ψηφισθέντα περιέχονται *virtualiter* εἰς τὴν ἁγίαν γραφήν. Καὶ οὐδὲν δόγμα δύναται νὰ εἶναι τοιοῦτον, καὶ ἐξ ἐναντίας μάλιστα ἀπορριπτέον, ὡς καὶ οἱ ὁρίσαντες αὐτό, ἐὰν δὲν στηρίζηται ἐπὶ τῆς γραφῆς, καὶ δὲν ἐμπεριέχηται εἴτε *formaliter*, εἴτε *virtualiter*. » *Ibid.*, p. 122.

nem communis conscientiæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, quæ manifestatur in concordia pastorum et praxi catholicæ Ecclesiæ, et de quæstione proposita præjudicat suffragium futuræ synodi œcumenicæ [1]. »

1. « Οὐδεμία Ἐκκλησία, θέλουσα νὰ ᾖ καθολικὴ καὶ ὀρθόδοξος, δύναται νὰ διδάσκει ὡς δόγμα αὐτῆς ὅ τι δὲν περιέχεται ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, εἴτε κατὰ τὴν ἐπίσημον καὶ ἀλάνθαστον ἔννοιαν αὐτῆς, ἣν ὡρίσαντο αἱ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι, εἴτε κατὰ τὴν ἑρμηνείαν τῆς κοινῆς συνειδήσεως τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας. Καλεῖται αἱρετικὴ διδασκαλία ἡ ἀντιβαίνουσα εἰς τὴν διδασκαλίαν τῆς ἁγίας γραφῆς, εἴτε κατὰ τὴν ἐπίσημον ἑρμηνείαν τῶν ἑπτὰ οἰκουμενικῶν συνόδων, εἴτε κατὰ τὴν ἑρμηνείαν τῆς κοινῆς συνειδήσεως τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας, τὴν ἐκδηλουμένην ἐν τῇ συμφωνίᾳ τῶν ποιμένων καὶ τῇ πράξει τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, καὶ προδικάζουσαν τὴν περὶ τοῦ ζητήματος ψῆφον τῆς μελλούσης οἰκουμενικῆς συνόδου. » Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν Σύνοδον περὶ τῶν ἐν Βόννῃ πεπραγμένων, καὶ κρίσις περὶ αὐτῶν, Athenis, 1876, p. 30.

## CAPUT SECUNDUM

### DE CANONE SACRARUM SCRIPTURARUM

#### Prænotamina.

De canone Scripturarum nunquam inter se disputarunt Latini catholici et Græci dissidentes, quamvis perfecta consensio inter eos nunquam exstiterit quoad canonem Veteris Testamenti. Græci siquidem communiter recensuerunt inter libros Veteris Testamenti *tertium librum Esdræ* (qui *primus liber Esdræ* venit in quibusdam codicibus Septuaginta Interpretum et titulo insignitur : Ὁ ἱερεύς, *Sacerdos*) necnon *librum tertium Machabæorum*. Quidam ex eis etiam *quartum librum Machabæorum* receperunt, et adhuc recipiunt.

Ad Russos autem dissidentes quod attinet, hi quidem cum Græcis senserunt usque ad initium sæculi XVIII; inde vero ab hoc tempore, Theophanes Procopovitch duce, doctrinam Protestantium circa canonem Veteris Testamenti amplexi sunt, et hodie etiam tenent; imo catholicam Ecclesiam carpere non dubitant, quod libros deuterocanonicos Veteris Testamenti, scilicet *Tobiam*, *Judith*, *Sapientiam Sirach et Sapientiam Salomonis*, *duos libros Machabæorum*, *fragmenta libri Esther*, *et prophetiæ Danielis*, *Baruch et Jeremiæ Epistolam* (= cap. VI Baruch) inspiratos esse doceat. Hos impetus theologorum russorum vix adverterunt theologi catholici ad nostra usque tempora ; unde hi communiter docuerunt Græco-Russos consentire cum catholica Ecclesia de canone Scripturarum; quod verum tantum deprehenditur circa canonem Novi Testamenti.

Historia canonis Veteris Testamenti in Ecclesia græco-russica tribus hisce propositionibus breviter comprehendi potest :

I. — A Photio usque ad sæculum XVIII, si unum vel duos theologos minoris notæ excipias, Ecclesia græco-russica

tum praxi quotidiana tum etiam expressis declarationibus communiter docuit libros deuterocanonicos Veteris Testamenti, quibus adjungebat *tertium librum Esdræ* et *tertium Machabæorum*, esse divinitus inspiratos, atque ad authenticum canonem Scripturarum pertinere.

II. — A sæculo XVIII, theologi russi inspirationem deuterocanonicorum librorum Veteris Testamenti negare cœperunt, moxque Ecclesia russica hanc sententiam publice approbavit, et nostris etiam diebus recipiebat, jubens illam tradi in scholis ecclesiasticis et contra catholicos defendi in lectionibus theologiæ polemicæ.

III. — Ab eodem tempore, sub influxu theologorum russorum, quorum opera in græcum translata sunt, eadem sententia a quibusdam theologis græcis admissa est, ita ut hodie, apud Græcos, quæstio de inspiratione librorum deuterocanonicorum a multis habeatur ut quæstio inter theologos libere agitata, quanquam eorum major pars inspirationem horum librorum ut doctrinam authenticam Ecclesiæ orthodoxæ retinere pergit [1].

### I. — Primæ propositionis explanatio.

Ad rectum judicium ferendum de doctrina Ecclesiæ byzantinæ circa canonem Scripturarum, præ oculis habenda sunt decreta synodi Trullanæ, quæ in secundo suo canone æqualem largitur approbationem sex indicibus librorum sacrorum inter se in quibusdam discrepantibus : scilicet indicibus traditis a sancto Athanasio (*epist. festiva* XXXIX), a sancto Gregorio Nazianzeno (*Carm.*, I, 12), a sancto Amphilochio (*Iambi ad Seleucum*), a concilio Laodiceno (can. 59 vel 60, anno 360-381), a concilio Carthaginensi tertio (can. 47, inter Carthaginenses, anno 397), et tandem a canone octogesimo quinto Apostolorum. Hos omnes catalogos syno-

1. In hoc capite, paucis contrahimus quæ scripsimus in opusculo : *Histoire du Canon de l'Ancien Testament dans l'Église grecque et l'Église russe*, Parisiis, 1909, 136 p. Ibi invenies locos auctorum, quos hic tantum memoramus. Complementum quoddam attulimus in periodico : *Les Questions ecclésiastiques*, janvier 1910, p. 45-65. Cf. etiam dissertationem A. Jachek, in *Slavorum Litteris theologicis*, 1906, t. II, p. 123-128, 282-296; 1907, t. III, p. 264-273.

dus Trullana, sicut et cæteros canones conciliorum quæ recenset, sine ulla interpolatione vel falsatione servandos decernit. Atqui sex catalogi supradicti, quamvis inter se differant, non tamen sibi ipsis contradicunt; quidam enim sunt longiores, alii breviores. Inter se fere concordant catalogi sancti Athanasii, sancti Gregorii, sancti Amphilochii et synodi Laodicenæ, si *librum Esther* excipias, de quo Gregorius silet, quem inter non canonicos recenset Athanasius, de quo dubie loquitur Amphilochius, quem vero recipit synodus Laodicenæ. Animadverte autem hos quatuor indices inter canonicos ponere librum deuterocanonicum *Baruch cum Lamentationibus et Epistola Jeremiæ*. Catalogus synodi Carthaginensis est ipse canon catholicus a concilio Tridentino probatus. Canon vero LXXXV apostolicus expresse inter canonicos collocat *tres libros Machabæorum*, et *Sapientiam Sirach* etiam recipire videtur. Si vero hos sex catalogos ad invicem conferas, brevioresque longioribus compleas, canonem catholicum, cum adjectione tamen *libri tertii Machabæorum*, tibi conflabis. Imo, si præscripta synodi Trullanæ ad verbum tenere volueris, hoc facere cogeris; non enim tibi relinquitur libertas unum catalogum, aliis despectis, eligendi, sed omnes, prout leguntur, retinere debes. De facto, theologi byzantini, sive ante, sive post Photium, decretum synodi Trullanæ, quæ ab ipsis, ut notum est, inter concilia œcumenica recensetur, implicite saltem, in hunc modum interpretati sunt, ut videre est ex iis, quæ in nostro opusculo attulimus.

Inspirationem deuterocanonicorum Veteris Testamenti sive ob auctoritatem Ecclesiæ in genere, sive ob auctoritatem synodi Trullanæ et synodi Carthaginensis, *explicite* docuerunt sequentes theologi vel synodi :

1° Canonista Zonaras [1];

2° Meletius Syrigus [2];

3° Synodus Constantinopolitana, anno 1642, sub Parthenio I habita, quæ Cyrillum Lucarim redarguit, eo quod rejecerit *quosdam Scripturæ libros a conciliis œcumenicis ut canonicos acceptos* [3];

1. *P. G.*, t. CXXXVII, p. 158 et 214. Cf. *Histoire du Canon*, p 25-26.
2. *Ibid.*, p. 44-46.
3. *Ibid.*, p. 46-47.

4° Plures declarationes episcoporum græcorum, anno 1671, Marchioni de Nointel, legato Ludovici XIV in Oriente, traditae [1];

5° Synodus Constantinopolitana, sub Dionysio IV, anno 1672 [2];

6° Confessio Dosithei patriarchæ (quæst. VI), quæ est unus ex libris symbolicis. Ecclesiæ græco-russicæ, et cui ut mox dicemus, multi theologi œcumenicam auctoritatem tribuunt.

« Ecclesiæ catholicæ regulam sequentes, ait Dositheus, sacram Scripturam eos omnes appellamus libros, quos a Laodicena synodo mutuatus Cyrillus recenset, iis insuper additis, quos insipienter, inscite, aut magis malitiose vocavit apocryphos... Hos etenim cum cæteris genuinis sacræ Scripturæ libris ceu germanas ejusdem Scripturæ partes censemus esse numerandos, quia *antiqua consuetudo, seu potius ipsa Ecclesia catholica*, quæ nobis tradidit sancta Evangelia aliosque Scripturæ libros ut genuinos, et istos hæc ipsa ceu sacræ Scripturæ partes procul dubio tradidit [3]. »

Eorumdem librorum canonicitatem implicite agnoverunt ii omnes, qui hos libros tanquam verbum Dei in suis scriptis citaverunt, sicut fecerant antiqui Patres, etiam illi qui quamdam dubitationem de eorum inspiratione manifestarunt. Ita egerunt post synodum Trullanam, sanctus Andreas Cretensis, sanctus Germanus, patriarcha Constantinopolitanus, ipse sanctus Joannes Damascenus, et si hic doctor, in suo opere *De fide orthodoxa*, locum obscuriorem circa canonem habeat, et solum canonem hebraicum recipere videatur [4]; Septima synodus œcumenica, quæ in primo suo canone universaliter approbat canones *sex* priorum conciliorum œcumenicorum, non exceptis canonibus Trullanis, et in suo canone 16, ut Scripturam sacram laudat versiculum *libri Ecclesiastici*; item in ejus Actis, ut Scriptura citantur *Sapientia Salomonis* et *Fragmenta Danielis;* sanctus Theodorus Studita, sanctus Nicephorus, Photius, synodus œcumenica VIII, Leo Sapiens, Nicetas Paphlago, Nicetas

1. *Ibid.*, p. 48-49.
2. *Ibid.*, p. 49-50.
3. *Ibid.*, p. 51-52.
4. *Ibid.*, p. 16-19

Byzantinus, Arethas Cæsareæ, Symeon Metaphrastes, Symeon, novus Theologus, Theophylactus, Theorianus, Germananus II, Demetrius Chomatenus, Nicolaus Cabasilas, Gregorius Palamas, Marcus Ephesius, Georgius Scholarius sexcentique alii [1].

Ad Slavos autem quod attinet, notum est illos Libros sacros a Græcis accepisse, prout in versione Septuaginta Interpretum inveniuntur [2].

Cæterum, theologorum protestantium influxui tribuendum, quod theologi græci tres sæculi XVII inspirationem deuterocanonicorum negarunt, scilicet Zacharias Gerganus, qui in suo *Catechismo* libros Machabæorum apocryphos declarat; Metrophanes Critopulus, qui in sua *Fidei Confessione*, deuterocanonicos Veteris Testamenti, non excepto libro Baruch, a canone excludit, quamvis illos non omnino rejiciat, *sed utiles habeat* [3]; Cyrillus Lucaris, qui in tertia quæstione ad calcem suæ *Confessionis fidei* posita, solos illos libros recipit inter canonicos, quos synodus Laodicena enumerat; alios vero apocryphos annumerat. Confessio vero Cyrilli, ut supra dictum est, statim ac inter Græcos vulgata est, tum a theologis tum a pluribus synodis confutata ac reprobata fuit, atque deuterocanonicorum inspiratio publice declarata. In *Confessione orthodoxa* Petri Moghilæ, de horum librorum inspiratione nihil expresse traditur; citantur tamen ut verbum Dei, ad dogmata probanda, tum Sapientia Salomonis et Sapientia Sirach, tum liber Tobiæ.

Ex his ergo patet Ecclesiam græco-russicam, libros deuterocanonicos inter inspiratos computasse usque ad finem sæculi XVII, illorumque divinam auctoritatem contra Calvinistas diserte prædicasse ac defendisse.

### II. — Secunda proposito : De Canone Russorum.

Error Reformatorum de canone Veteris Testamenti, quem theologi sæculi XVII tam diserte confutaverant, sæculo XVIII in Ecclesia russica civitatem consecutus est, et hactenus retinet. Deuterocanonicorum librorum inspirationem adver-

1. *Ibid.*, p. 19-25. Cf. *Les Questions ecclésiastiques, loc. cit.*
2. *Ibid.*, p. 30-33.
3. *Ibid.*, p. 40-41.

sus Protestantes præclare quidem tuitus est Stephanus Iavorskii in *Petra fidei*. Mox vero sententia Theophanis Procopovitch, inter theologos russos omnino invaluit : Procopovitch, deuterocanonicos omnes, Baruch non excepto extra canonem ponit, quanquam illos magni facit, eorum utilitatem extollens, concedensque eos inspiratos dici posse, si inspiratio largo sensu accipiatur [1].

Metropolita Mosquensis, Plato Levkhin, antiquam doctrinam adhuc servat, saltem quoad *Baruch* et *Sapientiam Salomonis* [2]. Circa finem vero sæculi XVIII, novitas lutherana palam docetur in compendiis theologiæ dogmaticæ ad normam theologiæ Theophanis redactis, v. g., in compendiis Theophylacti Gorskii, Irenæi Falkovskii et Sylvestri Lebedinskii. *Catechismus* Philareti, in omnibus suis editionibus a S. Synodo publice approbatis, eamdem doctrinam exhibet, solumque canonem hebraicum retinet. Adhuc autem hoc gravius : S. Synodus in *Confessione* Dosithei, quam annis 1838 et 1840 græce et slavice edidit ad usum seminariorum, quæstionem tertiam expunxit, in qua, ut vidimus, deuterocanonici eodem pacto, ac cæteri libri canonis hebraici, divinitus inspirati declarantur. Item, eadem Synodus programma theologicæ polemicæ in Academiis et seminariis evolvendum præscripsit, in quo Ecclesia catholica dicitur *ab orthodoxa fide defecisse, quia libros deuterocanonicos Veteris Testamenti inspiratos esse declarat.*

Unde mirandum non est quod unanimi ore theologi russi, inde a sæculo XIX ad nostra usque tempora, inspirationem deuterocanonicorum Veteris Testamenti rejiciant. Hæc negatio est vere dogma Ecclesiæ russicæ. Aliquod dubium tantum adhuc remanere videtur inter theologos istos quoad librum Baruch, quem ut divinitus inspiratum accipit Macarius, dum alii fere omnes eum apocryphis annumerant.

Notandum est hos theologos audacter affirmare sententiam suam de canone Scripturarum perpetuam fuisse « Ecclesiæ orthodoxæ » doctrinam. Juxta ipsos, Esdras, divino afflante Spiritu, canonem Veteris Testamenti in perpetuum

1. *Ibid.*, p. 58-63.
2. *Ibid.*, p. 70.

concluserit, ita ut nullum aliud scriptum posterum huic canoni adjungi potuerit; Patres qui divinitus inspiratos pronuntiarunt deuterocanonicos, vocem inspirationis largo sensu intellectam usurpaverint [1].

### III. — Tertia propositio : De doctrina Græcorum recentiorum.

Usque ad dimidium sæculi XVIII, Græci doctrinam de inspiratione deuterocanonicorum, tam diserte contra Protestantes sæculo XVII conclamatam, fideliter retinuerunt. In secundo autem ejusdem sæculi dimidio, quosdam horum librorum adversarios jam invenimus, inter quos nominandi sunt : 1° illustrissimus Corais, in quadam nota translationi *Catechismi* Platonis inserta; 2° Eugenius Bulgaris [2] et ejus discipuli : Theophilus Papaphilus, Campaniæ episcopus [3], et Athanasius Parieńsis [4].

Sæculo XIX, doctrina protestantica ad Græcos pervenit per translationes operum russicorum, de quibus supra locuti sumus. Cæterum versio catechismi Platonis Levkhin cum notis Corais, necnon *Thesaurus Orthodoxiæ* Papaphili multoties edita sunt cum approbatione S. Synodi Atheniensis. Major tamen pars theologorum græcorum, a sæculo XVIII ad nostra tempora, inspirationem deuterocanonicorum, tanquam doctrinam Ecclesiæ orthodoxæ ab omnibus tenendam docere non destiterunt. Sæculo XVIII, inter defensores antiquæ traditionis occurrunt : Antonius Moschopulus, auctores *Pidalii* (qui tamen fragmenta Danielis rejiciunt), Nicephorus Theotokis. Sæculo vero XIX et sæculo XX, plerique cate-

1. Cf. *Histoire du Canon*, p. 86-89. Vide etiam, p. 77-78, quomodo Macarius ab auctoritate sancti Augustini et concilii Carthaginensis se expediat. De editionibus S. Scripturæ a Societate biblica protestantica factis et a S. Synodo approbatis, necnon de doctrina recentiorum theologorum quædam invenies, *ibid.*, p. 80-89. Recentissime Antonius, metropolita Kioviensis (olim Volhyniensis episcopus), in suo *Tentamine christiani orthodoxi catechismi*, Carlovitsiæ, 1924, inspirationem deuterocanonicorum agnoscere videtur. Cf. M. d'Herbigny, *Après la mort du patriarche Tykhon, Orientalia christiana*, t. IV, p. 139.

2. Θεολογικόν, Venetiis, 1872, p. 29.

3. Ταμιεῖον ὀρθοδοξίας, ed. Tripolitzæ, 1888, p. 127-128.

4. Ἐπιτομὴ εἴτε συλλογὴ τῶν θείων τῆς πίστεως δογμάτων, Lipsiæ, 1806, p. 22-23.

chismi græci publice approbati, ut catechism Calliphronis, Bernardakis, C. Œkonomi, Mesoloræ, Chamudopuli D. Kyriaki, Gheglæ, Sungræ, etc., canonem Septuaginta Interpretum tradunt. Quidam, ut Ghegle, Chamudopulus, *quartum librum Machabæorum* inter canonicos recensent. In quibusdam tamen catechismis, ut in catechismo Damasceni Christopuli (Athenis, 1881) [1] et in catechismo Constantini Koidakis (Athenis, 1906), deuterocanonici extra canonem inspiratum ponuntur.

Præcipui theologi græci sæculi XIX inspirationem deuterocanonicorum recipiunt, et contra Protestantes tuentur. Inter eos eminet Constantinus Œconomus, qui, in quarto tomo sui operis *De LXX Interpretibus* [2] de inspiratione deuterocanonicorum fuse tractat; quam ut tueatur, ad auctoritatem conciliorum œcumenicorum sexti et septimi provocat, utpote quæ canonem 85 Apostolorum necnon synodum Carthaginensem approbaverunt [3]. Veram item doctrinam tenent Universitatis Atheniensis professores Contogonis, Mesoloras, Zikos Rhosis [4]. At vero eam nonnisi ut sententiam probabiliorem recenter proposuit Chrestus Andrutsus [5].

Ad Auctoritates ecclesiasticas Ecclesiarum græco sermone utentium quod attinet, notum est eas indiscriminatim approbare tum catechismos aliaque scripta theologica inspirationem præfatorum librorum propugnantia, tum opera eidem doctrinæ adversantia.

Unde differentia, quæ inter Ecclesiam russicam et Ecclesias græcas circa præsentem quæstionem nunc existit, in eo est, quod illa tanquam dogma, aut saltem tanquam sententiam certam et omnino tenendam habet: deuterocanonicos libros Veteris Testamenti ad canonem inspiratum non pertinere; dum istæ affirmationi atque negationi ex æquo

1. Ille inter protocanonicos recenset *tertium librum Esdræ* (ὁ Ἱερεύς) Ita etiam Sungras.

2. Περὶ τῶν Ο' Ἑρμηνευτῶν τῆς παλαιᾶς θείας Γραφῆς, Athenis, 1849, t. IV, p. 126-128.

3. *Ibid.*, p. 162-163.

4. Contogonis, Εἰσαγωγὴ εἰς τὴν θείαν Γραφήν, p. 14; Mesoloras, Συμβολική, t. II, p. 43-44; Zikos Rhosis, Σύστημα δογματικῆς, p. 467.

5. Δογματική, Athenis, 1907, p. 6.

arrident, nec quidquam de proposita quæstione decernere volunt. Si Cyrillus Lucaris ad vitam resurgeret, perfectus utique orthodoxus, ad canonem Scripturarum quod spectat, inter Russos appareret; Dositheus vero redivivus tanquam *latinophron* ab eisdem expelleretur.

## CAPUT TERTIUM

### DE INSTRUMENTIS SEU FONTIBUS TRADITIONIS DIVINÆ SECUNDUM THEOLOGOS GRÆCO-RUSSOS

**Divisio.**

Ut supra ostendimus, theologi græco-russi hodie communiter docent traditionem esse fontem divinæ Revelationis a S. Scriptura distinctam. Nomine autem traditionis intelligunt, sicut et nos, tum magisterium ecclesiasticum, tum veritates ab hoc magisterio traditas. Quærimus nunc ubinam inveniantur pro Græco-Russis has veritates a magisterio ecclesiastico traditas, seu quænam sint *instrumenta* vel *fontes* traditionis sensu *passivo* et *objectivo* acceptæ.

Porro hujusmodi instrumenta apud Græco-Russos triplicis sunt generis :

1º Quædam enim sunt œcumenicæ auctoritatis, et ab omnibus Ecclesiis autocephalis ut fontes traditionis infallibiles habentur;

2º Alia exstant documenta, quæ dubia œcumenicitate potiuntur, eo quod multi theologi contra alios valorem œcumenicum illis denegant. Hæc documenta communi vocabulo *librorum symbolicorum* generatim designantur;

3º Alia demum ex confesso non habent nisi auctoritatem limitatam et circumscriptam, utpote ab una tantum vel a pluribus Ecclesiis particularibus recepta.

Unde præsens caput triplici articulo absolvemus. Primus erit de instrumentis auctoritate œcumenica donatis; secundus, de vulgo dictis libris symbolicis, quorum absoluta auctoritas a multis hodie in dubium vocatur, vel etiam aperte negatur; tertius, de documentis uni vel quibusdam tantum Ecclesiis propriis, seu de libris symbolicis particularibus.

## ARTICULUS I

### De instrumentis seu fontibus æcumenicis.

Tres sunt divinæ traditionis fontes quibus Græco-Russi auctoritatem œcumenicam communiter tribuunt, scilicet : 1° concilia œcumenica proprie dicta; 2° concilia particularia, canones Apostolorum et quædam græcorum Patrum scripta ab œcumenicis synodis approbata; 3° quædam fidei symbola.

#### I. — De numero conciliorum œcumenicorum [1].

Circa numerum certum conciliorum œcumenicorum neque theologi privati neque ecclesiasticæ Auctoritates in publicis documentis inter se concordant. Unanimitas tantum existit in agnoscendis septem prioribus conciliis œcumenicis; quibus addendum est concilium Trullanum, quod theologi dissidentes communiter referunt sive ad synodum œcumenicam sextam, sive ad quintam et sextam simul; unde nomine synodi *Quinisextæ* seu Πενθέκτης frequenter nuncupatur.

Præter hæc septem (vel potius octo) concilia œcumenica, quidam quodlibet aliud omnino excludunt. Sic Meletius Pigas, in quadam epistola dogmatica ad Gabrielem Severum anno 1594 data [2]. Sic etiam Confessio fidei Chrysanthi, anno 1727 a quatuor patriarchis edita, in qua dicitur *septem tantum œcumenicas synodos venerandas esse et recipiendas; alias vero synodos, ut Florentinam et Tridentinam, quibus epithetum « œcumenica » præfixa est, esse rejiciendas* [3]. Hanc doctrinam communiter recipiunt theologi et canonistæ Ecclesiæ russicæ, quorum non pauci concilia photiana synodis particularibus explicite adnumerant, ut,

1. De hac quæstione vide nostrum articulum in *Échos d'Orient*, janvier, 1919, p. 305-320.

2 Renaudot, *Gennadii Scholarii homiliæ*, etc., p. 148 : ἃς καὶ μόνας οἶδεν τῶν ὀρθοδόξων ἡ σύνοδος.

3. Mansi-Petit, t. XXXVII, col. 895.

v. g., canonistæ Pavlov et Berdnikov, theologus Sylvester Malevanskii. In *ritu reconciliationis Latinorum* ab Ecclesia russica adhibito, sermo est tantum de septem conciliis œcumenicis [1].

In documentis autem innumeris sive publicæ sive privatæ auctoritatis, *simpliciter affirmatur* septem esse concilia œcumenica. Ita, in professione fidei ab episcopo ordinando recitata, in quibusdam formulis abjurationis. in multis compendiis theologicis et catechismis.

Multi theologi græci quum antiqui tum recentiores œcumenicitatem tribuunt aliis conciliis præter septem (seu potius octo) ab omnibus recepta. Idem fecerunt Auctoritates ecclesiasticæ in quibusdam documentis publici juris.

Synodus photiana anni 861 [2] ut œcumenica habita est a Photio [3] et ejus asseclis, a Balsamone [4], M. Blastari [5], Nilo Damyla [6], etc.

Synodus photiana anni 879-880 satis communiter inter œcumenicas recensetur, inde a sæculo XIII usque ad nostra tempora. Præter Photium, illam ut talem recipiunt : Balsamon [7], Nilus Cabasilas [8] Nilus Rhodiensis [9], Macarius Ancyranus [10], Symeon Thessalonicensis [11], Josephus Bryen-

1. Inter Græcos hodiernos, Damalas, *op. cit.*, p. 124, septem synodos œcumenicas, καὶ μόνας ταύτας, recipit.

2. Hanc synodum Græci vocant *primam et secundam*, ἡ σύνοδος πρώτη καὶ δευτέρα.

3. *Præfatio ad Syntagma* : καὶ τούτους (= synodum anni 861 et synodum Sanctæ Sophiæ) τοῖς τῶν αδελφῶν συνόδων κανόσι συνέταξεν. Pitra, *Juris ecclesiastici Græcorum historia et monumenta*, t. II, p. 449.

4. *In can. I concilii Constantinopolitani. P. G.*, t. CXXXVII, col. 1004.

5. *Syntagma alphabeticum*, *P. G.*, t. CXLIV, col. 992.

6. Allatius, *De synodo photiana*, p. 166-167. Nota Damylam synodum *primam et secundam* confundere cum synodo Sanctæ Sophiæ.

7. *In can. I concilii in æde S. Sophiæ habiti*, *P. G.*, *t. cit.*, col. 1085.

8. *De processione Spiritus Sancti* : *Responsio ad argumentum IX Latinorum.* Apud Allatium, *De synodo photiana*, p. 163.

9. *De sanctis et œcumenicis synodis enarratio synoptica.* Apud Vœl et Justel, *Bibliotheca juris canonici veteris*, Parisiis, 1651, t. II, p. 1158.

10. Apud Allatium, *op. cit.*, p. 183-184.

11. *Dialogus contra hæreses*, c. XIX. *P. G.*, t. CLV, col. 97 : Ἑτέρα μὲν οὖν μετὰ τὴν ἑβδόμην οὐκουμενικὴ οὐ γέγονε σύνοδος, εἰ μὴ ἡ ὀγδόη λεγομένη.

nius [1], Marcus Ephesius [2], Georgius Scholarius [3], Nectarius Hierosolymitanus [4], Athanasius Pariensis, qui in suo *Compendio dogmatico* hæc habet :

*Communiter christiani omnes septem concilia œcumenica noverunt; est autem et octava synodus œcumenica* (Photiana scilicet anni 879), *sed solis doctis nota* : ἀλλὰ μόνοις τοῖς λογίοις γνωστή [5].

Item, quatuor patriarchæ orientales, in *Epistola encyclica ad omnes orthodoxos*, anno 1848 data [6]; quidam catechismi a synodis localibus etiam approbati, ut, v. g., catechismus Nectarii Kephalæ et catechismus Bernardakis, in quibus de synodo photiana hæc leguntur :

*Œcumenicis conciliis adnumeranda est et synodus octava sub Photio patriarcha, anno 879 congregata, cui interfuit per suos legatos et Joannes papa VIII; habet quidem hæc auctoritatem œcumenicam, at nondum nomen ipsum, donec illam ut talem publice non denuntiavit, juxta morem receptum, alia synodus œcumenica superveniens* [7].

Georgius Scholarius valorem œcumenicum confert synodo Constantinopolitanæ sub Andronico II, anno 1283, congregatæ contra Unionistas, qui concilio II Lugdunensi adhæserant [8].

1. *Oratio octava de Trinitate.* Cf. Allatium, *op. cit.*, p. 164-165.

2. *Acta concilii Florentini, actio* VI. Hardouin, *Coll. concil.*, t. X, col. 68-69. Cf. *Gregorii Mammæ Apol. contra Ephesinum. P. G.*, t. CLX, col. 85. *Marci Ephesii epistol. ad Notaram*, apud S. Lambros, Παλαιολόγεια καὶ Πελοποννησιακά, t. II, p. 138.

3. *De additione ad symbolum*, *P. G.*, t. CLX, col. 720 : παρίεμεν τὴν ὀγδοὴν οἰκουμενικὴν σύνοδον, τὴν ἐπὶ Φωτίου, ἥτις καὶ τὴν ἑβδόμην ἐκύρωσε.

4. *De principatu papæ*, in versione Allixii, p. 71, 87.

5. Ἐπιτομή, p. 48.

6. Mansi-Petit, t. XL, col. 383.

7. Nectarius Kephalas, Ὀρθόδοξος ἱερὰ κατήχησις, Athenis, 1899, p. 181 : ἔχουσα μὲν οἰκουμενικὸν τὸ κῦρος, ἀλλ'οὐχὶ ἀκόμη καὶ τὸ ὄνομα, πρὶν ἀνακηρύξῃ αὐτὴν ὡς τοιαύτην, κατὰ τὸ ἐπικρατῆσαν ἔθος, ἄλλη διάδοχος οἰκουμενικὴ σύνοδος. Eadem habet Bernardakis, Ἱερὰ κατήχησις, p. 41.

8. « Στέργω τὴν κατὰ τοῦ λατινόφρονος Βέκκου ἁγίαν καὶ μεγάλην σύνοδον, καὶ οἰκουμενικὴν ταύτην ἡγοῦμαι βεβαίως, διότι ἡ ἀπουσία τοῦ σχισματικοῦ οὐχ ὑφαίρει τὸ οἰκουμενικόν ». *Declaratio ad clerum et populum*, die 27 novembris anni 1452. Lambros, *op. cit.*, p. 133. Cf. *De additione ad symbolum*, *P. G.*, t. CLX, col. 720.

Nilus, metropolita Rhodiensis, ut *nonam œcumenicam* habet primam synodum palamiticam anni 1341 [1].

Jobus Jasita œcumenicam appellavit synodum in qua Michael Cærularius Latinis anathema dixit, anno 1054 [2].

Synodus Constantinopolitana anno 1484, sub Simeone Trapezuntio, œcumenico patriarcha, habita, declaratur œcumenica in *Officio reconciliationis Latinorum*, quod post hanc synodum promulgarunt, hocque epithetum retinet in collectione authentica canonum Ecclesiæ græcæ a Rhalli et Potli edita [3].

Silemus de conciliis œcumenicis in quibus de unione actum est, de *octavo œcumenico* scilicet, sub Ignatio (869-870), quod diu recepit Ecclesia byzantina, de *concilio Lugdunensi II*, et præsertim *de concilio Florentino*, cui subscripserunt septem et triginta præsules græci et russi; de his enim conciliis, quæ vere œcumenica fuere, theologi dissidentes vel altum servant silentium, vel calumnias proferunt. Nemo tamen negare potest Ecclesiam græco-russicam per aliquod tempus hujusmodi concilia pro œcumenicis habuisse.

### II. — De conciliis particularibus necnon de aliis documentis ab œcumenicis synodis solemniter approbatis.

Eumdem valorem dogmaticum ac septem œcumenicis communiter tribuunt theologi græco-russi iis conciliis particularibus, quæ enumeravit suaque auctoritate probavit in canone secundo synodus Trullana, et quibus etiam generali sententia allusit septima synodus œcumenica in primo suo canone, illa denuo confirmans.

Hæc concilia particularia sunt numero novem, scilicet : *Ancyranum*, *Neocæsariense*, *Gangrense*, *Antiochenum*, *Laodicenum*, *Sardicense*, *Carthaginense* (419), *Constantinopolitanum sub Nectario* (394), et *Carthaginense sub Cypriano* (256). Hoc ultimum, cujus canone rebaptizatio hæreticorum

1. « Ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ αὕτη σύνοδος ἐνάτη γέγονεν ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ μακαρίτου καὶ ἀοιδίμου, βασιλέως κυρίου Ἀνδρονίκου ». *De synodis, loc. cit.*, p. 1160.

2. Vide ejus verba apud Hergenröther, *Photius*, t. II, p. 525-526, in nota.

3. Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων, t. V, Athenis, 1854, p. 143.

in genere præscribitur, non invenitur in collectionibus slavicis et rumenicis, sed occurrit in collectionibus græcis, v. g., in *Pidalio*, in *Syntagmate* Rhallis. etc.). Ejus auctoritas valde minuitur tum ex eo quod synodus Trullana non videtur illi tribuere nisi vim consuetudinis particularis, tum ex eo quod canon 7 septimæ synodi non approbat rebaptizationem omnium hereticorum indiscriminatim, sed quorumdam baptisma ut validum habet. Attamen non solum a theologis græcis, verum etiam a quibusdam Russis recentioribus [1] hoc Cypriani concilium memoratur. Imo in *Officio reconciliationis Latinorum* ab Ecclesia russica usitato legitur :

*Recipisne canones apostolicos, decreta et mandata Ecclesiæ orthodoxæ a septem conciliis œcumenicis et* NOVEM PARTICULARIBUS *promulgata ?*

Sub his *novem* particularibus comprehendi videtur Cypriani concilium, dum omittuntur duo concilia photiana. Tantum vero favorem Cypriani concilio largitur Ecclesia russica non quidem ob canonem de baptismo hæreticorum, cum ipsa validum habeat baptismum hæreticorum, sed verisimiliter ob quædam verba sancti Cypriani, quæ contra primatum Romanæ Sedis facere videntur.

Alii tamen theologi russi, ut Antonius [2] et Macarius [3], antiquæ *Kormtchaiæ* vestigiis inhærentes, de eodem tacent. Quidam concilium Constantinopolitanum sub Nectario (394) prætermittunt [4].

Præter hæc novem concilia particularia, a synodo Trullana recensita, non pauci theologi, valorem œcumenicum tribuunt duobus conciliis photianis. Hoc communiter faciunt theologi Russi, qui hæc duo concilia inter particularia quidem collocant, eis vero eamdem auctoritatem ac novem cæteris concedunt, quamquam a nullo concilio œcumenico approbata fuerunt. Sic Macarius, qui decem concilia particularia

1. V. g., Malinovskii, *Compendium*, t. I, p. 22; Sylvester, t. I, p. 59-60. Datur versio russica *Actorum novem conciliorum particularium*, Kazanii, 1877-1878.

2. Versio græca, p. 322.

3. Ἐγχειρίδιον τῆς δογματικῆς θεολογίας (versio Neophyti Paghidæ), p. 17.

4. Cf. Pavlov, *Cursus juris ecclesiastici*, Serghiev Possad, 1902, p. 52.

numerat [1]; Malinovskii, qui numerum undecim obtinet [2]. Vidimus supra non paucos theologos græcos synodum Photianam anni 879 inter œcumenicas computare. Implicite eumdem valorem concilio anni 861 tribuere videntur, dum in collectionibus authenticis juris canonici illud ponunt immediate post septimam synodum œcumenicam et ante omnia alia concilia particularia a synodo Trullana approbata. Quidam tamen, etiam inter Græcos [3], synodos photianas non memorant, ubi de fontibus dogmatum loquuntur.

In suo secundo canone, synodus Trullana approbavit etiam alia documenta : scilicet 85 canones Apostolorum et scripta quædam ad duodecim Patres pertinentia, quæ de disciplina canonica potissimum tractant. Hæc documenta vi œcumenica potiri, et fontes infallibiles esse traditionis divinæ in iis quæ ad fidem pertinent, communiter docent theologi græco-russi; et quidem omnino logice, cum synodum Trullanam inter œcumenicas synodos recenseant. Non pauci inter hodiernos candide fatentur canones apostolicos non esse genuinos [4]; eorum tamen auctoritatem tuentur. Patrum autem scripta a synodo suscepta et adjecta canonum collectioni sunt sequentia : 1° Dionysii Alexandrini *canones;* 2° Gregorii Neocæsariensis *epistola ad christianos;* 3° Petri Alexandrini *canones;* 4° Athanasii Alexandrini *epistolæ tres;* 5° Basilii Magni *92 canones*; 6° Timothei Alexandrini *responsiones canonicæ;* 7° Gregorii Theologi *stichometra ad Amphilochium;* 8° Amphilochii Iconiensis *epistola ad Seleucum;* 9° Gregorii Nysseni *epistola ad Lœtoium;* 10° Theophili Alexandrini *14 canones* ex epistolis canonicis desumpti; 11° Cyrilli Alexandrini *5 canones*; 12° Gennadii Constantinopolitani *epistola encyclica.*

His duodecim Patribus quidam [5] addunt S. Tarasium Constantinopolitanum, cujus *epistolæ contra simoniam* auctoritatem œcumenicam tribuunt, quamvis a nullo concilio œcumenico approbata fuerit.

1. Macarius-Paghidas, *op. cit.*, p. 17.
2. Malinovskii, *op. cit.*, t. I, p. 22.
3. Damalas, Περὶ ἀρχῶν, p. 48.
4. Ita sentiunt canonistæ Milasch et Suvorov.
5. Ita Milasch, *Jus ecclesiasticum*, versio græca, p. 151.

Cæterum, notandum est collectiones canonicas diversarum Ecclesiarum autocephalarum non paucas discrepantias præ se ferre, ad fontes juris canonici quod attinet. Theologi et canonistæ de œcumenica auctoritate quorumdam documentorum inter se dissentiunt; quod mirandum non est, cum neque circa naturam magisterii ecclesiastici, neque circa Ecclesiæ universalis extensionem inter se concordent.

### [III. — De fidei symbolis œcumenicis.

Inter diversa fidei symbola, Nicæno-Constantinopolitanum solum unanimiter recipitur in Ecclesia græco-russica tanquam professio fidei œcumenica. Non pauci enim theologi, præsertim ex Græcis, ut Mesoloras [1], Andrutsus [2], Damalas [3], hoc symbolum tantum tanquam Confessionem fidei authenticam habent.

Theologi russi auctoritatem œcumenicam communiter agnoscunt duobus aliis symbolis, scilicet symbolo Athanasiano et symbolo Gregorii Thaumaturgi [4]. Item Russi quidam œcumenicitatem tribuunt nostro symbolo Apostolorum [5], dum alii inter professiones fidei particulares illud recensent [6]. Jam in concilio Florentino, Marcus Ephesius declaraverat Ecclesiam orientalem symbolum Apostolorum ignorare et solum Nicæno-Constantinopolitanum agnoscere.

Symbolum Athanasianum a multis Græcis expresse rejicitur, et a quibusdam etiam acriter impugnatur, v. g., a Mesolora, qui de eo hæc scribit. « *In Ecclesia orientali* nunquam hoc symbolum magni factum est vel consideratione donatum; e contra, vehementer in idipsum nostri

1. Συμβολική, t. I, p. 35, 64.
2. Συμβολική, p. 17-18.
3. Περὶ αρχῶν, p. 50.
4. Ita Macarius, *Introductio ad orthodoxam theologiam*, ed. quinta russica, Petropoli, 1884, p. 414; Antonius, ed. græca, p. 30, 54; Malinovskii, *Compendium*, t. I, p. 22; Svietlov, *Christiana doctrina fidei apologetice exposita*, ed. tertia russica, t. I, Kioviæ, 1910, p. 180, 313; Sylvester Malevanskii, *op. cit.*, t. I, p. 62-63.
5. Ita Antonius, *op. cit.*, p. 30, 54; Svietlov, *op. cit.*, p. 180, 313
6. Cf. Malinovskii, *op. cit.*, t. I, p. 22, in nota; Damalas, *op. cit.*, p. 50, qui hoc symbolum vocat *pseudo-apostolicum*; Mesoloras, *op. cit.*, p. 38, qui ei concedit valorem relativum; Andrutsus, Συμβολική, p. 17.

decertarunt, cum neminem lateret suppositium esse symbolum, scriptoris occidentalis fœtum[1]; » a Damala[2], ab Andrutso[3], et præsertim a quodam recente theologo, Technopulo nomine, qui hoc symbolum vocat *symbolum mendax, spurium documentum a papicolis confectum, falsoque nomine in lucem prolatum, symbolum suppositium*, a latinis theologis commentum ad pravam sententiam de *Filioque* tuendam, *pontificium* κακόπλαστον, *reliquias pontificiæ tyrannidis*[4]. Inter Russos, Philaretus Tchernigoriensis nostro Athanasiano valorem œcumenicum etiam denegat[5].

Si Athanasianum tam vehementer a quibusdam impetitur, ratio est, quia in hoc documento dogma catholicum de processione Spiritus Sancti ab utroque aperte asseritur. Communiter contenderunt theologi « orthodoxi » particulam *Filioque* a Latinis post schisma photianum symbolo fuisse adjectam. Verum, hæc affirmatio est omnino falsa : Siquidem, jam ante Photium, Alcuinus († 804) Athanasianum cum illo *Filioque* noverat[6], et monachi Montis Oliveti (808-809) ad illud provocaverant ad tuendum dogma catholicum contra Joannis Sabaitæ impugnationes[7]. Exorta vero controversia photiana, theologi latini, ut Ratramnus Corbeiensis et Æneas Parisiensis, hoc symbolum item allegarunt. Sæculo XII, Hugo Etherianus illud Græcis objicit[8]. Etiam in Nymphænis collationibus (1234), legati S. Sedis hanc fidei professionem in medium protulerunt.

Hoc symbolum, ut videtur, in græcum translatum est circa sæculum decimum quartum vel quintum. Non omnes codices hujus translationis illud *Filioque* referunt; quidam tamen illud habent[9].

1. Damalas, *Op. cit.*, p. 64.
2. *Op. cit.*, p. 50.
3. *Op. cit.*, p. 17-18.
4. Cf. Palmieri, *Theol. orth.*, t. I, p. 380-381.
5. *Op. cit.*, t. I, p. 8 in nota.
6. *P. L.*, t. CV, col. 247.
7. Cf. supra, p. 168.
8. *De hæresibus Græcorum. P. L.*, t. CCII, col. 393.
9. Cf. Palmieri, *op. cit.*, t. I, p. 374, 378. Symbolum Athanasianum absque « Filioque, » inde ab anno 1680 ad nostra usque tempora, Psalterio quo utitur Ecclesia russica pro divini officii recitatione communiter adnectitur. Hujus Psalterii princeps editio a Simeone Polocensi,

## ARTICULUS II

### De libris symbolicis eorumque auctoritate [1].

#### De fidei confessionibus sæculi XVII [2].

Controversia est inter theologos græco-russos num, præter documenta œcumenica antiquæ Ecclesiæ, existant alii fontes divinæ traditionis qui auctoritate infallibili donentur. Quæstio præsertim agitatur quantum ad Confessiones fidei sæculi XVII, Confessionem scilicet Petri Moghilæ et Confessionem Dosithei, quæ ab omnibus Ecclesiis autocephalis tanquam fidei « orthodoxæ » typos communiter recipiuntur. Ultimum fundamentum dissensionis inter eos de hac quæstione vigentis a diversis conceptibus, quos de natura Ecclesiæ

Mosquæ, 1680, facta est. Sæculo XIX, idem symbolum in quibusdam *Horologii* Græcorum editionibus occurrit; in recentioribus vero editionibus, ob rationes polemicas, omnino omittitur. Cf. Palmieri, *ibid.*, p. 382-383.

1. Libros symbolicos Ecclesiæ græco-russicæ in unum collectos invenies : 1° apud E. J. Kimmel-Weissenborn, *Monumenta fidei Ecclesiæ orientalis*, 2 t. Ienæ, 1851; 2° apud I. E. Mesoloram, Συμβολικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, t. I, Τὰ συμβολικὰ βιβλία, Athenis, 1883; 3° apud J. Michalcescu, Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας, *Die Bekenntnisse und die wichtigsten Glaubenszeugnisse der griechisch-orientalischen Kirche im Originaltext, nebst einleitenden Bemerkungen*, Lipsiæ, 1904.

Nota singulas has collectiones quædam propria exhibere : Prima sola est quæ versionem latinam documentorum proferat; secunda sola est quae tria Jeremiæ II responsa ad Protestantes contineat; tertia ad documenta a Kimmel et Weissenborn edita adjecit excerpta quædam decretorum conciliorum œcumenicorum, liturgiam S. Joannis Chrysostomi, regulas monasticas S. Basilii et preces quasdam liturgicas. De libris symbolicis Græco-Russorum tractarunt : 1° W. Gass, *Symbolik der griechischen Kirche*, Berolini, 1872; 2° F. Kattenbusch, *Lehrbuch der vergleichenden Confessionskunde*, t. I, *Die orthodoxe anatolische Kirche*, Tubingæ, 1892; 3° A. Palmieri, *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. I, *capita* VII et VIII, p. 267-660. In hoc ultimo opere, copiosam bibliographiam invenies de unoquoque documento symbolico. Gass et Kattenbusch ad controversiam de auctoritate recentiorum librorum symbolicorum Ecclesiæ græco-russicæ vix alludunt.

2. De origine ac doctrina harum Confessionum quædam supra diximus, p. 509-511.

universalis necnon de magisterio ecclesiastico sibi efformant, repetendum est. Quidam enim ex ipsis negant Ecclesiam orientalem solam constituere Ecclesiam universalem seu catholicam. Alii vero, quamvis admittant hanc Ecclesiam esse solam veram et unicam Christi Ecclesiam, docent tamen solum concilium œcumenicum, id est, solum magisterium Ecclesiæ solemne et extraordinarium, infallibilitate gaudere; magisterium vero ordinarium hoc privilegio destitui; ita ut, etiamsi supremi præsules omnium Ecclesiarum autonomarum per epistolas inter se conveniant in approbanda aliqua fidei formula, hæc tamen non habeat valorem dogmaticum absolutum, sed tantummodo valorem relativum, qui judicandus sit ex conformitate quam habet ad S. Scripturam et ad decreta infallibilia Ecclesiæ octo priorum sæculorum. Theologi qui sive hanc sive illam sententiam tenent, logice admittere non possunt supradictas Confessiones œcumenica et infallibili auctoritate insigniri. Illi vero soli quibus Ecclesia græco-russica est Ecclesia universalis, quique insuper magisterio Ecclesiæ ordinario infallibilitatem tribuunt, logica consequentia hujusmodi Confessiones infallibiles profiteantur necesse est. Etenim hujusmodi Confessiones ab omnibus Auctoritatibus ecclesiasticis Græco-Russorum diversis temporibus, tanquam doctrinam « orthodoxam » exprimentes approbatæ sunt. Notandum autem theologos dissidentes sententias ex principiis a se confessis logice fluentes non semper amplecti. Unde fit, ut ex ipsis quidam magisterii ordinarii infallibilitatem admittant, quin Confessiones sæculi XVII tanquam documenta infallibilia habere velint.

Inter theologos qui duabus fidei Confessionibus supradictis auctoritatem absolutam et infallibilem denegant, nominandi sunt :

1° Philaretus Gumilevskii, qui de Confessione Petri Moghilæ hoc profert judicium : « Haud quidem minuero valorem operis Isaiæ Kozlovskii [1], si veritatem dixero : In ea Confessione, occurrunt scholasticæ quædam sententiæ, quas haud feliciter auctor suas fecit, v. g., de materia et

1. Secundum quosdam auctores, Isaias Trophimovitch Kozlovskii hegumenus monasterii Kioviensis sancti Nicolai, in componenda Confessione Moghilæ præcipuas partes habuerit.

forma sacramentorum, de creatione animæ humanæ. Majus onus quam tempore illo ferre valeret, sibi sumpsit Petrus Moghilas [1] »;

2° Antonius Amphiteatrov, qui has Confessiones ut utiles quidem habet, documentis vero œcumenicis postponit [2];

3° Sylvester Malevanskii, qui Confessionem Moghilæ inter professiones fidei Ecclesiæ russicæ proprias, Confessionem vero Dosithei inter libros symbolicos Ecclesiæ græcæ proprie dictæ recenset [3];

4° Malinovskii, secundum quem hujusmodi Confessiones sunt expositiones fidei seu libri symbolici particulares Ecclesiæ græco-russicæ, quarum valor dogmaticus ex earum conformitate ad expositiones fidei œcumenicas est perpendendus [4];

5° Svietlov, qui de his eamdem sententiam profert quam Malinovskii [5];

6° Alii theologi russi qui inde ab anno 1875 de unione cum Veteribus Catholicis ineunda scripserunt, ut Bolotov, Yanychev, Kireev, etc. [6].

7° In tomo xii *Encyclopediæ theologicæ russicæ*, Petropoli, 1911, ad articulum *Libri symbolici*, P. Ponomarev et V. Kerenskii libros symbolicos Ecclesiæ græco-russicæ a Confessionibus fidei Ecclesiæ universæ sedulo distinguunt. Secundum Ponomarev, Confessio Moghilæ, prout a Meletio Syrigo correcta est, doctrinam Græcorum sæculi xvii potiusquam doctrinam Russorum ejusdem ævi repræsentat; quod omnino verum est. In ea, præter dogmata, occurrunt quædam *theologumena* seu opiniones theologicæ [7]. V. Kerenskii fatetur « Ecclesiam orthodoxam non habere libros symbolicos proprie dictos, ex ipso canone Vincentii Lirinensis :

1. *Conspectus litteraturæ ecclesiasticæ russicæ*, 3ª ed. Petropoli, 1884 t. i, p. 194
2. *Op. cit.*, p. 55.
3. *Op. cit.*, t. i, p. 63-64.
4. *Op. cit.*, t. i, p. 23-24.
5. *Op. cit.*, t. i, p. x.
6. De doctrina horum theologorum circa Confessiones fidei sæculi xvii cf. *Revue internationale de théologie*, année 1898, p. 681-712; 1899, p. 583-585; 1903, p. 1-6, 413, 567-573; 1904, p. 700 sq.
7. *Encyclopædia theologica russica*, t. xii, col. 4, 15.

*Id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus*, etc., sed tantummodo quasdam expositiones fidei plus minusve accurate veritatem dogmaticam referentes, ut *Epistolam Patriarcharum* [1] et *Catechismum Philareti;* Ecclesiam vero romanam libros symbolicos proprie dictos possidere, quia hæc Ecclesia, canone liriniano posthabito, infallibilitatem unius, nempe episcopi Romani, agnovit [2] ».

8° Græcus N. M. Damalas eamdem omnino sententiam tuetur : « Ecclesia orthodoxa tanquam fontem authenticum suorum dogmatum habet definitiones et canones septem conciliorum œcumenicorum necnon synodorum particularium et Patrum ab his approbatorum Nomocanonique insertorum... Omnes vero aliæ Confessiones sive synodorum particularium sive Patrum vel episcoporum vel etiam fidelium, quæ ab aliquo concilio œcumenico examinatæ non fuerunt, tanquam certus et securus dogmatum orthodoxorum fons considerari non possunt, sed considerationem eatenus tantum merentur, quatenus cum sancta Scriptura et œcumenicis synodis congruunt. Hoc est principium Ecclesiæ nostræ orthodoxæ vetustissimum... Hæc est communis et catholica sententia Ecclesiæ nostræ necnon russorum theologorum [3]. »

9° Andrutsus, in sua *Symbolica* necnon in *Dogmatica*, de hac quæstione obscure locutus fuerat [4]. Novissime vero aperte declaravit « vocem concilii œcumenici esse solam vocem canonicam Ecclesiæ », magisteriumque ordinarium, prout a quibusdam theologis « orthodoxis » proponitur, inutile esse, imo periculosum et damnosum [5].

1. Notum est hac appellatione designari apud Russos Confessionem Dosithei.

2. *Ibid*,, col. 32-33.

3. Πᾶσαι δὲ αἱ ἄλλαι τοπικῶν συνόδων καὶ κατὰ μέρος πατέρων, ἢ ἐπισκόπων, ἢ πιστῶν ἐν γένει ὁμολογίαι, αἵτινες δὲν ἐνεκρίθησαν ὑπὸ οἰκουμενικῆς συνόδου, δὲν δύνανται νὰ θεωρηθῶσιν ὡς βέβαιος καὶ ἀσφαλὴς τῶν ὀρθοδόξων δογμάτων πηγή, ἀλλὰ κατὰ τοσοῦτο μόνον δύνανται νὰ ληφθῶσιν ὑπ' ὄψιν, καθ' ὅσον μετὰ τῆς ἁγίας γραφῆς καὶ τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων συμφωνοῦσι.... Αὕτη εἶναι ἡ κοινὴ καὶ καθολικὴ γνώμη τῆς τε ἡμετέρας Ἐκκλησίας, ὡς καὶ τῶν Ρώσσων θεολόγων. Περὶ ἀρχῶν, p. 48-50.

4. Συμβολικὴ ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου,, p. 31-36; Δογματική, p. ι'.

5. Ἐκκλησία καὶ πολιτεία ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου, Athenis, 1920, p. 107-108 in nota : Ἡ μόνη κανονικὴ φωνὴ τῆς Ἐκκλησίας εἶνε ἡ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου.

10° Chrysostomus Papadopulus, qui sedem metropolitanam Athenarum nunc tenet, in quodam articulo de *Dositheo patriarcha hierosolymitano*, in « Νέα Σιών » anno 1907 edito, hæc scripsit « : Per se patet Confessionem Dosithei cæterasque Confessiones orthodoxas sæculi XVII et decreta synodalia absolutam et infallibilem auctoritatem dogmaticam non habere, sed tantummodo valorem relativum theologicum, quandoquidem nec sententiæ sunt neque symbola conciliorum œcumenicorum [1]. »

11° Recentissime D. S. Balanos quæstionem de libris symbolicis in quodam opusculo ex professo tractavit : Ad libros symbolicos Ecclesiæ græco-russicæ a Kimmel editos quod attinet, ad hanc devenit conclusionem :

« Hoc autem examinandum est : Num scilicet fontes hujusmodi tanquam libri symbolici Ecclesiæ orthodoxæ recte habeantur, conditionesque adimpleant quibus satisfaciat necesse est aliquod scriptum, ut notas libri symbolici præ se ferat ? Respondemus sine ulla hæsitatione : Minime. Aliquod scriptum tanquam liber symbolicus haberi non potest ob hoc solum quod ab aliquo vel a quibusdam theologis ut tale notatur vel declaratur. Ut aliquod scriptum tanquam liber symbolicus æstimetur, aliquas conditiones essentiales implere debet : Oportet nempe, ut orthodoxum habeat auctorem — quod præsuponitur —; ut ex Ecclesiæ epocha *constitutiva*, aut saltem *reformativa*, proveniat; ut ab universa Ecclesia tanquam symbolicus prædicetur per decretum publicum et authenticæ auctoritatis; oportet insuper, ut ejus doctrina sit omnino orthodoxa, ab omni extraneo influxu pura; ut non tantum characterem polemicum et refutatorium, verum etiam characterem positivum et veritatis expositivum præ se ferat, novamque quamdam expressionem vivo spiritui Ecclesiæ respondentem; ejusque auctoritas et influxus manifestus appareat in vita ecclesiastica, religiosa et theologica Ecclesiæ... Confessiones Dosithei et Moghilæ nihil aliud sunt nisi catechismi orthodoxi orien-

1. Εὐνοητέον δὲ ὅτι ἡ Ομολογία τοῦ Δοσιθέου καὶ αἱ λοιπαὶ ὀρθόδοξοι ὁμολογίαι τοῦ ιζ΄ αἰῶνος, καὶ συνοδικαὶ ἀποφάνσεις ἔχουσιν ἀξίαν οὐχὶ ἀπόλυτον καὶ ἀλάνθαστον δογματικήν, ἀλλὰ σχετικὴν, θεολογικὴν καὶ ἱστορικήν, διότι δὲν εἶνε ἀποφάνσεις οἰκουμενικῶν συνόδων οὐδὲ σύμβολα. Νέα Σιών, t. IV (1907), p. 127.

talis Ecclesiæ, continentes in compendio doctrinas ejus. Sed quomodo fieri potest, ut aliquis catechismus, qui nonnisi tanquam expressio alicujus periodi temporariæ considerari potest, auctoritatem libri symbolici nactus sit, ob id solum quod titulo « Confessionis » ab auctore insignita fuerit, vel quod pro se habeat aliquem sententiam synodalem aut patriarchalem hoc tantum testificantem, scilicet quod in illo generatim non occurrat heterodoxa doctrina? [1]»

Et pergit theologus græcus plures evolvendo rationes, quibus demonstrare nititur Confessiones sæculi xvii indole et notis librorum symbolicorum veri nominis plane carere.

His Confessionibus, e contra, auctoritatem absolutam tribuunt, easque conciliis œcumenicis æquiparant multi theologi quum Russi tum Græci :

1° Primo quidem, quatuor patriarchæ orientales Confessionem Petri Moghilæ a Meletio Syrigo correctam græceque redditam synodali sententia, anno 1643, approbarunt *tanquam doctrinæ orthodoxæ omnino consonam et in nullo ab ea discrepantem* [2]. Iidem, anno 1723, Confessionem Dosithei ad Russos miserunt tanquam *Orthodoxiæ expositionem* (ἔκθεσις ὀρθοδοξίας) [3].

2° In *Epistola synodali* Paisii I, patriarchæ œcumenici, de quæstionibus liturgicis ad Niconem patriarcham Russorum, mense decembri anni 1654 missa, Confessio Petri Moghilæ nuncupatur opus synodi Constantinopolitanæ approbatum et confirmatum ab omnibus patriarchis, in quo invenire est *omnes articulos fidei antiquæ Ecclesiæ orientalis* [4].

3° Anno 1685, patriarcha Mosquensis Joachimus eamdem

1. D. S. Balanos, Σύμβολα καὶ συμβολικὰ βιβλία, Athenis, 1919, p. 18-19, 21 : Αἱ ὁμολογίαι τοῦ Δοσιθέου καὶ τοῦ Μογίλα δὲν εἶναι ἄλλο ἢ κατηχήσεις ὀρθόδοξοι τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, περιέχουσαι ἐν περιλήψει τὰς διδασκαλίας αὐτῆς. Ἀλλὰ πῶς εἶναι δυνατὸν εἰς μίαν κατήχησιν, ἥτις δύναται νὰ ἰσχύῃ μόνον ὡς ἔκφρασις χρονικῆς τινος περιόδου, ν' ἀποδοθῇ κῦρος συμβολικοῦ βιβλίου, μόνον καὶ μόνον διότι ἐπροικίσθη ὑπὸ τοῦ σύγγραφέως της διὰ τοῦ τίτλου « ὁμολογία ».

2. « Εὕρομεν αὐτὸ ἐπακόλουθον τοῖς δόγμασι τῆς τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας καὶ ὁμόφωνον τοῖς ἱεροῖς κανόσι, κατ' οὐδὲν ἐναντιούμενον αὐτῇ. » Kimmel, *Monumenta fidei Ecclesiæ orientalis*, pars I, p. 53. Ienæ, 1850.

3. Mansi-Petit, t. xxxvii, col. 540.

4. Ἐσύνθεσεν ἡ ἁγία σύνοδος ἡμῶν ἕνα βιβλίον εἰς κοινὴν γλῶσσαν ἐπιγεγραμμένον. Ὀρθόδοξος ὁμολογία τῆς Πίστεως τῆς καθο-

Confessionem Moghilæ approbavit, occasione translationis textus græci a Panaghioti, Amstelodami anno 1667 editi, in dialectum sloveno-russicam. Hæc autem versio sloveno-russica anno 1696, jussu Petri Magni, approbante patriarcha Adriano, Mosquæ edita est. Eodem anno, patriarcha Adrianus pastoralem exhortationem ad christianos orthodoxos omnes direxit, in qua præfatam Confessionem valde commendabat *tanquam librum divinitus inspiratum* [1].

4° De Actis concilii hierosolymitani anni 1672 necnon de Confessione Dosithei Russus Alexander Gorsky hæc sentit : « Momentum dogmaticarum definitionum, quas hæc synodus protulit totaque Ecclesia orientalis suscepit, *valorem symbolicum* in Ecclesia orthodoxa eis confert, atque in controversiis cum duobus cœtibus christianis præcipuis nobis statuit quid sit respondendum in multis punctis ab antiquis conciliis nullo examini subjectis [2]. »

5° Archipresbyter E. Popov Confessionem Moghilæ ut librum symbolicum proprie dictum habet, cujus auctoritas decretis conciliorum œcumenicorum non cedit [3].

6° Ivan Sokolov Confessioni Dosithei « auctoritatem œcumenicam seu catholicam » tribuit [4].

7° Item, theologi russi rigidiores qui quæstioni de unione cum Veteribus Catholicis se immiscuerunt, absolutam auctoritatem harum Confessionum necessitatemque pro quolibet fideli Ecclesiæ græco-russicæ earum doctrinam retinendi contra theologos liberales acerrime tuiti sunt. Ita Sergius, episcopus Yamburgensis [5], Goussev [6], etc.

λικῆς, ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας τῆς ἀνατολικῆς, εἰς τὸ ὁποῖον ἐπερισφαλίσαμεν ὅλα τὰ ἄρθρα τῆς ἀρχαίας ἡμῶν πίστεως. De hac epistola cf. quae supra diximus, p. 514, nota 3.

1. Hæc Adriani epistola in *Lectione christiana*, 1843, t. IV, p. 376 sq., edita est. Cf. Ponomarev, *art. cit., loc. cit.*, p. 13-14.

2. Testimonium ab A. Palmieri, *Theologia orthodoxa*, t. I, p. 486, allatum.

3. *Sermones*, t. I, p. 128. Cf. Palmieri, *op. cit.*, p. 560.

4. In articulo *Dositheus*, t. VI *Encyclopædiæ theologicæ russicæ*, p. 442.

5. In dissertatione inscripta : *Quid nos dividit a Veteribus Catholicis ?*, in *Tserkovnyi Viestnik*, fasc. 43, 44, 45, anni 1903. Cf. *Revue internationale de théologie*, avril-juin 1904, p. 159-189.

6. Cf. *Revue internationale de théologie*, juillet-septembre 1899, p. 583-585.

8° Serbus Nicodemus Milasch de hujusmodi documentis pronuntiat: « *Habent vim et auctoritatem absolutam pro quolibet membro Ecclesiae...* Omnes orthodoxæ Ecclesiæ hunc libellum (scilicet Confessionem Dosithei) receperunt *tanquam infallibilem doctrinam fidei orthodoxæ* [1]. »

9° Græcus Zikos Rhosis declarat has Confessiones « publicam et obligatoriam auctoritatem habere pro quolibet genuino membro Ecclesiæ orthodoxæ catholicæ », in eosque invehitur qui erronee putant omnia dogmata hujus Ecclesiæ in decretis septem priorum conciliorum œcumenicorum contineri [2].

Notandum est autem quosdam theologos de auctoritate hujusmodi Confessionum obscure loqui; siquidem, ex una parte, illas a conciliis œcumenicis secernunt, ad valorem dogmaticum quod spectat; ex alia vero parte, ita earum auctoritatem extollunt, ut hanc summam esse atque absolutam insinuare videantur. Ita Macarius, qui in *Introductione ad theologiam orthodoxam*, has *Expositiones fidei* in secundo gradu, post concilia et symbola œcumenica, ponit, asseritque eas suum valorem trahere ex conformitate quam habent ad antiquas fidei expositiones Ecclesiæ œcumenicæ [3], et paulo infra, eas appellat regulas ac lydios lapides « Orthodoxiæ [4] ». Item, in tomo I *Theologiæ dogmaticæ*, miras texit laudes in *Orthodoxam Confessionem* Petri Moghilæ, quam « primum librum symbolicum orientalis Ecclesiæ » nuncupat extollitque supra omnia scripta Patrum [5].

1. N. Milasch, *Jus ecclesiasticum*, ed. græca, p. 626-627 : Ἔχουσιν ἰσχὺν καὶ κῦρος ἀπόλυτον ἐπὶ πάντα μέλη τῆς Ἐκκλησίας.... Πᾶσαι αἱ ὀρθόδοξοι Ἐκκλησίαι ἐδέχθησαν τὸ βιβλίον τοῦτο ὡς ἀλάθητον διδασκαλίαν τῆς ὀρθοδόξου πίστεως.

2. Ὡς συμπληροῦσαι τὰς ἀποφάνσεις καὶ τοὺς ὅρους τῆς πίστεως τῶν οἰκουμενικῶν καὶ λοιπῶν ἱερῶν συνόδων τῆς ἀρχαίας καθολικῆς Ἐκκλησίας.... ἔχουσιν αὐθεντικὸν καὶ ὑποχρεωτικὸν κῦρος εἰς πᾶν γνήσιον μέλος τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας. Σύστημα δογματικῆς, p. 59.

3. *Introductio ad theologiam orthodoxam*, p. 414-415.

4. *Ibid.*, p. 418.

5. *Pravoslavno-dogmatitcheskoe Bogoslovie*, 4ª ed., Petropoli, 1883, t. I, p. 56-57 : « *Orthodoxa Confessio* novam revera epocham in historia theologiæ orthodoxæ constituit. Illatenus, filii Ecclesiæ orientalis nullum habebant librum symbolicum proprium, in quo invenire possent sufficientem fidei explicationem Ecclesiæ nomine propositam.... Ortho-

Mesoloras vero de diversis Confessionibus fidei post Constantinopolim a Turcis captam editis, tribus responsis Jeremiæ II non exceptis, hæc habet :

« Hujusmodi Confessiones non habent valorem historicum symboli œcumenici, cum a synodo œcumenica non fuerint compositæ. Cum autem tota Ecclesia orthodoxa eas receperit..., tanquam soli libri symbolici nostræ Symbolicæ consideratæ sunt, et revera exstant... Sunt fidei nostræ expositiones orthodoxæ et secunda regula fidei post primum œcumenicum symbolum et septem œcumenicas synodos, quæ sunt regula fidei immobilis et irreformabilis [1]. »

Ex his verbis apparet Mesoloram Confessionibus fidei non tribuere auctoritatem infallibilem, cum earum doctrina, juxta ipsum, non sit omnino irreformabilis. Quid ergo eas appellat solos libros symbolicos Ecclesiæ græco-russicæ ?

### II. — De auctoritate catechismi Philareti.

Huic catechismo eamdem auctoritatem quam duabus supradictis fidei Confessionibus tribuere videntur quidam theologi russi. Ita Magarius [2] et Philaretus Gumilevskii [3]. N. Milasch hoc diserte affirmat; imo eamdem auctoritatem agnoscit omnibus catechismis ab Ecclesia approbatis [4]. Ple-

doxa Confessio Petri Moghilæ, quæ examinata et correcta fuit in duabus synodis (Kioviensi, anno 1640, et Iasiensi, anno 1643 (?), examinata deinde et confirmata a quatuor œcumenicis patriarchis necnon a patriarchis russis Joachimo et Adriano, primus liber symbolicus Ecclesiæ orientalis visus est. Ibi primum in ejus nomine accurate exposita sunt omnia ejus dogmata, ad refutandas non solum hæreses antiquas, verum etiam novos errores in Occidente exortos, a tempore ejus separationis ab œcumenica Orthodoxia. »

1. Συμβολική, t. II, p. ζ'-η' : Ἐθεωρήθησαν καὶ εἶνε τὰ μόνα συμβολικὰ βιβλία, ἅτινα ἡ Συμβολικὴ ἡμῶν ὑπ'ὄψιν λαμβάνει ἐν τῇ ἐκθέσει τῆς συστηματικῆς διδασκαλίας τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν πίστεως..... Θεωροῦμεν τὰς ὁμολογίας ταύτας ὡς ὀρθοδόξους τῆς πίστεως ἡμῶν ἐκθέσεις, ὡς συμβολικὰ ἡμῶν βιβλία, ὡς δεύτερον κανόνα πίστεως μετὰ τὸ πρῶτον οἰκουμενικὸν σύμβολον καὶ τὰς ἑπτὰ οἰκουμενικὰς συνόδους, αἵτινες εἶνε ὁ ὑποχρεωστικὸς κανὼν τῆς πίστεως ὁ ἀνεπίδεκτος προσθαφαιρέσεως.

2. *Introductio ad theologiam*, p. 418, ubi hic Catechismus declaratur unus e lydiis lapidibus Orthodoxiæ.

3. *Orthodoxa dogmatica Theologia*, t. I, p. 8.

4. *Op.* et *loc. cit.*

rique vero theologi, Russis non exceptis, hunc Philareti catechismum ut librum symbolicum *solius Ecclesiæ* russicæ communiter habent [1].

### III. — De responsis Jeremiæ II ad Protestantes.

Pauci theologi hujusmodi Responsa, de quibus in secundo tractatu egimus, duabus Confessionibus, quantum ad auctoritatem dogmaticam, omnino æquiparant [2]. Alii, ut Andrutsus, inter libros symbolicos secundarios illa recensent, dum inter documenta majoris auctoritatis Acta synodi Constantinopolitanæ anni 1638 et synodi Iasiensis anni 1642 ea expresse computant [3].

### IV. — De confessione Metrophanis Critopuli.

Theologi fere omnes valorem symbolicum huic Confessioni denegant, neque de hac, ut videtur, unquam locuti fuissent, si Lutheranus Weissenborn collectioni librorum symbolicorum Ecclesiæ orientalis a Kimmel primum editæ eam non adjecisset. Notandum tamen quosdam inter recentes illam magni facere. Ita Mesoloras [4]; Andrutsus, qui eam ponit inter libros symbolicos secundarios, ejusque orthodoxiam tuetur [5]; Michalescu, qui, quantum ad quædam doctrinæ capita, Confessioni Petri Moghilæ eam anteponit [6].

### V. — De confessione Gennadii.

Confessionem Gennadii breviorem magni æstimat Mesoloras [7], qui ei primas post symbolum Nicæno-Constantinopolitanum tribuit. Andrutsus, e contra, omnem valorem symbolicum ei denegat [8]. Cæterum, pauci sunt qui de ea mentionem faciant; qui vero faciunt, inter libros symbolicos solius Ecclesiæ græcæ illam reponunt.

1. Ita Sylvester Malevanskii, *loc. cit.*; Malinovskii, *loc. cit.*; Ponomarev, *loc. cit.*, p. 4-5. Cf. ea quæ supra diximus de hoc Catechismo, p. 608.
2. Ita Mesoloras, Συμβολική, t. II. p. ζ'-η'.
3. Συμβολική, p. 35-36.
4. « Μεγίστην ἀξίαν ἔχει ». Συμβολική, t. I, p. 277-278.
5. *Op. cit.*, p. 36-37.
6. *Die Bekenntnisse der Griesch. Or. Kirche*, p. 185.
7. Συμβολική, t. I, p. 72.
8. « Στερεῖται πάσης συμβολικῆς ἀναχρώσεως ». *Op. cit.*, p. 32 in nota.

## ARTICULUS III

### De libris symbolicis particularibus.

Ut ex supra dictis apparet, quædam documenta, v. g., *Catechismus Philareti*, *Confessio Gennadii*, *Jeremiæ II Responsiones*, a pluribus theologis non habentur ut libri symbolici totius Ecclesiæ « orthodoxæ ». Sunt enim qui dicunt catechismum Philareti esse librum symbolicum solius Ecclesiæ russicæ, Confessionem vero Gennadii et Jeremiæ Responsiones, libros symbolicos solius Ecclesiæ græcæ. Exstant autem et quædam alia documenta, quæ sine ulla controversia inter particulares traditionis fontes ab omnibus recensentur. Ad hanc classem pertinent :

1° *Pro Russis : Confessiones fidei præscriptæ pro reconciliatione dissidentium christianorum vel pro infidelium receptione; duodecim anathematismi* qui in Officio Dominicæ Orthodoxiæ, prout ab Ecclesia russica sæculo XVIII constitutum est, occurrunt;

2° *Pro Græcis : Confessio fidei Gregorii Palamæ* (quam notat Sylvester Malevansky), *Catechismus Meletii Pigæ;* diversæ epistolæ encyclicæ quatuor patriarcharum orientalium, ut *Epistola ad fideles Antiochenas*, anno 1722 data; *Confessio dicta Chrysanthi* (1727); *Encyclica ad omnes Orthodoxos*, anno 1848 data, etc.

Notandum est quosdam theologos, præsertim inter Russos, encyclicis dogmaticis a quatuor patriarchis orientalibus subsignatis auctoritatem œcumenicam olim tribuisse, et nostris etiam diebus tribuere. Ita, v. g., Alexander Lebedev, in sua polemica dissertatione *De primatu papæ*, p. 345, docet Encyclicam Epistolam quatuor patriarcharum orientalium, anno 1848, ad omnes christianos orthodoxos directam et ab omnibus Ecclesiis orthodoxis receptam, « sententiam universæ Ecclesiæ esse, vimque libri symbolici nactam fuisse ».

## NOTA AD TRACTATUM TERTIUM

Quidam theologi coævi, unionis cum aliis Ecclesiis christianis pangendæ studiosi, ad sola decreta septem priorum conciliorum œcumenicorum, tanquam ad fundamentum unionis inconcussum ac sufficiens, provocare solent, omniaque alia missa faciunt; siquidem de conciliis particularibus ab œcumenicis approbatis, vel de fidei Confessionibus sæculi XVII prorsus tacent; neque de œcumenicitate synodi Trullanæ quæstionem movent. Ita præsertim egerunt multi ex theologis russis recentioribus, qui cum Veteribus Catholicis unionem inire tentarunt. Eamdem viam secutus est Anthimus VII, patriarcha œcumenicus, in sua encyclica de unione, anno 1895 data.

Apud quosdam tantum theologos, ut Macarium, Antonium, quædam a catholica theologia mutuata invenies de Patrum auctoritate, de praxi universali cum dogmate connexa, de auctoritate liturgiæ, necnon de historia ecclesiastica aliisque traditionis fontibus subsidiariis.

# APPENDIX

## DE PHOTII CULTU IN ECCLESIA GRÆCO-RUSSICA

Cardinalis Hergenröther, qui omnia ad Photium pertinentia accuratissime investigavit, bona fide asseruit cultum Photio apud Græcos præstitum ultra sæculum xv non progredi, testimonio præsertim innixus Gregorii Mammæ, qui Marcum Ephesium post synodum Florentinam sic alloquitur :

« Quod si Photius patriarcha dixit ex solo Patre Spiritum Sanctum procedere, at animadvertito Photium non esse in sanctorum numero collocatum, licet una simul et eodem tempore vixerint Photius et Ignatius. Sed hic quidem inter sanctos adnumeratur, et die xxiii octobris in Synaxariis locum habet ; Photius vero nullo modo sanctitatis nomen consecutus est [1]. »

Mirum sane est Gregorium hæc protulisse, cum inde a sæculo xi, in non paucis codicibus *Synaxaria Ecclesiæ Constantinopolitanæ* continentibus, ad diem sextam Februarii, Photii nomen occurrat, hac declaratione notatum :

Μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν καὶ ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως Φωτίου· τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῷ προφητείῳ τοῦ ἁγίου προφήτου καὶ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου, τῷ ὄντι ἐν τοῖς Ἐρημίας : *Memoria sancti Patris nostri et archiepiscopi Constantinopolis, Photii; celebratur autem ejus synaxis in monasterio sancti prophetæ et Baptistæ Joannis, ad locum Eremiæ dictum sito* [2].

Item cultus Photii indicia deteguntur in quibusdam

1. Εἰ δ' ὁ Φώτιος πατριάρχης εἶπεν, ἀλλ' ὅρα, ὅτι ἐν ἁγίοις οὐ συντέτακται. *Apologia contra Ephesium. P. G.*, t. cix, col. 76. Cf. Hergenröther, *Photius*, t. ii, p. 720.

2. Hæc verba leguntur in codice græco 40 monasterii Sanctæ Crucis, prope Hierosolymam, sæc. x-xi exarato. Eadem occurrunt : 1° in cod. *219* bibliothecæ regiæ Berolinensis, quem *Synaxarium Sirmondi* vocant, sæc. xii-xiii transcripto; 2° in cod. Paris, græc. *1594*, sæcul. xii, ubi

antiquis codicibus τοῦ Ἀποστόλου καὶ τοῦ Εὐαγγελίου, ubi lectiones liturgicæ ex Evangelio et Epistolarum libro pro die festo Photii assignantur [1].

Cum antiquissimum Synaxarium nomen Photii referens circa finem sæculi x vel sæculo xi ineunte fuerit exaratum, sequitur ejus cultum saltem eodem tempore incepisse. Num vero, ut vult Papadopulus-Kerameus, statim post mortem, Photius inter sanctos fuerit relatus, hoc nullo certo testimonio evincitur. Non enim probat, sed gratis asserit præfatus auctor Photii nomen *Synodico* Dominicæ Orthodoxiæ statim adjectum fuisse, ita ut, jam anno 897 [2], dominica die

Photius vocatur etiam *thaumaturgus*, τοῦ ὁσίου καὶ θαυματουργοῦ; 3° in cod. *Ambros. græc. C. 101*, Supplem., sæcul. xii; 4° in codice *Petropolitano 227*, sæcul. xii, 5° in *cod. græc. 354* bibliothecæ synodalis Mosquensis, anno 1295 exarato; 6° in cod. *Petropol. 231*, sæcul. xiv; 7° in cod. *Basileensi A. III, 16*, sæcul. xv. Cf. Hip. Delehaye, *Synaxarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ : Acta Sanctorum novembris. Propylæum*, p. 448. Versiones quædam slavicæ Synaxarii Constantinopolitani, quae Photii festum referunt, in bibliothecis russicis inveniuntur; quod tamen non indicat festum Photii inter Slavos olim celebratum fuisse. Idem dicendum de ἀκολουθίᾳ Photii apud Græcos usitata, et sæculo xviii slavice edita.

1. Papadopulus-Kerameus, Ὁ πατριάρχης Φώτιος ὡς πατὴρ ἅγιος τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας, in *Byzantinische Zeitschrift*, 1899, t. viii, p. 647-671. Quidam ex codicibus ab auctore hujus articuli memoratis ad sæcul. xi vel ad sæcul. xii pertinent, p. 668-669.

2. De tempore quo Photius mortuus fuerit, certant inter se historici. Hergenröther affirmat illum e vita cessise anno 891. P. Lapôtre, in suo opere : *Le pape Jean VIII*, Paris, 1895, p. 69, necnon in quodam articulo edito in *Études religieuses*, 1891, t. i, p. 252, eum usque ad diem sextam februarii anni 898 vitam protraxisse contendit; ea siquidem quæ Photius de quodam papa, in *Mystagogia Spiritus Sancti*, c. lxxxviii, *P. G.*, t. cii, col. 377, obscure narrat, Lapôtre de papa Formoso post mortem effosso et publice degradato intelligit; quod non omnino certum ac perspicuum, sed tantummodo probabile nobis videtur. Papadopulus-Kerameus vero, *art. cit.*, p. 654-657, Photium anno 897, die 6 februarii, obiisse existimat. Mortuus est autem Photius ἐν μονῇ τῶν Ἀρμενιακῶν ἢ Ἀρμονιανῶν, Bordonis seu Gordonis Βόρδονος ἢ Γόρδονος dicta, ubi exsulabat. Postea vero — Papadopulus dicit ex mera opinione : *statim post mortem* — ejus corpus in ecclesia monasterii sancti Joannis Baptistæ, ab ipso fundati, pro monialibus et vulgo dicti *Eremiæ* (τῆς Ἐρημίας ἢ Ἡρεμίας, vel ἐν τοῖς Ἐρημίας, imo : τοῦ Ἱερεμίου), in loco vocato Merdosagaris (Μερδοσαγάρης) siti, translatum est.

Orthodoxiæ, in Magna Ecclesia conclamatum fuerit : « Τῷ ὀρθοδόξῳ πατριάρχῃ Φωτίῳ αἰωνία μνήμη. — Τὰ λαληθέντα καὶ γραφέντα κατὰ Ἰγνατίου καὶ Φωτίου, τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, ἀνάθεμα : *Orthodoxo patriarchæ Photio æterna memoria. Quæcumque dicta vel conscripta fuere contra Ignatium et Photium, sanctissimos patriarchas, anathema.* Hujusmodi enim acclamationes neque Officio dominicæ Orthodoxiæ neque *tomo unionis* anni 920 principio insertæ erant; sed ad ipsum tomum unionis, cujus memoria quotannis agebatur, tempore Sisinnii patriarchæ, anno 996, in modum supplementi adjunctæ sunt; quando scilicet schisma Euthymianorum omnino cessavit [1]. Hac ergo occasione, ut videtur, Photius cultu publico coli cœpit, saltem in monasterio Sancti Joannis a se fundato; unde, ut vidimus, ejus nomen in quibusdam Synaxariis sæculi XI et sæculi XII occurrit.

Dico *in quibusdam Synaxariis*, et non in omnibus. In multis enim exemplaribus Synaxarii Constantinopolitani inter antiquiora, ejus nomen tacetur, dum Ignatius in eisdem nominatur [2]; ex quo conjicere possumus Photii cultum

1. Notum est *tomum unionis* (ὁ τόμος τῆς ἑνώσεως) referri ad quæstionem de *tetragamia*, cujus causa novum schisma in ipsa Ecclesia byzantina et cum Ecclesia romana exortum fuerat. Anno 920, unio pacta est inter adversarios tetragamiæ et ejus defensores, seu inter asseclas Nicolai Mystici et asseclas Euthymii jam defuncti. Huic unioni, circa annum 923, Romanus Pontifex per suos legatos accessit. In ipso tomi unionis textu, Mansi, t. XVIII, col. 335-342, nulla Photii mentio occurrit. Acclamationes vero quæ subsequuntur, ut ex ipsa nota per modum inscriptionis eis præfixa constat, adjectæ fuerunt initio patriarchatus Sisinnii, quando ultimi Euthymiani schismati valedixerunt. In ipsis acclamationibus, ultimus patriarcha Constantinopolitanus cujus nomen occurrit, est Antonius III (974-980). Nota in textu acclamationum apud Mansi vulgato, deesse verba Τὰ λαληθέντα καὶ γραφέντα, κτλ, et solummodo occurrere : *Photio et Ignatio æterna memoria.* Probabile est, paulo post, id est tempore, Sergii II patriarchæ (999-1019), Photii consanguinei, verba Τὰ λαληθέντα κτλ, addita fuisse.

2. Nomen Photii deest : 1° in *codice 266* monasterii Sancti Joannis, in insula Patmo, qui sæculox transcriptus est, et est omnium antiquissimus; 2° in cod. *Vaticano græco 1613*, sæculo XI exarato, qui *Menologium*, dictum Basilii II imperatoris (963-1025) continet; 3° in codice *Mediceo-Laurentiano*, San Marco 787, anno 1050 transcripto; in cod. *Paris. græco* 1590, anno 1063 exarato; 4° in *cod. Paris. græco 1589*, sæcul. XII; 5° in cod. *Ambrosiano B. 104*, sæcul. XII-XIII. In omnibus his codicibus, Ignatius inter sanctos, ad diem 23 octobris, refertur.

non omnibus Byzantinis placuisse, et a quibusdam reprobatum fuisse. De facto, duplicem sententiam de Photio per totam epocham byzantinam apud auctores deprehendimus. Quidam enim pari honore cum Ignatio illum prosequuntur; alii vero de eo sinistre loquuntur.

Inter primos veniunt quidam ex ejus discipulis. Sic Arethas, archiepiscopus Cæsariensis, illum sancto Nicephoro æquiparat, et in cælis collocat [1]. Nicolaus Mysticus eum vocat *sanctissimum patriarcham, inter pontifices Dei maximum et celeberrimum, hominem Dei* [2].

Si Papadopulo Kerameo fides adhibenda, ejus imago cum signis beatitatis invenitur in quodam codice lauræ Athonensis Sancti Athanasii, circa sæculum x forsan exarato [3]. Basilius Thessalonicensis, qui circa annum 930 *Vitam sancti Euthymii Thessalonicensis* scribebat, Photium miris laudibus effert; imo miracula ei tribuere videtur [4]. Sæ-

1. In fine sui *Epitaphii in Euthymium patriarcham*, Arethas Euthymium his verbis alloquitur : μετὰ τοῦ χρυσοῦ Ἰωάννου ἐν ἐξορίᾳ συνθανατούμενε, μετὰ Νικηφόρου καὶ Φωτίου τῶν ἀοιδίμων τοῖς διωγμοῖς καὶ θανάτοις συνδοξαζόμενε : *una cum Nicephoro et Photio, viris clarissimis, fugis et mortibus decoraris.* Cf. *Patrol. Orient.*, t. xvi, p. 498. Idem Arethas, in quadam responsione ad *Epistolam Armenorum*, in *codice 441* bibliothecæ synodalis Mosquensis asservata, et a P. Kerameo in suis *Monumentis græcis et latinis ad historiam Photii patriarchæ pertinentibus*, Petropoli, 1899-1901, publicata, hæc habet : μεθ' ὧν καὶ ὁ χθές τε καὶ πρώην ἱερὸς μὲν τὸ γένος, ἱερώτερος δὲ τὴν σοφίαν, ὅση τε θεία καὶ ὅση ἡ κατ' ἀνθρώπους λογίζεται. Τίς οὗτος; Ὁ τοῖς οὐρανίοις ἀδύτοις τὰ νῦν ἐγκατοικιζόμενος Φώτιος. Papadopulus Kerameus, *art. cit.*, p. 662-663.

2. Ἁγιώτατον πατριάρχην, ἐν ἀρχιερεῦσι Θεοῦ μέγιστον, καὶ ἀοίδιμον ἐμὸν ἐν Πνεύματι ἁγίῳ πατέρα, ἄνθρωπον τοῦ Θεοῦ. *P. G.*, t. cxi, col. 36, 37, 365.

3. Dico : « sæculo x *forsan* exarato, » quia res extra omne dubium posita esse non videtur. Sophocles Œkonomus enim, in *Prolegomenis ad Amphilochiana Photii*, Athenis, 1858, dicit codicem ad sæculum xiii pertinere. Papadopulus-Kerameus, e contra, contendit illum ad sæculum x pertingere. Sed Papadopulus, cum ardens Photiolatra existat, estne, in casu, testis omni exceptione major ?

4. Hæc *Vita Euthymii Thessalonicensis* in *Revue de l'Orient chrétien*, t. viii, p. 168-205, a L. Petit edita est. Locus ad Photium spectans sic se habet : Φώτιος γὰρ ἦν ὁ μακάριος, ὁ φωτὸς ἀκτίσι φερωνύμως τοῦ ὀνόματος, πλήθει διδασκαλιῶν καταλάμψας τὰ πέρατα, ὁ ἐξ αὐτῶν σπαργάνων ἀφιερωθεὶς τῷ Χριστῷ, ὡς ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ εἰκόνος δημήσει

culo XII, patriarcha Constantinopolitanus, Michael Anchialensis, ejus memoriam defendit contra quosdam, qui ejus versatilitatem in disjungendis et uniendis Ecclesiis carpebant [1]. Item, concilium Constantinopolitanum, anno 1156 congregatum ad dirimendam controversiam de sacrificio eucharistico, quosdam textus photianos allegat.

At præter hæc testimonia, Photio ejusque sanctitati omnino suffragantia, afferri possunt aliorum Byzantinorum dicta ejus cultui diserte repugnantia. Nicetas Nicænus, in suo opusculo *De schismate Græcorum*, Photium reprehendit, eo quod unionem cum Latinis renovaverit, nullo examine præhabito de criminationibus jam a concilio sexto — intellige : « a synodo Trullana » — notatis, et ab ipso Photio in encyclica epistola ad Orientales tam vehementer denuntiatis [2].

Chronographus Constantinus Manasses Photium vocat *malefactorem* et *superbum* [3]. dum Ephræmius *virum fraudu-*

καὶ ἐξορίᾳ, τούτοις δὴ τοῖς ἀθλητικοῖς ἐκ προοιμίων ἀγῶσι, συγκοινωνήσας τῷ γεννητόρι· οὗ (Kerameus intelligit : « Φωτίου ») καὶ ἡ ζωὴ θαυμαστὴ καὶ τὸ τέλος ἐπέραστον, ὑπὸ Θεοῦ τοῖς θαύμασι μαρτυρούμενον. *Loc. cit.*, p. 179. Ultima verba : οὗ καὶ ἡ ζωὴ, etc., quidquid in contrarium sentiat P. Kerameus, non Photium ipsum, sed ejus patrem, Sergium, respicere videntur. Sergius enim cultus sacrarum Imaginum, sub Theophilo iconoclasta, martyr gloriosus exstitit, et ejus festum, ad diem 13 maji, in Synaxariis notatur his verbis : Μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Σεργίου τοῦ ὁμολογητοῦ. Ὃς γένους ὑπάρχων ἐνδόξου καὶ μεγάλου, ἐν Κωνσταντινουπόλει γεννηθεὶς, προσκυνητὴς τῶν θείων καὶ σεπτῶν εἰκόνων [ἐγνωρίζετο]. Παρίσταται οὖν τῷ διώκτῃ καὶ ἀθέῳ βασιλεῖ Θεοφίλῳ, καὶ σχοινίοις δεσμεῖται περιαυχένιος, καὶ ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἄγεται καὶ περιάγεται ὡς κακοῦργος. εἶτα φυλακῇ παρεδόθη. Καὶ στερηθεὶς πλούτου πλείστου πανοικὶ σύναμα τῇ γυναικὶ Εἰρήνῃ καὶ τοῖς τέκνοις ὑπερορίζεται. ἔνθα πολλὰς θλίψεις καὶ ποικίλους πειρασμοὺς ὑπομείνας, πρὸς Κύριον ἐξεδήμησεν. H. Delehaye, *op. cit.*, p. 682.

1. P. Kerameus, *ibid.*, p. 665.

2. Ἀλλ'εἰ μὲν ἄγνοια ἦν τῶν ῥωμαϊκῶν σφαλμάτων, τὴν κοινωνίαν ἴσως οὐδεὶς ἐμέμφετο. Ἐπεὶ δὲ ἀπὸ τῆς ἕκτης συνόδου ἐγνώσθησαν, καὶ ἐπὶ τοῦ Φωτίου τρανώτερον, μεμπτέα ἡ ἕνωσις· ἐχρῆν γὰρ ὃ ἔκριναν κακὸν, καὶ ἀποστρέφεσθαι, ἢ διορθώσασθαι. Εἰ δὲ τὴν δύναμιν ὑπερέβαινεν ἡ διόρθωσις, τέως διὰ λόγων ἀντιστῆναι. *De schismate Græcorum. P. G.*, t. CXX, col. 714. Cf. Allatium, *De synodo photiana*, p. 204.

3. Ὁ δὲ κακοῦργος Φώτιος ἐκβάλλεται τοῦ θρόνου. Οὕτως οὐδὲν τὰ βλέφαρα Θεοῦ διαδιδράσκει, οὕτως ἀνταποδίδωσι Θεὸς ὑπερηφάνοις. *Compendium chronicum*, vers. 5160-5163. *P. G.*, t. CXXVII, col. 413.

*lentum* et *astutissimum eum habet*[1]. Teste Michaele Anchialensi, quidam schismatici fanatici pronuntiabant eum optimum divisorem fuisse Ecclesiarum, malum vero conjunctorem[2]; quam criminationem repetit ipse Georgius Scholarius :

« Photius, inquit ille, discrepantia circa processionem Spiritus Sancti tanquam fuco usus est ad separandas Ecclesias; postea vero, Ecclesiarum pactiones suis propriis commodis inservire fecit, malo majore minus malum avertens. Ita enim potius dicere oportet, quam more solito loqui[3]. »

Nicephorus Gregoras vero ambitionis et cupiditatis gloriæ illum aperte insimulat, neque dicere timet eum tanquam latronem in sedem patriarchalem prorupisse[4].

Etiam in secundo dimidio sæculi XVII, patriarcha hierosolymitanus, Nectarius, de Photio libere loquitur :

1. Ἄνδρα πανοῦργον καὶ σοφώτατον λίαν. *Ephræmii chronologi Cæsares. P. G.*, t. CXLIII, col. 365.

2. Καὶ τοῦτον αὐτὸν καλὸν διαιρέτην καὶ κακὸν συναφέα τινὲς εἰπεῖν οὐκ ᾐδέσθησαν. Papadopulus-Kerameus, *loc. cit.*, p. 665. Cf. Allatium, *De perpetua consensione*, p. 555.

3. Ὁ γὰρ Φώτιος καὶ διελεῖν τὰς Ἐκκλησίας προήχθη, χρώματι τῇ διαφορᾷ τῆς δόξης χρησάμενος, καὶ πάλιν τὰς τῶν Ἐκκλησιῶν συμβάσεις μισθὸν ἀπέδωκε τῶν ἰδίων συμφερόντων αὐτῷ, ἵνα κακοῦ τὸ κακὸν μείζονος ὠνήσηται τοὔλαττον· οὕτω γὰρ δεῖ μᾶλλον λέγειν ἢ ὡς εἴωθε λέγεσθαι. *De processione Spiritus Sancti*, I, cap. II. Hergenröther, *op. cit.* t. II, p. 526.

4. Πολλὴν ἐποίησεν ἀκοσμίαν τὸ τοῦ Φωτίου φίλαρχον καὶ φιλόδοξον. Σοφὸς μὲν γὰρ ἦν ὁ ἀνὴρ, καὶ πολλὴν τὴν ἐν λόγοις ἐπλούτει σύνεσιν, καὶ μέντοι καὶ τῶν πραγμάτων τῶν γενομένων καὶ τῶν γινομένων πολλὴν αὐτῷ καὶ οὐκ ἀγενῆ τὴν ἐμπειρίαν ὁ χρόνος ἐχαρίσατο· ἀλλὰ τῶν τε λεγομένων ἐνταῦθα καὶ πραττομένων τὸν κάλαμον εἰς σοφὸν καὶ συνετὸν οὐκ ἔβαπτε νοῦν, ἀλλὰ τὸ τῆς φιλαρχίας νέφος παχύ τε καὶ θολερὸν ὑποτρέχον σφόδρα ἐπεσκότει τοὺς τῆς αὐτοῦ διανοίας βλεφάρους, καὶ συνορᾶν οὐδαμῶς συνεχώρει, ὡς ἀκολουθοῦσι τοῖς πράγμασιν ἀμοιβαί. ... Δόλοις κακομηχάνοις περιελθὼν τὴν τοῦ τηνικαῦτα βασιλεύοντος Μιχαὴλ νηπιώδη κουφότητα καὶ παιδικὴν ἀπειρίαν, ἢ μᾶλλον συμμάχῳ χρησάμενος τῇ τοῦ Βάρδα χειρὶ..... καθεῖλεν ἐπ'οὐδεμιᾷ προφάσει τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον... καὶ παραχρῆμα, καθάπερ λῃστὴς τὸν πατριαρχικὸν ἀδίκως ἐπέβη θρόνον, καὶ αὐτὸν μακραῖς καὶ ποικίλαις κολάσεσι περιέβαλε τὸν Ἰγνάτιον. Hæc verba ab Hergenröther, *op. cit.*, t. II, p. 719-720, in nota, producuntur ex *Vita Antonii Cauleæ*, quæ in codice græc., X bibliothecæ Monacensis asservatur. Hoc scriptum Nicephori edidit Papadopulus Kerameus ex *cod. Atheniensi 983*, in suis *Monumentis græcis et latinis ad historiam Photii pertinentibus*, Petropoli, 1899, t. I, p. 1-25.

« Quæ circa Photium facta sunt, inquit, neque nobis neque illis qui post ipsum vixerunt omnia probantur. Quod quidem ille vir fuerit in divinis sapiens, et veterum Ecclesiæ rectorum dogmatum et canonum retinens, omnino nobis est honorandus. Unde etiam apud nos cum orthodoxis patriarchis memoria illius ad hunc usque diem in Ecclesia colitur. *Quod autem ob proprium commodum, non vero ob commune, conciliaverit et diviserit Ecclesias, manifestum est...* Quod ille præter legem, priusquam baculum pastoralem accepisset, sanctissimum Ignatium expulerit, et contra illum multa insidiose fuerit molitus, neque negamus, neque laudamus. Quod autem Nicolaum papam anathematizaverit, et propter quæ crimina, non invenimus expressum; quod autem magis hostili animo quam justa ratione idem fecerit, conjicimus. Scilicet Nicolaus, et post illum Hadrianus, maxime illi repugnabant propter Ignatium. Sed neque papa a culpa fuit prorsus immunis. Hic enim ipse Nicolaus, suos episcopos mittens in Bulgariam (quæ tunc fidem et prædicationem per orientales doctores amplexa fuerat, et quæ pastorali cura per omnia mysteria sub Photio plenissime fruita fuerat), antea sacro ungento unctam iterum unxit, eo scilicet prætextu, quod reproba esset Photii unctio, cum ille esset contra legem et sub censura. Quis autem etiam inter vos Catholicos ex eo non demonstrabit mysterii repetitionem contra omnem ecclesiasticam traditionem factam fuisse, et non damnet sacrilegum usum. Sed tamen quæ facta est pro Ignatio octava synodus, data opera, cum nullus reum in cognitionem adduceret, siluit, Ignatio forsan gratum faciens per romanos Pontifices restituto et absoluto [1]. »

Et infra, in eodem opere *De principatu Papæ*, hæc addit :

« Nos neque omnia Photii laudamus, neque ipsum penitus abjicimus. Quod quidem ille generose adversus papas in libertatem Ecclesiæ orientalis insurgentes steterit, illum valde laudamus. Quin et sapientiam et orthodoxiam viri amplectimur. Quæcumque autem contra Ignatium sanctissimum patravit, et adversus imperatorem Leonem, si saltem vera sint quæ dicuntur, molitus est, neutiquam recipienda

1. Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα. Iasii, 1682. Locus prolatus in versione Allixii legitur, p. 36-38. Cf. supra, p. 517.

pútamus. Si etiam non ex Dei zelo, sed inimice adversus Latinos dissensit, hoc etiam in tui gratiam addemus, Latinos quidem ab illo de dogmate processionis accusatos fuisse, sed illos reprehensionem manifeste a se repulisse, et confirmasse se Orientalibus consentire, ac aliter sentientes et additionem primum ausos facere, in synodo sub Photio, anathemati subjecisse. Quæ dicimus , testatur ipsa Joannis papæ VIII epistola [1]. »

Verum quidem est scriptores dissidentes recentioris temporis Photio communiter favere, illumque miris laudibus celebrare. Non desunt tamen qui ejus agendi rationem in multis improbent [2]. Neque ejus cultus patriarchatus Constantinopolitani fines unquam excessit [3]. Quod autem ejus nomen, inde a sæculo XI, in quibusdam Synaxariis apparet, hoc non tam grave est, cum patriarchæ Constantinopolitani omnes usque ad Sisinnium II (996-998), exceptis hæreticis manifestioribus, et tribus vel quatuor aliis, in hujusmodi libris occurrant; imo Anastasius (729-752), iconoclasta notissimus, in omnibus codicibus nominatur [4].

Nullius item momenti sunt quæ a quibusdam schismatici

1. *Ibid.*, p. 77. Nectarius alludit ad epistolam spuriam Joannis VIII ad Photium, de qua supra locuti sumus, p. 247 sq.

2. Vide, v. g., quæ de photiano schismate scripsit canonista Suvorov, supra, p. 389. Historicus græcus K. Paparrigopulus, in tomo III sui operis: Ἱστορία τοῦ ἑλληνικοῦ ἔθνους, Athenis, 1887, p. 727-728, de Photio loquitur eodem fere modo ac Nectarius, dicitque illum omnia vitia omnesque virtutes suorum coætanorum simul habuisse, et quasi duas partes in ejus vita distinguendas esse; ea scilicet quæ fecit ipse vel facere permisit, ut thronum patriarchalem invaderet, et hinc multipliciter damnabilis; ea vero quæ egit, ut jura Ecclesiæ orientalis adversus usurpationes Romani Pontificis tueretur, et in hoc non fuit omnino irreprehensibilis. Ad pag. 757, Photii agendi modum post cædem Bardæ severissime carpit: δὲν ἐπιτρέπεται εἰς τὴν σπουδαίαν ἱστορίαν νὰ καλύψῃ ἢ νὰ δικαιολογήσῃ τὸν ἔσχατον τοῦτον τῆς ἀνθρωπίνης ἀξιοπρεπείας ἐξευτελισμὸν ἐνώπιον τοῦ παραβάτου ἐκείνου ὅλων τῶν θείων καὶ ἀνθρωπίνων νόμων. (Alludit ad assentationes Photii erga Michaelem Ebrium).

3. Præter monasterium Eremiæ, ubi olim festivitas Photii celebrabatur, recentioribus temporibus in monasterio Halkiensi Sanctissimæ Trinitatis tantum ejus memoria colebatur. Insuper, quotannis, Dominica Orthodoxiæ, ei dicitur *æterna memoria.* Memoratur item ejus nomen, feria tertia post Pentecosten.

4. H. Delehaye, *op. cit.*, p. LXXIII-LXXIV, et 458.

laudatoribus ad sanctitatem ejus probandam afferuntur de virtutibus ejus parentum vel discipulorum, de liberatione urbis Constantinopolis a barbaris Russis anno 860 obsessæ, de qua tanquam de miraculoso eventu quidam chronographi loquuntur [1]. Photius enim ipse intercessioni beatæ Mariæ virginis, cujus *omophorion* in mari intinctum fuit, et vehementem tempestatem contra barbaros commovit, hanc liberationem tribuit in quodam sermone ad populum [2].

1. Sic chronographus anonymus, Theophanis continuator, qui hæc narrat : « *Divinitate Photii precibus placata*, barbari, divina ira potati, domum reversi sunt : πλὴν ἀλλ'ἐκεῖνοι μὲν τότε θείας ἐμφορηθέντες ὀργῆς, Φωτίου τὸ θεῖον ἐξιλεωσαμένου, τοῦ τῆς Ἐκκλησίας τῆς οἴακας ἔχοντος, οἴκαδε ἐκπεπόρευντο. » Theophanes continuatus, lib. IV, 33. *P. G.*, t. CIX, col. 212 A. En magnum miraculum quod Photius patraverit! suis scilicet precibus Deum placaverit, et exinde thaumaturgi fama ei obvenerit! Nota tamen ex aliorum, chronographorum narratione, v. g., ex *Chronico* Symeonis Logothetæ, lib. V, 21, *P. G.*, t. CX, col. 1053 (sub nomine Georgii Hamartoli), non Photium solum, sed etiam omnem populum et imperatorem ipsum divinam misericordiam implorasse. Cæterum, anno 860, quo miraculosa liberatio evenit, Photius Romano Pontifici nondum bellum indixerat, sed ad ipsum appellaverat.

2. Hunc sermonem edidit Aristarchi, *Photii orationes et homiliæ*, Constantinopoli, 1900, t. II, p. 30-57. Sufficiat hæc oratoris verba referre: τῆς Θεοτόκου τὴν περιβολὴν εἰς ἀναστολὴν μὲν τῶν πολιορκούντων, φυλακὴν δὲ τῶν πολιορκουμένων σὺν ἐμοὶ πᾶσα ἡ πόλις ἐπιφερόμενοι, τὰς ἐκουσίας ἐκουσιαζόμεθα, τὴν λιτανείαν ἐποιούμεθα, ἐφ'οἷς ἀφάτῳ φιλανθρωπίᾳ, μητρικῆς παρρησιασαμένης ἐντεύξεως, καὶ τὸ θεῖον ἐπεκλίθη, p. 42. Aristarchi autem, ut probet Photium fuisse sanctum, sequentia profert in *Introductione* ad editionem homiliarum, t. I, ρνδ'-ρνε' : « Photius fuit sanctus ex parentibus, quia ejus pater Sergius et mater Irene in certaminibus pro sacris imaginibus mortem oppetierunt; quorum festum, die 13 Maii agitur. Photius sanctus in cognatis, quia ejus patruus Tarasius Constantinopolitanus inter confessores recensetur. Photius sanctus in discipulis suis, lacte sanctitatis lactans eos; patriarchæ enim Constantinopolis Stephanus I et Nicolaus I ab ipso eruditi inter sanctos coluntur. Sanctus Photius ab infantia, cum suis parentibus ab Iconomachis circa annum 815 in exsilium pulsus. » Mirabiliorem adhuc sanctitatis Photii demonstrationem adinvenit Papadopulus-Kerameus, *loc. cit.*, p. 657 : « Photius, inquit, mortuus est die sexta februarii anni 897. Atqui hæc dies dominica erat; cujuscumque vero christiani mors die dominica occurrens, beata habetur, cum morientis anima quodammodo deprehendatur sanctificata ac Deo placens, τοιαύτῃ ἡμέρᾳ δηλούμενος θάνατος οἰουδήτινος χριστιανοῦ θεωρεῖται μακάριος, τῆς ψυχῆς τοῦ θνήσκοντος ἐκλαμβανομένης τρόπον τινὰ ἡγιασμένης καὶ τῷ Θεῷ ἀρεστῆς. »

I

# PRÆCIPUORUM NOMINUM INDEX ALPHABETICUS

## A


Abælardus, 175.
Acacius Cæsariensis, 138.
Acacius, patriarcha Constantinopolitanus, 137, 148, 149.
Acindynus Dionysius, 474.
Acindynus Gregorius, 393, 437, 438, 439, 445, 455, 473, 474, 480.
Acominatus Michael, 440.
Acominatus Nicetas : Vide Nicetas.
Adelardus, abbas, 170.
Ado Viennensis, 161.
Adrianus I, papa (S.), 163, 164, 217.
Adrianus II, papa, 99, 117, 118, 126, 131, 144, 188, 232, 238.
Adrianus III, papa, 150, 151, 217, 245.
Adrianus IV, papa, 403.
Adrianus, patriarcha Mosquæ, 509, 575, 677.
Æneas Parisiensis, 81, 105, 174, 186, 187, 190, 670.
Agallianus, diaconus, 421.
Agallianus Theodorus, 468, 469.
Agamus, 169.
Agapetus, diaconus, 100.
Agapitus, papa, 136, 137.
Agatho papa, 60, 217, 312.
Agnellus Ravennatensis, 170.
Ahmet, 462.
Aksakov C. S., 609.
Albertus Aquensis, 407.
Alcuinus, 80, 163, 164, 314, 670.
Alentov B, 617.
Alexander I, imperator Russiæ, 582, 599, 604.
Alexander II, papa, 354.
Alexander III, papa, 411.
Alexandre D., 470.
Almazov Alexander, 617.
Alexius I Comnenus, 403, 404, 406, 407.
Alexius Mikhailovitch, imperator Russiæ, 515.
Alexius, sacerdos, 556.
Allatius (Leo), 11, 191, 192, 207, 229, 254, 301, 407, 417, 419, 422, 424, 427, 459, 468, 469, 472, 473, 482, 483, 488, 524, 665, 688, 689.
Allixius, 381, 516, 689.
Alterus F. C., 424.
Altimura Stephanus : Vide Lequien.
Alypius, Cæsareæ episcopus, 56.
Amann E., 143, 144.
Ambrosius, Bosniæ metropolita, 602.
Ambrosius Mediolanensis (S.), 140, 170, 209, 216, 217, 356.
Amphilochius Iconiensis (S.), 82, 654, 668.
Anastasius I, patriarcha Antiochenus, 70, 138.
Anastasius, patriarcha Constantinopolis, 690.
Anastasius I, imperator, 137.
Anastasius, Bibliothecarius, 75, 148, 174.

Anatolius, patriarcha Constantinopolis, 53, 54, 56, 57, 58, 59, 73, 87, 92, 93, 138, 140, 226, 227, 228.
Andreas, apostolus, 73, 74, 123, 132.
Andreas Cretensis (S.), 425, 656.
Andreas, sacerdos, 405.
Andreas, Rhodi archiepiscopus, 457.
Andreev, 546.
Andronicus I, imperator, 396.
Andronicus II, imperator, 419, 422, 423, 427, 428, 431, 470.
Andronicus Ducas, 281.
Andrutsis A., 531.
Andrutsus Chr., 387, 530, 643, 651, 660, 669, 670, 674, 680.
Anselmus Cantuariensis (S.), 316, 319, 320. Ejus doctrina de azymis, 342-344, 354. Ejus doctrina de processione Spiritus Sancti, 355-367; 479, 573.
Anselmus Havelbergensis, 403.
Anthimus I, patriarcha Constantinopolis, 136, 137.
Anthimus, Rimnicii episcopus, 127.
Anthimus VII, patriarcha Constantinopolis, 540, 682.
Antonius II Cauleas, patriarcha Constantinopolis, 118, 264.
Antonius III, patriarcha Constantinopolis, 685.
Antonius Amphiteatrov, 544, 612, 634, 638, 643, 667, 669, 673, 682.
Antonius Ascoliensis, 453.
Antonius Volhyniensis (et Kioviensis), 388, 659.
Antonov E., 620.
Aphtonides G., 514.
Apiarius, presbyter, 133, 139, 146, 147.
Apostolopulus Meletius, 545.
Apostolus Christodulu, 536.
Arcadius, imperator, 70.
Arcudius Petrus, 11, 419, 427, 472, 478, 522, 560.
Arethas, Cæsareæ, 657, 686.
Argentis Eustratius, 527, 528.
Argyropulus Joannes, 469, 489.
Argyrus, comes, 268, 271, 272, 276, 277, 282, 378.
Aristarchi S., 120, 121, 182, 691.
Arnulphus, Aurelianensis episcopus, 265.
Arseniev I., 621.
Arsenii, 13, 404, 409, 410, 440, 442, 446, 449, 450, 451, 464, 494.
Arsenitæ, 428, 430.
Assemani Josephus, 11.
Asutius, 128.
Athanasius, patriarcha Alexandrinus (S.), 82, 170, 178, 209, 212, 215, 216, 223, 231, 301, 356, 391, 399, 420, 430, 654, 668.
Athanasius, monachus, 74.
Athanasius, Cydonius, 378.
Athanasius Cyprius, 521.
Athanasius Pariensis, 527, 659, 665.
Athanasius, monachus Hierosolymitanus, 633.
Augustin, episcopus russus, 616, 634.
Augustinus Hipponensis (S.), 18, 23, 25, 78, 85, 156, 157, 158, 163, 170, 194, 206, 209, 216, 217, 260, 262, 289, 356, 399, 418, 421, 427, 451, 479, 481, 638, 659.
Aurelianus, imperator, 134.
Avvakum, archipresbyter, 572.

## B

Baanes, patricius, 72, 139.
Bacalof, 635.
Bachkin Matthæus, 557.
Backmeister L. C., 547.
Baibakov Apollo, 598.
Bainvel J.-V., 41.
Balabanof M., 634, 635, 636.
Balanus D.-S., 535, 651, 676, 677.
Ballerini A., 414, 425, 490.
Ballerini-Palmieri, 19.
Balsamon Theodorus, 64, 409, 410, 664.

Baphides C., 542.
Baranovitch Lazarus, 567.
Bardas, 125.
Barlaamus Calaber, 375, 393, 436, 437, 438, 442, 445, 455, 470-473, 475, 476.
Barlaamus Moldaviensis, 508.
Baronius, 249, 573.
Barsov, 608.
Barvinok M.-V.-J., 418.
Basiliscus, imperator, 68.
Basilius Magnus (S.), 82, 149, 164, 209, 215, 216, 218, 223, 270, 292, 399, 486, 668.
Basilius Achridanus, 403.
Basilius, monachus Ostrogensis, 560.
Basilius Smyrnensis, 541.
Basilius Thessalonicensis, 686.
Basilius I, imperator, 72, 105, 139, 141, 145, 150, 151, 152, 230, 238.
Basilius II, imperator, 266, 267, 351, 353, 379, 548.
Batiffol, 133.
Becanus, 584, 585.
Beda Venerabilis (S.), 314.
Bellarminus (B.), 502, 522, 573, 584, 589, 599.
Bêlokurov, 570, 571.
Benechevitch B.-N., 129.
Benedictus (S), 168.
Benedictus a Sancta Suzanna, 403.
Benedictus III, papa, 377.
Benedictus VIII, papa, 246.
Benedictus XII, papa, 375, 470, 472.
Benedictus XV, papa, 8.
Berdnikov I., 618, 664.
Berengarius, 576.
Berger de Xivrey, 454.
Bernardakis, 542, 660, 665.
Bernardus Wormacensis, 170.
Berno, abbas, 246, 247.
Bessarion, 180, 202, 427, 455, 456, 457, 469, 472, 483-486, 489, 494.
Bétant A., 427.
Beveridge, 248.
Bielaev Alexander, 386, 615, 651.
Bielaev N.-Iakoblevitch, 388, 622, 623.
Bielinskii V.-G., 610.
Binney, 635.
Blastares Matthæus, 396, 450, 664.
Blemmida Nicephorus, 417, 418, 419, 422, 425.
Blonnitskii J., 598.
Blumenthal D., 612, 613.
Boehmus P., 567, 568.
Boethius, 427, 480.
Bogomili, 397, 405, 407, 432.
Bois J., 434.
Boissonnade, 428, 477.
Boivin, 475.
Bojovitch I., 637.
Bolotov, 611, 627, 673.
Bonifacius I, papa, 71, 76, 87, 89, 90, 91, 98.
Bonifacius VII, antipapa: Vide Franco.
Borisov Innocentius, 614.
Boroianu J., 640.
Bossuet, 43.
Bourdaloue, 601.
Brassicanus Josephus, 462.
Bratanovskii A. Romanenko, 600.
Bréhier L., 279, 300.
Brilliantov, 627.
Brovkovitch Nicanor, 624.
Brückner, 565.
Bruno Astensis, 407.
Bryennius Josephus, 451-453, 498, 527, 664.
Buddæus, 581, 594, 648.
Buginskii Gabriel, 599.
Bukovskii A., 12.
Bulgakov : Vide Macarius.
Bulgaris Eugenius, 13, 451, 510, 526, 527, 540, 577, 659.
Bulgaris Nicolaus, 521.
Buntovnikov S., 635.
Burgov A., 617.

## C

Cabasilas Nicolaus, 400, 443, 444, 498, 658.
Cabasilas Nilus, 254, 375, 376, 442,

443, 453, 458, 473, 476, 481, 549, 664.
Cælestinus I, papa, 133, 217.
Cærularius Michael, 79, 101-104, 224, 264, 267, 268-279, 282-284, 298-300, 303, 307, 311, 312, 314, 320, 322, 344, 345, 354, 367, 368-372, 374, 378, 379, 383, 385, 389, 390, 392, 402, 550, 666.
Calecas Joannes, 436, 438, 448, 475, 476.
Calecas Manuel, 212, 477, 480, 482, 483.
Calixtus, 593.
Callinicus II, patriarcha Constantinopolitanus, 511.
Callistus I, patriarcha Constantinopolitanus, 448-449.
Calliphron, 542, 660.
Caloen (Van), 21, 26, 31.
Calogheras Nicephorus, 405, 409.
Camaterus Andronicus, 410, 411, 412, 420.
Cameraria J., 519.
Cammelli, 477.
Capéran L., 40.
Carolus Magnus, imperator, 82, 162, 163, 164, 165, 167, 168-171 passim, 174, 378, 379.
Caryophyllus Joannes, 511.
Caryophyllus Joannes-Matthæus, 442, 510, 522.
Cassiodorus, 170.
Catharina II, imperatrix Russiæ, 526, 529, 577, 582, 601, 649.
Cavallera, 149.
Cayré F., 431.
Chabot J.-B., 13, 57.
Champerius S., 288.
Chamudopulus M.-D., 542, 660.
Charon C., 278.
Chatzi-Joannes, 415.
Chevits Metrophanes, 636.
Chilas Joannes, 428, 430.
Chivatchef A., 635.
Chliapkin, 576.
Christophorus, papa, 247, 377, 378, 380.
Christophorus Etolus, 528.
Christopulus Damascenus, 542, 660.
Chrysanthus, patriarcha Hierosolymitanus, 426, 501, 516, 663, 681.
Chrysanthus Retivtsets, 625.
Chrysolanus Petrus, 403, 405, 406.
Chrysoloras Demetrius, 453.
Chrysoverges. Vide Nicolaus II et Maximus.
Chumnus Nicephorus, 428.
Cietchenov Demetrius, 600.
Cichovius Nicolaus, 568.
Clemens Alexandrinus, 218.
Clemens, Velitsæ episcopus, 309, 310, 632.
Clemens Romanus (S.), 218.
Clemens III, antipapa, 278, 551.
Combefis, 481.
Comte Augustus, 539.
Constans II, imperator, 68, 70.
Constantinus Magnus, imperator, 49, 67, 70.
Constantinus V, Copronymus, imperator, 70, 161.
Constantinus VI, Pogonatus, 70, 164.
Constantinus Monomachus, imperator, 273, 274, 276, 378, 379.
Constantinus, discipulus S. Methodii, 633.
Constantinus Acropolita, 427.
Constantinus Corcyrensis, 397, 398.
Constantinus Melitinista, 421, 422.
Constantinus, sacellarius : Vide Nicephorus, sacellarius.
Contogonis, 545, 660.
Corais Adamantius, 544, 595, 659.
Coressius Georgius, 513, 521.
Coromilas A., 544.
Cornilius Joasaphus, 529.
Corydalleus Theophilus, 510, 511.
Cosmas, presbyter, 633.
Cozza-Luzi J., 422.
Crescentinus, 378.
Crescentius, 265.
Critopulus Metrophanes, 511, 512, 643, 657.

Crusius Martinus, 462, 496, 497.
Curtesius : Vide Scholarius.
Cydonius Demetrius, 441, 451, 453, 476-480, 482.
Cydonius Prochorus, 445, 449, 473, 478, 480-482.
Cyprianus (S.), 33, 82, 386, 667.
Cyprianus Kiöviensis, 554.
Cyrillus Alexandrinus (S.), 82, 154, 155, 156, 158, 164, 170, 212, 215, 216, 231, 274, 282, 356, 399, 420, 668.
Cyrillus Cyzicensis, 490.
Cyrillus Contarenus, patriarcha Constantinopolis, 508.
Cyrillus Hierosolymitanus (S.), 138, 232, 274.
Cyrillus V, patriarcha Constantinopolis, 525, 528.
Cyrillus III Kioviensis, 553.
Cyrillus Turoviensis, 553.

## D

Damalas Nicolaus, 534, 651, 652, 668, 669, 670, 674.
Damasus, papa (S.), 87, 88, 217.
Damodus Vincentius, 526.
Damascenus Studita, 496.
Damylas Nilus, 449, 664.
Daniel Ancyranus, 239.
Daniel Kioviensis, 558.
Danof Christo, 634.
Dapontes Cæsarius, 530.
Delehaye H., 684, 690.
Demetrakopulus A., 13, 256, 380, 394, 406, 409, 410, 423, 424, 427, 443, 449, 450, 453, 464, 469, 471, 472, 492, 511, 515, 543.
Demetrius Chomatenus, 657.
Demetrius Tuptalo, Rostoviensis, 576, 577, 582.
Deniciev Semenov, 588.
Denis E., 633.
Denisov (Fratres), 603.
Denzinger Henricus, 12.
Desnitskii Michael, 600.
Diamantis Rhysius, 523.
Didymus Alexandrinus, 154, 170, 212.
Dionysius Adrianopolitanus, 529.
Dionysius Alexandrinus (S.), 82, 218, 668.
Dionysius Areopagita, 179, 256.
Dionysius Exiguus, 81.
Dionysius, sacerdos, 556.
Dioscurus, patriarcha Alexandrinus, 53, 57, 126, 138.
Dominicus, patriarcha Gradensis, 280, 315-317.
Dominicani, 367, 393.
Domnus, patriarcha Antiochenus, 57.
Donatus Ostiensis, 105, 109.
Dorotheus Tyrius : Vide Procopius, presbyter.
Dositheus, patriarcha Hierosolymitanus, 13, 376, 381, 382, 406, 407, 451, 454, 455, 458, 469, 500 503, 509, 511, 513, 514, 516, 517, 519, 520, 531, 574, 607, 643, 656, 658, 661, 676.
Dræseke, 425.
Drozdov Philaretus : Vide Philaretus.
Dubnevitch Ambrosius, 585.
Duchesne L., 70, 71, 76, 136, 161.
Dutchich N., 637.
Dyovuniotis K.-J., 535.

## E

Ebed-Jesu, 57.
Economul Saint-Calinescu, 639.
Eginhardus, 161.
Ehrhard-Krumbacher, 394, 409, 425, 427, 428.
Eleusius, 147.
Elias Hierosolymitanus, 138.
Elias, syncellus, 72.
Elisabeth Petrovna, imperatrix Russiæ, 581, 585.
Emesius, episcopus, 148.
Engebaldus, abbas, 167.
Engilbertus, abbas, 163.
Ephimus, 601.

Ephræmius, chronographus, 687.
Ephræmius II, patriarcha Hierosolymitanus, 529.
Epiphanius (S.), 154, 212, 215, 420, 527.
Epiphanius, patriarcha Constantinopolitanus, 136.
Epiphanovitch L., 622.
Esaias Cyprius, 488.
Eudoxius, 76.
Eugenikus Joannes, 455, 458, 459.
Eugenikus Marcus, Ephesi metropolita, 172, 253, 455-458, 460, 468, 472, 484, 486, 494, 657, 665, 669.
Eugenius Bolkhovitinov, 546.
Eugenius, episcopus Minskiensis, 553.
Eugenius Ostiensis, 140, 141.
Eulogius, patriarcha Alexandrinus, 122.
Euphemius, patriarcha Constantinopolis, 137, 138, 149.
Euphrosinus, monachus, 555.
Eusebius Ancyranus, 56.
Eusebius Cæsariensis, 67.
Eusebius Nicomediensis, 76.
Eustathius, patriarcha Antiochenus, 138.
Eustathius, patriarcha Constantinopolis, 267, 268, 282, 283, 351-354.
Eustathius Dyrrachiensis, 397.
Eustathius Sebastæ metropolita, 147.
Eustratiades S., 13, 412, 413, 414.
Eustratius Nicænus, 403, 406, 410.
Eutaxias, 385, 536.
Euthymius, patriarcha Constantinopolis (S.), 264, 281, 297, 298, 685.
Euthymius, monachus Mosquensis, 575.
Euthymius Thessalonicensis, 687.
Euthymius, patriarcha Tirnoviensis, 633.
Euthymius Zigabenus, 267, 325, 396, 404, 405, 411, 412.
Eutyches, 128, 140.
Eutychius, patriarcha Constantinopolis (S.), 135, 138.
Evanghelides M., 458.

## F

Falkovskii Irenaeus, 596, 598, 599, 648, 658.
Fabricius, 445, 460.
Felix, antipapa, 147.
Felix III, papa, 148.
Felix, Judæus, 378.
Ferraris L., 16, 18.
Filevskii J., 617.
Firmilian, archimandrita, 636.
Flavianus Antiochenus, 136, 149.
Flavianus Constantinopolitanus (S.), 53, 128, 140, 231, 232, 391.
Fleury, historicus, 247.
Florinskii Cyrillus, 599, 600.
Formosus, papa, 245, 377, 379, 684.
Franco, antipapa, 265.
Franko, 562.
Frantzes Georgius, 424.
Franzlin, 613.
Fravitas, patriarcha Constantinopolis, 137, 149.
Fredericus, diaconus, 273.
Fulgentius (S.), 170, 479.

## G

Gagarin J., 25, 30, 649.
Gaina B., 640.
Galiatovskii Joannes, 567-569.
Gass W., 458, 470, 671.
Gaudericus Velletrensis, 144.
Gay J., 267.
Gedeon Cyprius, 498.
Gedeon Manuel, 13, 536, 544.
Gegle G. S., 543, 660.
Gelasius I, papa, (S.), 94-96, 234, 381.
Genebrardus Aquensis, 573.
Gennadii G. N., 546.
Gennadius, Bulgariæ archiepiscopus, 428.

Gennadius I, patriarcha Constantinopolis, 82, 668.
Gennadius II, patriarcha Constantinopolis : Vide Scholarius.
Gennadius Novogrodensis, 556.
Georgius Acropolita, 422, 423, 427, 430.
Georgius Cyprius, 417, 419, 420, 428, 429-431.
Georgius Hamartolus, 691.
Georgius Kioviensis, 552.
Georgius Metochita, 422, 427, 428.
Georgius Trapezuntius, 200, 201, 488, 489.
Gerganus Zacharias, 510-511, 657.
Gerhardt, 589.
Gerlachius, 497.
Germanus I, patriarcha Constantinopolis (S.), 409, 656.
Germanus II, patriarcha Constantinopolis, 423-425, 657.
Gerson, 573.
Gertsen, 610.
Gesen, 621.
Gheorghiu B. 640.
Ghisel Innocentius, 567.
Gieseler H., 635.
Ginzel, 228.
Glabas Isidorus, 490.
Glaber Rodulphus, 267, 351-353.
Glagolevskii Seraphimus, 599.
Glubokovskii N., 389, 546, 630.
Glykas Michael, 398, 413, 414, 453.
Glykys Joannes, 490.
Gmakin V., 557.
Godov Michael, 569.
Godunov Boris, 499.
Gœtz L.-K., 552.
Golubiev C., 563, 564, 565.
Golubinskii, 551, 552.
Golubtsov A. P., 625.
Gorodkov Alexius, 616.
Gorskii Alexander, 615, 677.
Gorskii Theophylactus, 594, 596, 598, 645-648, 658.
Goschler, 601.
Govanof, 634.
Gracieux, 626.
Graffin R., 13, 442, 444, 454, 456.
Granovskii, 610.
Gregoras Nicephorus, 473, 474, 475.
Gregorius Magnus, papa (S.), 74, 76, 78, 87, 168, 170, 217, 232, 252, 253, 356, 381, 421.
Gregorius II, papa (S.), 76.
Gregorius VII, papa (S.), 402.
Gregorius IX, papa, 424.
Gregorius XIII, papa, 498, 505, 522.
Gregorius Agrigentinus (S.), 378.
Gregorius, patriarcha Antiochenus, 74, 138.
Gregorius Asbestas, 115, 125, 126, 140.
Gregorius II Constantinopolitanus : Vide Georgius Cyprius.
Gregorius VI Constantinopolitanus, 540.
Gregorius Chiensis, 522.
Gregorius Ephesius, 242.
Gregorius Mammas, 251, 457, 487, 488, 683.
Gregorius Nazianzenus (S.), 82, 180, 185, 216, 270, 399, 664, 668.
Gregorius Nyssenus (S.), 82, 185, 201, 216, 223, 399, 668.
Gregorius Thaumaturgus (S.), 82, 164, 552, 668.
Gregorius Sinaita, 432, 434, 435.
Grigorev K., 631.
Grigorovitch V.-J., 552.
Grivec F., 12, 112, 115, 225, 227, 228, 229.
Grossolano Petrus : Vide Chrysolanus.
Gulielmus Porretanus, 468.
Gusev A.-F., 627, 677.
Guy de Lusignan, 451.

## H

Hadrianus : Vide Adrianus.
Hammer Josephus, 462.
Hardouin, 161.
Harmenopulus Constantinus, 482.
Hefele-Leclercq, 57, 82, 87, 133, 148, 163, 164, 167, 238.

Heisenberg A., 404, 418.
Henricus II, imperator, 246.
Heracleonas, imperator, 70.
Heraclius, imperator, 68, 70.
Herbestus Benedictus, 560.
Herbigny (Michael d'), 28, 31, 42, 660.
Hergenröther J., 12, 13, 73, 81, 107, 123, 126, 128, 135, 137, 144-151 passim, 176, 183, 185, 187, 188, 191, 192, 212, 219, 224, 229, 230, 245, 247, 251, 254, 255, 256, 266, 267, 270, 283, 290, 298, 320, 325, 367, 374, 376, 380, 403, 419, 446, 463, 666, 683, 684, 688.
Heriveus Rhemensis, 287.
Hieronymus (S.), 217, 356, 421.
Hieromnimon : Vide Joannes Agapetus.
Hilarion, archimandrita, 594.
Hilarion, Moglenæ episcopus, 633.
Hilarius (S.), 154, 155, 170, 216.
Hincmarus Rhemensis, 186.
Hippolytus (S.), 219.
Holl K., 400.
Hollasius, 589.
Holobolus Manuel, 426, 493.
Honorius I, papa, 77, 148.
Honorius Augustodunensis, 495.
Honorius imperator, 89.
Hormisdas I, papa, 81, 137, 156, 170.
Hosius, 133, 148.
Hugo Etherianus, 191, 195, 367, 409, 411, 670.
Hugo Flaviniacensis, 267, 351, 353.
Humbertus, cardinalis, 246, 268-277 passim, 299, 311, 314, 315, 319, 320, 324, 327-330, 333-339, 340-342, 345-347.
Hurther H., 34.

## I

Iakchitch D., 627.
Iasinskii Barlaamus, 567, 583.
Iavorskii Stephanus, 580, 581, 583, 584, 600, 603, 608, 643, 644, 658.
Ignatius Antiochenus (S.), 555.
Ignatius, patriarcha Antiochenus, 438, 448.
Ignatius Constantinopolitanus (S.), 112, 116, 117, 125, 126, 137, 141, 255, 265, 389, 683, 685, 686.
Ilminskii, 462.
Injurati Anglicani, 525, 579, 580.
Innocentius I, papa (S.), 97, 116, 137, 234.
Innocentius III, papa, 99, 403.
Innocentius Monastyrskii, 575, 576.
Innocentius Novogorodov, 622.
Iorga N., 638.
Irenæus Lugdunensis (S.), 219.
Irenes, imperatrix, 164.
Irenicus Joannes, 397, 398.
Isaacus Comnenus, 279.
Isidorus, patriarcha Constantinopolis, 436, 448, 475.
Isidorus Kioviensis, 549.
Isidorus Pelusiota (S.), 170.
Istomin, 623.
Iuchkevitch Ambrosius, 600.
Iugeakov C.-N., 546.
Ivanov Feodorus, 572.
Ivanov P., 635.
Ivanovskii, N.-I., 620.
Ivantzov-Platonov, 622.

## J

Jachek A., 655.
Jacobus Andrææ, 497.
Jacobus, monachus, 414.
Jager, 540.
Jahn A., 458, 465.
Jeremias II, patriarcha Constantinopolis, 497-499, 671, 680, 681.
Jeremias III, patriarcha Constantinopolis, 579, 580.
Joannes I, papa, 135-136.
Joannes VIII, papa, 122, 125, 140, 141, 142, 143-146 passim, 150, 153, 188, 189, 191, 217, 229-245

passim. Ejus epistola spuria ad Photium : 247-256; 377, 448, 690.
Joannes IX, papa, 118, 264.
Joannes XV, papa, 265.
Joannes XVIII, papa, 266.
Joannes XIX, papa, 267, 282, 283, 351-353, 389.
Joannes IV Oxita, patriarcha Antiochenus, 278, 406-408.
Joannes I Chrysostomus (S.), patriarcha Constantinopolis, 70, 84, 136, 137, 149, 208, 216, 231, 232, 270, 313, 327, 391, 399, 400, 419, 553, 601.
Joannes III Scholasticus, patriarcha Constantinopolis, 57, 225.
Joannes IV Jejunator, patriarcha Constantinopolis, 74, 75.
Joannes VIII Xiphilinus, patriarcha Constantinopolis, 402, 414.
Joannes IX Agapetus Hieromnimon, patriarcha Constantinopolis, 414.
Joannes XI, patriarcha Constantinopolis : Vide Veccus.
Joannes XIII, patriarcha Constantinopolis : Vide Glykys, Joannes.
Joannes XIV, patriarcha Constantinopolis : Vide Calesv, Joannes.
Joannes III, patriarcha Hierosolymitanus, 138.
Joannes II, metropolita Kioviensis, 278, 551, 552.
Joannes II Comnenus, imperator, 403.
Joannes V Palæologus, imperator, 477.
Joannes VI Cantacuzenus, 396, 436, 445, 473, 475, 476.
Joannes VII Palæologus, 451, 458, 483.
Joannes, exarcha Bulgariæ, 548, 633.
Joannes Climacus (S.), 431.
Joannes, Cotronæ episcopus, 425.
Joannes Cyparissiota, 481, 482
Joannes Damascenus (S.), 5, 79, 85, 101, 160, 161, 168, 178, 180, 185, 220, 362, 399, 405, 420, 427, 430, 459, 461, 548, 633, 636, 656.
Joannes, diaconus, 252, 253.
Joannes Gennensis, 314.
Joannes Mauropus : Vide Mauropus.
Joannes, monachus Sabaita, 168, 169, 178.
Joannes Philagathus, 415.
Joannes Scotus Erigena, 256-263, (Ejus doctrina de processione Spiritus Sancti).
Joannes Tranensis, 268, 272, 298.
Joannou Theophilus, 444.
Joannovitch E., 638.
Job, monachus Hierosolymitanus, 177, 377.
Jobus, monachus sæcul., vi, 180, 214, 222.
Jobus Iasita, 254, 426, 666.
Jobus, patriarcha Mosquensis, 499.
Josephus I, patriarcha Constantinopolis, 426.
Josephus II, patriarcha Constantinopolis, 555.
Josephus Methonensis (Joannes Plusiadenus), 458, 486, 487.
Josip, 638.
Jubé, 580.
Jugie M., 62, 112, 115, 225, 253, 298, 310, 405, 444, 454, 467, 479, 502, 511, 624, 654-660 passim.
Julianus Halicarnassensis, 557.
Julius I, papa (S.), 116.
Justinianus I, imperator, 58, 67, 68, 72, 74, 82, 129, 136, 138, 378.
Justinianus II, imperator, 61, 100, 101.
Justinus I, imperator, 136, 156.
Justinus II, imperator, 138.
Juvenalis Medviedskii, 598.
Juvenalis, patriarcha Hierosolymitanus, 57.

K

Kairis Theophilus, 539. 540.
Kalaidovitch K., 552, 553, 633.
Kantemir Demetrius, 591.
Karamsin, 551.
Karpinskii Hyacinthus, 594.
Karpinskii I., 590.
Karpovitch Leontius, 561.
Kartanitæ, 496.
Kattenbusch F., 671.
Keltuiala B.-A., 547, 557.
Kephalas Nectarius, 387, 535, 536, 543, 665.
Kerameus Nicolaus, 520.
Kerenskii Vladimirus, 628, 673.
Khomiakov Alexius Stepanovitch, 387, 388, 609, 626.
Kimmel E.-J., 671, 675, 680.
Kireev (Dux), 611, 627, 673.
Kirievskii, 609.
Klementievskii Irenæus, 598.
Kliutcharev Ambrosius, 631.
Koialovitch M., 559.
Koidakis C. G., 543, 660.
Kokhanovskii Simon, 599.
Kolemin, 388.
Konisskii Georgius, 591.
Konsevitch Hieronymus, 577.
Konstantinus J., 542.
Kontones Joannes, 527.
Kopytenskii Zacharias, 562, 563.
Korn J., 590.
Korsunskii, 607, 608, 650.
Korzavin, 625.
Kossoi Bassianus, 557.
Kossoi Theodosius, 557, 558.
Kozlovskii Isaias Trophimovitch, 672.
Krevzoi Leo, 562, 563.
Krijianitch Georgius, 495.
Krinovskii Gedeon, 600, 601.
Krumbacher : Vide Ehrhard.
Kuliabka Sylvester, 586.
Kursulas Nicolaus, 521.
Kymenites Sebastus, 519.

L

Lachtchinskii David, 590.
Lacordaire, 20.
Lambros Sp., 13, 457, 458, 459, 467, 468, 544.
Lämmer Hugo, 417, 419, 523, 578.
Landus Agapius, 520.
Lapôtre A., 245, 684.
Latas Dionysius, 542.
Lazarus, presbyter, 572, 573.
Lebedev Alexander, 385, 386, 600, 624, 681.
Lebedev A.-P., historicus, 384, 385.
Lebedinskii Sylvester, 594, 595, 644, 645, 658.
Leclercq H. : Vide Hefele.
Legrand E., 449, 463, 492, 500, 501, 506, 510, 513, 514, 515, 524, 560, 564.
Leib B., 278, 407, 408.
Le Moyne St., 494, 503.
Leo I Magnus, papa (S.), 53-58 passim, 73, 76, 87, 91-94, 116, 128, 150, 170, 216, 217, 225, 226, 227, 228, 381.
Leo II, papa (S.), 376.
Leo III, papa (S.), 167, 168, 169, 170-174, 176, 177, 217, 245, 247, 377, 379.
Leo IV, papa (S.), 115, 125, 175, 217, 245, 376, 377.
Leo IX, papa (S.), 99, 267, 268, 270, 271, 273, 275, 282, 283, 284, 328, 329, 378, 380.
Leo XIII, papa, 22, 23, 25, 540, 541.
Leo I, imperator, 56.
Leo IV, imperator, 70.
Leo V Armenus, imperator, 70.
Leo VI Sapiens, imperator, 281. Ejus doctrina de processione Spiritus Sancti : 287-290; 298, 656.
Leo Achridanus, 268, 270, 272, 273, 274, 275, 282, 298, 311, 315, 316, 319-345 passim.

Leo, presbyter romanus, 105, 109,
Leo Preslaviensis, 322, 551.
Leonardus Agapius, 530.
Leontius, Magnesiæ episcopus, 56.
Lequien, 11, 56, 75, 89, 156, 157, 169, 255, 407, 516.
Leucius, 378.
Levanda J.-V., 600.
Levitskii Hilarion, 585.
Levkhin : Vide Plato.
Liachtchevskii Barlaamus, 586, 598.
Liakoronskii Sylvester, 586.
Liberius, papa, 69, 147.
Likhudes (Fratres Joannicius et Sophronius), 517, 518, 574, 575, 576, 581.
Ligarides Paisius, 515.
Listovskii I., 614.
Lopatinskii Theophylactus, 581, 584-585, 590, 603, 644.
Lopukhin A., 546, 611, 629.
Lotharius II, imperator, 413.
Lucaris Cyrillus, patriarcha Constantinopolis, 504, 505, 510, 511, 514, 656, 657, 661.
Luthardt, C., 635.

## M

Mabillon, 313.
Macarius Ancyranus, 376, 455, 664.
Macarius Bulgakov, 544, 547, 551, 552, 556, 557, 586, 593, 606, 612, 613, 634, 636, 638, 643, 659, 667, 669, 678, 679, 682.
Macarius, metropolita, 557, 558.
Macarius Chrysocephalus, 490.
Macarius Patmiensis, 529.
Macarius Petrovitch, 593.
Machanov M., 631.
Macedonius I, patriarcha Constantinopolis, 76, 376.
Macedonius II, patriarcha Constantinopolis, 137, 138, 149.
Mahumes I, sultanus Turcarum, 459, 461
Mai A., cardinalis, 13, 127, 184, 266, 287, 397, 398, 422.
Maikov L., 573.
Maistre Josephus, 540, 596.
Makrakes Apostolus, 542.
Makkobius J., 518.
Malaxus Manuel, 496.
Malinin V., 556.
Malinovskii N., 614, 668, 669, 673, 680.
Maltzev A.-P., 22, 29, 618.
Malvy A., 628.
Malychevskii, 500.
Mammas : Vide Gregorius Mammas.
Manasses Constantinus, chronographus, 687.
Mantchef, 635.
Manuel Comnenus, imperator, 398, 410, 412.
Manuel Palæologus, imperator, 396, 452, 453, 454.
Manuel Peloponnesius (Corinthius), 469, 493, 494.
Marcellus Ancyranus, 133, 138, 148.
Marcellinus, chronographus, 136.
Marcianus, imperator, 55, 56, 57, 58, 91, 92, 94, 228.
Marcovitch, 380.
Marcus Ephesius : Vide Eugenikus Marcus.
Marcus, monachus, 430.
Margunius Maximus, 500, 501.
Marinus I, papa, 105, 109, 144, 145, 146, 151, 189, 266.
Marinus, Cypri presbyter, 158, 159.
Mariu Theodorianu, 640.
Martinus I, papa, 69, 158, 159, 160.
Martinus V, papa, 452.
Martynovskii Anatolius, 622.
Massillon, 601.
Matseievitch Arsenius, 585, 586, 587, 603.
Matthaei, 437.
Mattheev Symeon, 595.
Matthæus Cantacuzenus, imperator, 445, 446.

Matthæus I, patriarcha Constantinopolis, 451.
Matulewicz G.-B., 12.
Mauropus Joannes, 414.
Mavromati A., 521.
Maximus, patriarcha Antiochenus 54, 57, 59.
Maximus Callipolita, 511.
Maximus Chrysoverga, 450, 452, 488.
Maximus Confessor (S.), 79, 85, 101, 158, 160, 161, 214, 256, 391, 399, 419, 420, 431, 448.
Maximus I Constantinopolitanus, 137.
Maximus Hierosolymitanus, 138.
Maximus, monachus, Græcus dictus, 494, 495, 557, 569.
Maximus Peloponnesius, 381, 502, 517.
Mazaraki, 511.
Medviedev Sylvester, 574, 575.
Melchisedec, episcopus Romanensis, 638.
Meletius Antiochenus, 138, 149.
Menas, patriarcha Constantinopolis, 100, 135, 137.
Meniates Elias, 382, 519, 520, 601.
Mercati Joannes, 477.
Mesarites Joannes et Nicolaus, 403, 404.
Mesolaras I., 498, 535, 542, 643, 660, 669, 671, 679, 680.
Metaxas Nicodemus, 463, 499, 501, 502.
Methodius (S.), patriarcha Constantinopolis, 111.
Methodius Patarensis (S.), 218.
Methodius (S.), Slavorum apostolus, 111, 115, 224-228.
Methodius Smirnov, 596, 598, 649.
Metrophanes Smyrnensis, 72, 139, 140, 148, 237.
Meyer Philipp, 492, 498, 500, 503.
Michael III, imperator, 96, 105, 109, 125, 126.
Michael VIII Palæologus, imperator, 419, 422, 423, 426, 427, 430.
Michael Bogoris, rex Bulgarorum, 109, 129, 145, 186.
Michael Acominatus, 415.
Michael Anchialensis, patriarcha Constantinopolis, 403, 687, 688.
Michael, patriarcha Alexandriæ, 239.
Michael, syncellus (S.), 177, 377.
Michael Thessalonicensis, 397.
Michalcescu J., 638, 639, 671, 680.
Michel A., 267, 272.
Migne, 13.
Miklosisch F., 310, 421, 448.
Milasch Nicodemus, 545, 635, 636, 637, 638, 668, 678, 679.
Mingarelli, 496.
Mirkovitch, 574.
Mislavskii Samuel, 577, 582, 588, 589, 594, 604.
Mitrofanovici B., 640.
Mitrovitch E. C., 637.
Moghila Petrus, metropolita Kioviensis, 449, 508, 514, 518, 559, 563-565, 570, 576, 605, 606, 638, 642, 657, 676.
Moghilanskii Arsenius, 593.
Mohler L., 483.
Montfaucon, 407, 437, 438, 476.
Morel, 626.
Morokovskii E., 562.
Morosini Petrus, 403.
Morozov, 587, 590, 592.
Moschabarus Georgius, 420, 426.
Moschatus, 541.
Moschopulus A., 526, 659.
Moschopulus Manuel, 402, 428.
Moschopulus Nicephorus, 422.
Mosheim, 601.
Muller, 448.
Muraviev A. N., 544, 545, 623, 624, 634.
Muzalon Theodorus, 427.

## N

Nalimov Basilius, 594.
Nathanael Joannes, 578.
Nathanael, hegumenus Kioviensis, 570.

Nectarius, patriarcha Hierosolymitanus, 87, 137, 140, 380, 381, 515, 516, 517, 665, 688-690.
Negrebetskii Hilarion, 586.
Nekrasov J., 556.
Neldec Hervaeus, 480.
Neophytus, hieromonachus, 603.
Neophytus, reclusus, 415.
Nerses IV, Catholicos Armenorum, 412.
Nestorius, 76, 155.
Nicanor, Chersonesæ episcopus, 621.
Nicephorus Callistus Xanthopullus, 450.
Nicephorus (S.), patriarcha Constantinopolis, 70, 114, 140, 656.
Nicephorus, Haghiorita, 441.
Nicephorus, metropolita Kioviensis, 551, 552, 553.
Nicephorus, sacellarius, 269, 275, 314.
Nicetas Acominatus, 396, 412, 413.
Nicetas Byzantinus, philosophus, Ejus doctrina de processione Spiritus Sancti : 290-297; 298, 300, 310, 410, 657.
Nicetas David, Paphlago, 112, 113, 140, 656.
Nicetas Maronensis, 411, 419.
Nicetas Nicænus, 266, 324, 353, 374, 375, 687.
Nicetas Nicomediensis, 403.
Nicetas Seides, 406.
Nicetas Smyrnensis, 242.
Nicetas Stethatus seu Pectoratus, 268, 269, 273, 274, 298. Ejus doctrina de processione Spiritus Sancti : 300, 301, 311, 312, 315, 316. Ejus doctrina de azymis : 320-344 passim, 345, 408.
Nicodemus Haghiorita, 479, 530.
Nicolakis Agathangelus, 500.
Nicolaus I, papa (S.), 96-99, 105, 106, 107, 115, 117, 118, 125, 126, 129, 131, 134, 137, 138, 139, 140, 144, 148, 151, 186, 232, 238, 245, 255, 287, 369, 380, 382, 386, 689.
Nicolaus Mysticus, patriarcha Constantinopolis, 265, 281, 287, 385, 685, 686.
Nicolaus II, Chrysoverges, patriarcha Constantinopolis, 281.
Nicolaus Hydruntinus, 410.
Nicolaus Methonensis, 408, 409, 410, 420.
Nicole Joannes, 425.
Nicon, patriarcha Mosquensis, 278, 379, 514, 515, 553, 557, 569, 571, 572.
Nicosius Panaghiota, 509.
Nikita Pustoviat, 572, 573.
Nikitskii Sergius, 617.
Nilskii I., 621.
Nilus, patriarcha Constantinopolis, 449.
Nilus, Rhodi metropolita, 254, 446, 664, 667.
Niphon, monachus, 441.
Nointel (Marchio de), 656.
Noort (G. Van), 33, 34, 38.
Nunechius, Laodiceæ episcopus, 54.

## O

Obradovitch Dositheus, 636.
Œconomus Constantinus, 387, 538, 539, 541, 542, 552, 660.
Œconomus Sophocles, 441, 538, 686.
Œcumenius, 400.
Olenitskii M., 634.
Onciul Is., 640.
Origenes, 325.
Orthologus Theophilus, 562.
Osiander Lucas, 497.
Oudin, 443.
Overbeck, 624, 625.
Ozerskii A.-J., 621.

## P

Pachymeres Georgius, 423.
Paghidas Neophytus, 544.

Pagi, 162.
Paisius, patriarcha Hierosolymitanus, 570.
Pakhomius, logotheta, 555.
Palamas Gregorius, 313, 400, 433, 436-442, 443, 448, 449, 458, 459, 470, 471, 473, 474, 475, 481, 549, 657, 681.
Palanzov, 634.
Paleotti, 573.
Palmer W., 516.
Palmieri A., 12, 167, 278, 279, 453, 459, 462, 492, 498, 500, 506, 511, 517, 518, 546, 553, 554, 565, 566, 577, 586, 606, 608, 615, 618, 622, 625, 626, 628, 670, 671.
Pamphilus, 218.
Panaretus (Matthæus Angelus Koiestor), 256, 446-448.
Pantænus, 218.
Papadopuli Nicolaus Comnenus, 531, 532.
Papadopulus Chrysostomus, 538, 539, 540, 675.
Papadopulus-Kerameus, 13, 184, 493, 514, 519, 543, 684-688 passim, 691.
Papadopulus Nicolaus, 544.
Papaphilus Theophilus, 527, 659.
Paparrigopulus K., 382, 383, 690.
Papias, 219.
Pargoire J., 404, 514.
Parthenius I., patriarcha Constantinopolis, 508, 514, 655.
Parthenius II, patriarcha Constantinopolis, 511.
Paschasinus, 54, 148.
Paschasius Ratbertus, 314.
Paulinus Antiochenus, 149.
Paulinus II, patriarcha Aquileiensis, 165, 166.
Paulus I, papa, 161.
Paulus, patriarcha latinus Constantinopolis, 445, 474.
Paulus Anconensis, 140, 141.
Paulus, archimandrita, 620.
Paulus Kolumensis, 602.
Paulus Samosatenus, 134.
Pavloi Chr., 635.
Pavlov A., 13, 225, 315, 551, 552, 554, 619, 664.
Pavlovitch, 593.
Pelagius II, papa, 74, 76.
Pelagius Albanensis, 404.
Peicher J., 518.
Pekorskii, 568, 591.
Pepanus Demetrius, 524.
Perigenes, episcopus, 90.
Pernot H., 492.
Perov J., 622, 651.
Perrone, 613.
Petit L., 13, 398, 406, 408, 414, 415, 442, 455, 456, 463, 468, 472, 487, 492, 499, 523, 525, 528, 540, 552, 579, 590, 676, 686.
Petrides S., 458, 524.
Petrov Gabriel, 593, 594, 598, 601, 603.
Petrov Ivan, 599.
Petrus Alexandrinus (S.), 82, 668.
Petrus, patriarcha Antiochenus, 266, 267, 268, 269, 271, 277, 280, 281, 282, 298. Ejus doctrina de processione Spiritus Sancti : 301-303 311, 312, 315-318, 320, 321-323, 331, 345, 347.
Petrus, Amalphitarum episcopus, 273.
Petrus Balbus, 379, 380.
Petrus Capuanus, 403.
Petrus Damianus (S.), 174. Ejus doctrina de processione Spiritus Sancti : 354-356.
Petrus Hispanus, 468.
Petrus Hispanus, Franciscanus, 516.
Petrus Magnus, imperator Russiæ, 558, 579-581, 583, 584, 591, 602, 677.
Petrus Mongus, 140.
Petrus Pictaviensis, 479.
Petrus, presbyter romanus, 141, 230, 231, 236.
Petrus Sardicensis, 151.
Pfeiffer, 589.
Pharmakides Theoclitus, 537, 538 541.
Philalethus Christophorus, 560.

Philaretus Amphiteatrov, 596, 597.
Philaretus Drozdov, metropolita Mosquensis, 544, 597, 599, 604, 607, 608, 615, 616, 634, 643, 649, 650, 679, 680, 681.
Philaretus Gumilevskii, 546, 607, 613, 614, 670, 672-673, 679.
Philaretus Nikititch, patriarcha Mosquensis, 566.
Philipps, 591.
Philippus Solitarius. Ejus doctrina de primatu Petri apostoli 284, 285.
Philoponus Joannes, 313.
Philotheus Kokkinus, patriarcha Constantinopolis, 436, 448, 449, 473, 474, 480.
Philotheus, monachus, 556.
Philotheus protospatharius, 264.
Photius, patriarcha Constantinopolis, 79, 81, 87, 96, 101-104. Ejus criminationes contra Occidentales : 104-110; 116, 118. Ejus doctrina de primatu B. Petri et romani Pontificis : 119-153 (Cf. indicem analyticum). Ejus prava interpretatio mentis S. Leonis papæ III circa processionem Spiritus Sancti : 175-177. Novæ hæreseos adinventor : 179-183. Circa processionem Spiritus Sancti sententiam mutavit : 184-192. Ejus axiomata theologica : 192-205. Ejus argumenta ex sacra Scriptura : 205-215. Ejus argumenta ex traditione : 215-223. Ejus agendi ratio erga romanam Sedem in concilio Sanctæ Sophiæ : 229-244, 245, 257, 258, 263, 264, 265, 276, 283, 287, 290, 291, 292, 293, 295, 297, 298, 300, 304, 305, 311, 312, 313, 314, 320, 367, 368, 369, 371, 374, 375, 377, 380, 381, 384, 390, 402, 404, 405, 410, 419, 420, 421, 503, 656, 664. De ejus cultu in Ecclesia græco-russica, 683-691.
Photius Kioviensis, 554.
Photius, archimandrita, 599.
Phurnesius Joannes, 403, 404, 405, 406, 420.
Piatnitskii I., 616.
Pichler, 247, 254, 255.
Picot E., 564.
Pievnitskii, 573.
Pierius, 218.
Pierling, 581.
Pigas Meletius, 381, 499, 500, 502, 643, 663, 681.
Pimen Eusebius, 563. Vide Moghila Petrus.
Pisarev L., 631.
Pithœus Petrus, 168.
Pitra, cardinalis, 13, 146, 421, 664.
Pius VII, papa, 604.
Pius IX, papa, 29, 30, 540.
Pius X, papa, 539.
Pius XI, papa, 252.
Planudes Maximus, 422, 427, 428, 451.
Plato Levkhin, metropolita Mosquensis, 544, 594, 595, 596, 601, 603, 634, 648, 658, 659.
Pletho Gemistus, 464, 465, 469, 494.
Pletosu, 386.
Plotnikov K., 620.
Pocitan Basilius, 640.
Podobiedov Ambrosius, 600, 601.
Pokrovskii A., 634.
Pokrovskii N., 585.
Polevoi P.-N., 547.
Polianskii Justinus, 615.
Polubenskii, 599.
Polychronius Alexandrinus, 231, 232.
Ponomarev P., 673, 677.
Popov A., 278, 553, 558.
Popov C., 615.
Popov Eugenius, 615, 677.
Popov M. C., 577, 587.
Popovici Constantinus, 640.
Popovici Eusebius, 640.
Popovitch Rainus, 635.
Popovskii Innocentius, 585.
Possevinus, 502.

Postnikov Gregorius, 620, 629.
Potiei Ignatius, 562.
Potlis : Vide Rhallis.
Proclus (S.), patriarcha Constantinopolis, 170, 216.
Procopovitch Theophanes, 537, 540, 547, 580, 581, 582, 583, 584, 585, 587-598, 601, 604, 606, 644, 648, 650, 653, 658.
Procopius, Cæsareæ metropolita, 240, 241, 242, 244.
Prosper Aquitanus, 170, 479.
Protasov N. Alexandrovitch, 605-607, 609, 610, 612.
Protasov Ambrosius, 601.
Proterius Alexandrinus, 140.
Prozorovskii A., 576.
Prudentius, poeta, 170.
Prugavin A.-C., 621.
Psellus Michael, 281, 300, 402.
Pseudo-Athanasius, de azymis; 320, 322, 333.
Pseudo-Damascenus, de azymis : 320, 322, 333.
Pseudo-Dionysius, 179, 399.
Pulcheria, imperatrix, 56, 228.
Pypin A.-N., 547, 633.

## Q

Quenstedt, 589, 595.
Quesnel, 33.
Quévastre-Hébert, 37.

## R

Rabanus Maurus, 80, 313.
Raditch E., 637.
Radivilovskii Antonius, 567.
Raitch Joannes, 639.
Rand E., 256.
Ratramnus, 83, 105, 187, 190, 208, 670.
Recaredus, rex, 165.
Régnon (de), 162, 209, 223.
Regino, abbas, 161.
Renaudot, 11, 460, 463, 467, 500, 663.
Renieri, 511.
Repta Vl., 640.
Retichtchets Theodorus, 569.
Reusch F.-H., 452.
Rhallis C.-M., 536, 537.
Rhallis et Potlis, 22, 107, 536, 666, 668.
Rhentius Andreas, 524.
Rhodinus Neophytus, 523.
Rhusanus Pakhomius, 495, 496.
Ribera Bernardus, 581.
Richardus Flaviniacensis, abbas, 353.
Richardus Franciscus, 513.
Richardus Simon, 501.
Richardus a S. Victore, 202.
Ricoldi de Monte Croce, 479.
Risso P., 446, 448.
Roculphus, 169.
Rodychevskii M., 591.
Rogdestvenskii N.-P., 616.
Romano Dionysius, 638.
Rosa Pavel, 638.
Rotar I., 573.
Rouët de Journel, 617.
Rubeis B.-M. (de), 326, 431.
Rudnev D. Semenov, 546, 588, 595.
Rudnev Nic., 555.
Rusticus, diaconus, 156, 157, 158.

## S

Sakellaropulus Meletius, 536.
Salaville Severianus, 11, 114, 115, 460.
Samarin, 587, 609.
Sathas C.-N., 281, 303, 492, 496, 530, 543.
Schelstrate, 521.
Schlosser, 162.
Schmidt Chr.-N., 475.
Schmidt J., 403.
Scholarius Georgius, 456, 459-469, 485, 488, 657, 665, 680, 688.
Sclengias Nicolaus, 488.

Scordiles Macarius, 529.
Scriban Neophytus, 638.
Semnoz, 505.
Seraphimus Pissidius, 529.
Serbinovitch, 607.
Sergius III, papa, 247, 287, 377.
Sergius IV, papa, 266, 378.
Sergius I, patriarcha Constantinopolis, 76.
Sergius II, patriarcha Constantinopolis, 247, 265, 266, 281, 298, 353, 377, 379, 380.
Sergius, archimandrita, 597.
Sergius, Finniæ episcopus, 617, 628, 677.
Severus Gabriel, 382, 498, 500, 501, 502.
Sidonskii Th., 616.
Sikedites Michael : Vide Glykas Michael.
Silverius (S.), papa, 69.
Simeon, Bulgarorum tsarus, 281, 632, 633.
Simeon II, patriarcha Hierosolymitanus, 378, 406, 407.
Simeon Metaphrastes, 420, 657.
Simeon, logotheta, 691.
Simeon, Novus Theologus, 400, 432, 433, 435,436, 441, 657.
Simeon Polotskii Sitnianovitch, 573, 574, 670.
Simeon Thessalonicensis, 402, 454, 455, 498, 517, 664.
Simeon Trapezuntius, patriarcha Constantinopolis, 22.
Simon Atumanus, 447.
Simonides K., 409, 457, 464, 513.
Sirmondus, 312.
Sisinnius I, patriarcha Constantinopolis, 59.
Sisinnius II, patriarcha Constantinopolis, 265, 281, 298, 685, 690.
Skabalanovitch, 279, 560.
Skarga Petrus, 559, 560, 562, 566.
Skharius, 556.
Slavinetskii Epiphanius, 572.
Slipyi J., 185, 192, 256, 257.
Smaragdus, abbas, 170
Smentsovskii, 518.
Smirnov A., 631.
Smirnov Eugenius, 628.
Smirnov S., 547, 593, 614.
Smotritskii Gerasimus, 560.
Smotritskii Meletius, 561, 562.
Socrates, historicus, 57.
Sokolov Demetrius, 634.
Sokolov Joannes, 614, 615, 618, 627, 677.
Sokolovius Stanislaus, 498.
Sokovitch Cassianus, 563.
Soliarskii P., 634.
Soloviev Vladimirus, 27, 390, 391, 610.
Sonni A., 440.
Sophronius (S.), patriarcha Hierosolymitanus, 420.
Spassovitch, 633.
Souarn Romualdus, 19, 21.
Soterichus Panteugenus, 397.
Sozomenus, historicus, 57.
Spencer Ignatius, 29.
Spiridon, archimandrita, 572.
Stachys, 74.
Stanevitch, 599.
Starovieri, 571, 572.
Stephanov I., 634, 635.
Stephanovitch, 558.
Stephanus, papa, 378.
Stephanus V, papa, 115, 118, 144, 151.
Stephanus Permensis, 554.
Strigolniki, 554.
Studinski, 559, 561.
Sturdza Alexander, 388, 604.
Stylianus Neo-cæsariensis, 115, 118.
Suchkov, 625.
Sukhanov Arsenius, 570, 571.
Sungras S. P., 543, 660.
Suvorov N., 279, 380, 389, 390, 618, 668.
Svietlov P., 611, 616, 617, 627, 643, 669, 673.
Swete B., 425.
Sylvester Malevanskii, 614, 634, 636, 643, 664, 669, 673, 680 681.

Symeon : Vide Simeon.
Syrigus Meletius, 508, 514, 515, 516, 517, 564, 584, 643, 655, 673.

T

Tanquerey, 28, 37.
Tantalides Elias, 540.
Tarasius (S.), patriarcha Constantinopolis, 113, 139, 162, 163, 164, 165, 216, 420, 668.
Tarnavskii Theodorus, 640.
Tartarskii I., 573.
Tchadaiev Petrus, 610.
Tcheltsov, 553.
Tcherniaev P., 635.
Tcherviakovskii P., 587, 593.
Tchistovitch, 547, 587.
Technopulus, 670.
Terentiev, 625.
Ternovskii Petrus, 608.
Terrien J.-B., 41.
Tertullianus, 154.
Thalassius, Cæsareæ metropolita, 56.
Theiner A., 421.
Theodatus, rex Gothorum, 136.
Theodoretus Cyrensis, 53, 154, 155, 156, 217, 399, 400, 527.
Theodoretus, monachus, 530.
Theodoricus, rex Gothorum, 136.
Theodorovitch C., 637.
Theodorus Cantuariensis, 178.
Theodorus Cariensis, 151.
Theodorus Graptus (S.), 177, 377.
Theodorus I Lascaris, imperator, 404.
Theodorus II Lascaris (Dukas), 417, 422, 425.
Theodorus Mopsuestenus, 217.
Theodorus Rhaituensis, 420.
Theodorus Santabarenus, 140, 141.
Theodorus Scutariota, 413.
Theodorus Studita (S.), 101, 111, 114, 115, 391, 420, 543, 656.
Theodorus, patriarcha Syrorum, 412.
Theodosius I, Antiochenus, 59.
Theodosius II, Antiochenus, 236, 240.
Theodosius III, Antiochenus, 278.
Theodosius Græcus, 551, 553.
Theodosius Magnus, imperator, 87.
Theodosius II, imperator, 70, 71, 89, 90.
Theodosius, patriarcha Hierosolymitanus, 240.
Theodulphus Aurelianensis, 169, 170.
Theognostus Alexandrinus, 218.
Theognostus, monachus, 116, 137.
Theoleptus Philadelphiensis, 430, 441.
Theophanes Graptus (S.), 177, 377.
Theophanes Kerameus, 414, 415.
Theophanes (historicus, continuatus), 691.
Theophanes Nicænus, 396, 444, 445.
Theophano, imperatrix, 165.
Theophilus, patriarcha Alexandrinus, 149, 216, 668.
Theophilus, imperator, 70.
Theophylactus, Bulgariæ archiepiscopus : Ejus doctrina de primatu Petri : 285, 286. Ejus doctrina de processione Spiritus Sancti : 303-310. Ejus doctrina de azymis : 318, 319, 320, 325-327. Ejus sententia de discrepantiis inter utramque Ecclesiam : 348-351, 356, 369, 370, 414, 420, 657.
Theorianus, 397, 412, 657.
Theotocas, 536.
Theotokis Nicephorus, 529, 659.
Thiel A., 88.
Thomas Aquinas (S.), 17, 23, 37, 42, 160, 197, 201, 206, 209, 357, 379, 399, 427, 443, 447, 448, 451, 452, 453, 460, 468, 472, 476, 478, 479, 480, 585, 589.
Thomas, patriarcha Hierosolymitanus, 167, 168, 169, 177, 377.

Thomas, Tyri episcopus, 233.
Thomassinus, 73.
Thomof S., 634.
Tikhon Sokolov Zadonskii, 600.
Tikhonravov, 495, 564.
Tilloy A., 30.
Timotheus Ælurus, 140.
Timotheus Alexandrinus, 82, 668.
Timus Gerasimus, 638.
Titov I., 615.
Titov Th., 613.
Trankvillion Cyrillus, 566.
Troitskii I., 514.
Tromba G., 453.
Trubeskoi Eugenius, 388.
Truskovskii I., 622, 650.
Tsamblakus Gregorius, 635.
Tsankov, 635.
Tsarevskii A., 615.
Tsatses Anthimus, 541.
Tsiarnutskii Christophorus, 585.
Tsvietaev, 518, 625.
Tunitskii N.-J., 632.
Turgueniev A.-J., 608.
Turner H., 88.
Typaldus Meletius, 531.
Tzonef, 635.

## U

Uchakov, 577.
Urbanus V, papa, 477.
Uspènskii E., 622.
Uspenskii Th., 473.

## V

Vailhé Simeon, 59, 74, 76, 177, 404, 416.
Valens, imperator, 70.
Valentiniamus III, imperator, 57.
Vallianus Th., 544, 545, 604.
Vamvas Neophytus, 538, 539.
Vassiliev Vassilievitch, 623.
Veccus Joannes, patriarcha Constantinopolis, 175, 191, 198, 212, 220, 253, 411, 418-421, 422, 423, 427, 430, 448.
Vecelinovitch C., 636.
Vendotis Georgius, 595.
Vengherov S. A., 546.
Verkhovskii, 624.
Veteres Catholici, 609, 611, 626, 627.
Vichenskii Joannes, 561.
Vichnevskii Gedeon, 581.
Vichnevskii D., 586.
Vick Karadgitch, 636.
Victor II, papa, 276.
Vigilius, papa, 69, 135, 217, 282.
Vigilius Tapsensis, 170.
Vincentius Lirinensis, 673.
Vinogradov Augustinus, 600.
Vitalianus, papa, 178.
Vitalius, episcopus, 148.
Vlastus Callistus, 380, 387.
Voel et Justel, 446, 664.
Volkhovskii A. M., 592, 593.
Volotskii Josephus, 556, 557.
Voltsianskii Josephus, 585.
Vostokov Abdias : Vide Martynovskii Anatolius.

## W

Walafridus Strabo, 174.
Walpertus Aquileiensis, 149, 189, 190.
Weissenborn, 671, 680.
Will C., 267, 319.
Willelmus, abbas, 352, 353.

## X

Xanthopullus Th., 511.
Xystus III, papa, 91.

## Y

Yanychev I.-Leontievitch, 611, 627, 673.
Yvo Carnotensis, 144.

## Z

Zacharias Ananiensis, 143, 144, 232.
Zacharias, Armenorum patriarcha, 128, 129, 184, 196, 198, 205.
Zacharias Chalcedonensis, 139, 239, 240.
Zacharias (S.), papa, 217, 252.
Zarin S., 617.
Zavinevitch B., 563, 626.
Zaviras G.-I., 492.
Zeno, imperator, 68, 70.
Zernikavius Adamus, 510, 527 577, 578, 604.
Zigavinus, 541.
Zigomalas Joannes, 498.
Zigomalas Theodosius, 498.
Zikos Rhosis, 534, 643, 660, 678.
Zinovius, monachus, 557.
Zizanii Laurentius (Tustanovskii), 566.
Zizanii Stephanus (Tustanovskii), 560.
Zlatarski M.-V., 129.
Znamenskii P., 547.
Zographskii Meletius, 634.
Zolotas E.-J., 542.
Zonaras Joannes, 409, 410, 655.

II

# INDEX RERUM ANALYTICUS

*Introductio*..... 7
Operis opportunitas..... 8
Operis indoles ac scopus..... 9
Nostri antecessores..... 11
Operis partitio..... 13

PRIMA QUÆSTIO PRÆVIA

*De communibus appellationibus, quibus Ecclesiæ separatæ Orientis earumque fideles designantur.*

I. — Schismatis notio et species..... 16
II. — Hæreseos definitio et species..... 17
III. — Significatio appositi : « Dissidens »..... 19
IV. — Significatio appositi : « Separatus »..... 20
V. — Prima conclusio : De appellationibus usurpandis in designandis Ecclesiis..... 21
VI. — Secunda conclusio : De appellationibus a quibus abstinendum est in designandis fidelibus Ecclesiarum dissidentium..... 23
VII. — Tertia conclusio : Appellationes commendandæ. 24
VIII. — De appositis : « heterodoxus », « orthodoxus »..... 26

*Adnotationes ad primam quæstionem*

I. — De mente Vladimiri Soloviev circa separationem Russiæ ab Ecclesia catholica..... 27
II. — De existentiâ bonæ fidei apud dissidentes quoad cognitionem veræ Ecclesiæ..... 28

SECUNDA QUÆSTIO PRÆVIA

*De habitudine Orientalium dissidentium ad Ecclesiam catholicam.*

I — Prænotamina..... 32
II. — Prima conclusio de Ecclesiis separatis..... 36
III. — Secunda conclusio de hæreticis et schismaticis formalibus..... 37
IV. — Tertia conclusio de dissidentibus bona fide errantibus..... 38
V — Corollaria..... 39

*Adnotationes ad secundam quæstionem.*

I. — De membris occultis et ignotis veræ Ecclesiæ.. 40
II. — De arte adducendi dissidentes ad agnoscendam. Matrem Ecclesiam..... 42

## PROLEGOMENA AD THEOLOGIAM DOGMATICAM GRÆCO-RUSSORUM

Divisio..... 45

### TRACTATUS PRIMUS

**De origine theologiæ græco-russicæ seu de schismate byzantino.**

Divisio..... 47

### *CAPUT PRIMUM*

*De præparatione schismatis byzantini seu de ejus causis remotis.*

Divisio..... 48

ARTICULUS I

*De occasione remota schismatis byzantini*..... 48

ARTICULUS II

*De principio originali schismatis byzantini*..... 50
Thesis..... 50
I. — Sensus canonis XXVIII Chalcedonensis a Patribus concilii intentus..... 51
II. — De canonis XXVIII Chalcedonensis ecclesiastico valore necnon de ejus apud Byzantinos auctoritate, ante Photium..... 55
III. — Canonis XXVIII Chalcedonensis sensus obvius..... 62

ARTICULUS III

*De præparatione schismatis. Causæ directe impellentes.* 66
I. — De cæsaropapismo..... 66
II. — De ambitione præsulum Novæ Romæ..... 70
III. — De patria superbia Byzantinorum necnon de mutua Græcos inter et Latinos aversione..... 77

ARTICULUS IV

*De causis materialibus byzantini schismatis*..... 78
I. — De differentia in ritibus..... 79

II. — De differentia in usibus ac disciplina canonica.... 81
III. — De differentia in modo concipiendi ac tractandi veritates fidei..... 85

ADNOTATIONES AD CAPUT PRIMUM

I. — Romani Pontifices contra canonem III Constantinopolitanum et canonem XXVIII Chalcedonensem. 86
II. — Cæsaropapismus verbis ac factis a clero byzantino approbatus..... 100

## *CAPUT SECUNDUM*

*De inchoatione byzantini schismatis sub Photio*

Prænotamina ..... 101

ARTICULUS I

*De ratione, numero atque origine criminationum photianarum contra Occidentales*..... 104

ARTICULUS II

*De primatu beati Petri apostoli apud Byzantinos sæculi IX, præter Photium*..... 110

ARTICULUS III

*De romanæ Sedis primatu apud eosdem Byzantinos*..... 113

ARTICULUS IV

*De beati Petri necnon de romanæ Sedis primatu juxta Photii dicta et facta*..... 119
I. — De B. Petri primatu secundum Photii doctrinam. 119
II. — De Photio catholice sentiente circa primatum romanæ Sedis..... 124
III. — De Photio schismatico..... 128
IV. — De Photii ultima agendi ratione erga romanum Pontificem ..... 140

ARTICULUS V

*De controversiis inter Græcos et Latinos circa processionem Spiritus Sancti sæculo IX prioribus* ..... 154
I. — De controversia inter S. Cyrillum Alexandrinum et Theodoretum Cyrensem..... 154
II. — Rustici diaconi sententia. Sancti Augustini explicatio quædam magni momenti..... 156
III. — Monothelitarum impetus contra Romanos..... 158

IV. — De controversia in synodo Genethliacensi, anno 767, orta ..... 161
V. — Carolus Magnus contra Græcos ..... 162

ARTICULUS VI

*De controversia initio sæculi IX, Leone papa III sedente, exorta. De mente S. Leonis papæ III circa processionem Spiritus Sancti* ..... 167

ARTICULUS VII

*Theologiæ photianæ de processione Spiritus Sancti expositio ac discussio* ..... 179
Prænotamina ..... 179
I. — Brevis historia disputationis photianæ de processione Spiritus Sancti contra Occidentales ..... 184
II. — Photianorum argumentorum ex ratione theologica petitorum expositio ac discussio ..... 192
1. Primum axioma ..... 193
2. Secundum axioma ..... 195
3. Tertium axioma ..... 196
4. Quartum axioma ..... 199
5. Quintum axioma ..... 200
6. Sextum axioma ..... 201
7. Septimum axioma ..... 203
III. — Argumenta photiana ex Sacra Scriptura petita. 205
1. Argumenta positiva ..... 205
2. Argumenta negativa seu polemica ..... 207
IV. — Argumenta photiana ex Traditione desumpta. 215
1. Argumenta positiva ..... 216
2. Argumenta negativa ..... 217

ARTICULUS VIII

*De cæteris Photii criminationibus contra Occidentales* ..... 223

ADNOTATIONES AD CAPUT SECUNDUM

I. — De primatu romanæ Ecclesiæ in versione vetero-slavica Nomocanonis a sancto Methodio facta ..... 224
II. — De primatu romanæ Sedis ex Actis synodi photianæ in templo Sanctæ Sophiæ anno 879-880 habitæ ..... 229
1. De iis quæ in Actis synodi primatui romanæ Sedis favent ..... 229

2. De iis quæ in synodo photiana in romanæ Sedis detrimentum ac irrisionem cedunt..... 238
III. — De tempore quo Ecclesia romana additionem vocis « Filioque » ad Symbolum receperit..... 245
IV. — De epistola spuria Joannis papæ VIII ad Photium circa additionem vocis « Filioque » ad Symbolum..... 247
1. Textus græcus..... 248
2. Versio latina..... 249
3. Argumenta interna contra authenticitatem..... 251
4. Argumenta externa..... 253
5. Hujus epistolæ origo probabilis..... 255
V. — Joannes Scotus Erigena et Photius de processione Spiritus Sancti..... 256

## *CAPUT TERTIUM*

### *De Byzantini schismatis consummatione sub Michaele Cærulario.*

ARTICULUS I

*De societate inter utramque Ecclesiam a Photio iterum deposito usque ad Michaelis Cærularii impetum contra Latinos...* 264

ARTICULUS II

*Michael Cærularius et cardinalis Humbertus*..... 268
I. — Michael Cærularius contra Latinos..... 268
II. — Legatorum romanorum cum Michaele agendi modus..... 272
III. — Cærularii edictum synodale. Ejus schismatici conatus tristisque exitus..... 276

ARTICULUS III

*De primatu Petri apostoli et romani Pontificis apud Byzantinos sæcul. X-XI*..... 279

ARTICULUS IV

*De doctrina processionis Spiritus Sancti apud Byzantinos sæcul. X-XI*..... 286
I. — Leo Sapiens imperator..... 287
II. — Nicetas philosophus..... 290
III. — Euthymius patriarcha..... 297
IV. — Sisinnius et Sergius patriarchæ..... 298
V. — Michael Cærularius..... 298
VI. — Nicetas Pectoratus..... 300

VII. — Petrus Antiochenus ..... 301
VIII. — Michael Psellus ..... 303
IX. — Theophylactus ..... 303
X. — Conclusio ..... 310

ARTICULUS V

*De contentione adversus usum panis azymi in Ecclesia latina*

I. — Usus Latinorum antiquitas ..... 311
II. — Utrum Michael Cærularius et polemistæ Græci sæculi XI validitatem consecrationis in pane azymo negaverint ..... 314
III. — Præcipua argumenta Græcorum contra azymum ac pro fermentato, Latinorumque ad hæc responsiones ..... 319
1. Azymus non est panis veri nominis ..... 320
Latinorum responsio ..... 327
2. Azymus est res mortua et inanima ..... 330
Responsio Humberti ..... 333
3. Azymus est res judaica ..... 339
Responsio Latinorum ..... 340

ARTICULUS VI

*De cæteris criminationibus Græcorum* ..... 344
I. — Theologorum Cærularianorum sententia ..... 344
II. — Græcorum cordatiorum sententia ..... 347

ADNOTATIONES AD CAPUT TERTIUM

I. — De legatione Eustathii patriarchæ ad Joannem papam XIX (1024) ..... 351
II. — Sanctus Petrus Damianus et sanctus Anselmus de procesione Spiritus Sancti contra Græcos ... 354
III. — De opusculo contra Francos ..... 367

## *CAPUT QUARTUM*

*De causis byzantini schismatis secundum dicta historicorum et theologorum Ecclesiæ græco russicæ.*

ARTICULUS I

*Quomodo originem schismatis narrabant atque explicabant Græco-Russi a sæculo XII usque ad sæculum XVI* ..... 374

ARTICULUS II

*De causis separationis juxta theologos græco-russos a sæculo XVI ad sæculum XIX* ..... 380

ARTICULUS III

*De origine atque causis schismatis juxta historicos et theologos nostri ævi* ..... 383

## TRACTATUS SECUNDUS

**Brevis historia theologiæ graeco-russicæ a Michaele Cærulario ad nostra tempora.**

Prænotamina ..... 392

### SECTIO PRIMA

*Historiæ theologiæ græco-russicæ epocha byzantina.*

Divisio ..... 393

### *CAPUT PRIMUM*

*De theologiæ byzantinæ indole ac fontibus.*

ARTICULUS I

*De theologiæ byzantinæ notis* ..... 395
I. — Est positiva magis quam speculativa ..... 395
II. — Polemica plerumque ..... 396
III. — Gentica seu nationalis ..... 399
IV. — Influxui politico obnoxia ..... 399
V. — Cohaerenti synthesi carens ..... 399

ARTICULUS II

*De theologiæ byzantinæ fontibus seu locis* ..... 400

### *CAPUT SECUNDUM*

*Theologiæ byzantinæ prima periodus (1054-1220).*

ARTICULUS I

*De tentaminibus unionis per decursum primæ periodi* ..... 402

ARTICULUS II

*De præcipuis theologis qui inde a sæculo XI exeunte usque ad sæculi XIII initium floruerunt* ..... 404
I. — Euthymius Zigabenus ..... 404
II. — Joannes Phurnesius ..... 405
III. — Eustratius Nicænus et Nicetas Seides ..... 406
IV. — Symeon et Joannes Hierosolymitani. Joannes Antiochenus ..... 406

V. — Nicolaus Methonensis..... 408
VI. — Joannes Zonaras et Theodorus Balsamon..... 409
VII. — Nicolaus Hydruntinus..... 410
VIII. — Andronicus Camaterus..... 410
IX. — Nicetas Maronensis..... 411
X. — Theorianus..... 412
XI. — Nicetas Akominatus..... 412
XII. — Michael Cylykas..... 413
XIII. — Hujus periodi oratores præcipui..... 414

## *CAPUT TERTIUM*

*Theologiæ byzantinæ secunda periodus* (***1220-1453***).

Prænotamina..... 416

### ARTICULUS I

*Præcipui theologi qui ab anno 1220 usque ad annum 1340 vixerunt.*

A. — Theologi Latinophrones..... 417
I. — Nicephorus Blemmyda..... 417
II. — Joannes Veccus..... 418
III. — Constantinus Melitiniota..... 421
IV. — Georgius Metochita..... 422
V. — Georgius Acropolita..... 422
VI. — Georgius Pachymeres..... 423
B. — Theologi photiani..... 423
I. — Germanus II patriarcha..... 423
II. — Theodorus II Lascaris imperator..... 425
III. — Unionis Lugdunensis adversarii præcipui..... 426
IV. — Maximus Planudes..... 427
V. — Alii, minoris notæ..... 428
C. — Georgius Cyprius..... 429

### ARTICULUS II

*Controversia hesychastica seu palamitica. Palamismi præcipui fautores.*

Prænotamina..... 431
I. — Gregorius Sinaita..... 434
II. — Gregorius Palamas..... 436
III. — Nilus Cabasilas..... 442
IV. — Nicolaus Cabasilas..... 443
V. — Theophanes Nicænus..... 444
VI. — Joannes et Mattheus Cantacuzeni..... 445
VII. — Nilus Rhodiensis..... 446
VIII. — Matheus Angelus Panaretus..... 446

IX. — Patriarchæ Constantinopolitani Palamitæ.... 448
X. — Nilus Damylas..... 450
XI. — Nicephorus Callistus Xanthopullus..... 450
XII. — Matthaeus Blastares..... 450
XIII. — Josephus Bryennius..... 451
XIV. — Demetrius Chrysoloras..... 453
XV. — Manuel Paleologus imperator..... 453
XVI. — Symeon Thessalonicensis..... 454
XVII. — Macarius Ancyranus..... 455
XVIII. — Marcus Eugenicus Ephesius..... 455
XIX. — Joannes Eugenicus..... 458
XX. — Georgius Scholarius..... 459
XXI. — Theodorus Agallianus..... 468
XXII. — Georgius Gemistus Pletho..... 469

ARTICULUS III

*Theologi Antipalamitæ et Latinophrones*

I. — Barlaamus Colaber..... 470
II. — Gregorius Acindynus..... 473
III. — Nicephorus Gregoras..... 474
IV. — Joannes Calecas..... 475
V. — Demetrius Cydonius..... 476
VI. — Prochorus Cydonius..... 480
VII. — Joannes Cyparissiota..... 481
VIII. — Constantinus Harmenopulus..... 482
IX. — Manuel Calecas..... 482
X. — Bessarion..... 483
XI. — Josephus Methonensis..... 486
XII. — Gregorius Mammas..... 487
XIII. — Maximus Chrysoverga et Esaias Cyprius..... 488
XIV. — Georgius Trapezuntius..... 488
XV. — Joannes Argyropulus..... 489

NOTA

*De oratoribus hujus secundæ periodi*..... 490

SECTIO SECUNDA

*Historiæ theologiæ græco-russicæ epocha moderna.*

Divisio..... 491

*CAPUT PRIMUM*

*Theologiæ græcæ prima periodus (1500-1612).*

I. — Manuel Corinthius..... 493

II. — Maximus Haghiorita..... 494
III. — Pachomius Rhusanus..... 495
IV. — Damascenus Studita..... 496
IV. — Manuel Malaxus..... 496
VI. — Jeremias II, patriarcha Constantinopolis..... 497
VII. — Meletius Pigas..... 499
VIII. — Maximus Margunius..... 500
IX. — Gabriel Severus..... 501
X. — Maximus Peloponnesius..... 502

## *CAPUT SECUNDUM*

*Theologiæ græcæ secunda periodus (1612-1723).*

Divisio..... 504

### ARTICULUS I

*De theologis protestantismi fautoribus*

I. — Cyrillus Lucaris. Ejus fidei confessio ab Ecclesia græca damnata..... 505
1. Confessionis Cyrilli Lucaris analysis..... 506
2. Cyrillianæ confessionis damnatio..... 508
3. — Confessionis Petri Moghilæ brevis analysis... 509
4. — Synodus hierosolymitana. Dosithei confessio. 509
II. — Theophilus Corydalleus..... 510
III. — Zacharias Gerganus..... 510
IV. — Joannes Caryophyllus et Maximus Callipolita... 511
V. — Metrophanes Critopulus..... 511

### ARTICULUS II

*De præcipuis polemistis hujus periodi.*

I. — Georgius Coressius..... 513
II. — Meletius Syrigus..... 514
III. — Paisius Ligarides..... 515
IV. — Nectarius Hierosolymitanus..... 515
V. — Dositheus Hierosolymitanus..... 516
VI. — Fratres Lichudes, Joannicius et Sophronius.... 517
VII. — Sevastus Kymenites..... 519
VIII. — Elias Meniates..... 519
IX. — Nicolaus Kerameus..... 520

### ARTICULUS III

*Theologi irenici et ascetici.*

I. — Agapius Landus..... 520
II. — Nicolaus Bulgaris..... 521

III. — Nicolaus Kursulas..... 521
IV. — Gregorius Chiensis..... 522

ARTICULUS IV

*Collegii Sancti Athanasii alumni.*

I. — Joannes Matthæus Caryophyllus..... 522
II. — Petrus Arcudius..... 522
III. — Leo Allatius..... 523
IV. — Neophytus Rhodinus..... 523
V. — Demetrius Pepanus..... 524
VI. — Andreas Rhentius..... 524

## *CAPUT TERTIUM*

*Theologiæ græcæ tertia periodus (1723-1833).*

Divisio..... 525

ARTICULUS I

*Compendiorum auctores.*

I. — Vincentius Damodus..... 526
II. — Antonius Moschopulus..... 526
III. — Eugenius Bulgaris..... 526
IV. — Athanasius Pariensis..... 527
V. — Joannes Kontones..... 527
VI. — Theophilus Papaphilus..... 527

ARTICULUS II

*Polemistæ.*

I. — Diamantis Rhysius..... 528
II. — Eustratius Argentis..... 528
III. — Christophorus Etolus..... 528

ARTICULUS III

*Oratores.*

I. — Macarius Patmiensis..... 529
II. — Nicephorus Theotokis..... 529
III. — Alii tres..... 529

ARTICULUS IV

*Polygraphi.*

I. — Cæsarius Dapontes..... 530
II. — Nicodemus Haghiorita..... 530

ARTICULUS V

*Theologi græci uniti.*

I. — Aloysius Andrutzis..... 531
II. — Meletius Typaldus..... 531
III. — Nicolaus Comnenus Papadopuli..... 531

*CAPUT QUARTUM*

*Theologiæ græcæ quarta periodus (1833-1923).*

Divisio..... 533
I. — Compendiorum et dissertationum auctores..... 534
II. — Polemistæ..... 537
III. — De oratoribus, exegetis et catechismorum auctoribus..... 541
IV. — Documentorum theologicorum editores..... 543
V. — Russicorum operum versiones..... 544
VI. — De foliis theologicis periodicis apud Græcos..... 545

SECTIO TERTIA

*Historia theologiæ russicæ proprie dictæ.*

Divisio..... 546

*CAPUT PRIMUM*

*Theologiæ russicæ prima periodus : a principio usque ad annum 1700.*

Prænotamina..... 548

ARTICULUS I

*De theologia russica ab incunabulis usque ad constitutionem patriarchatus Mosquensis*..... 550

ARTICULUS II

*De theologis Russiæ meridionalis qui sæculo XVII fuerunt.* 558

ARTICULUS III

*De theologis qui in Russia septentrionali sæculo XVII floruerunt*..... 569

*CAPUT SECUNDUM*

*Theologiæ russicæ secunda periodus (1700-1836).*

Prænotamina..... 579

ARTICULUS I

*Theologi traditionis studiosi et novitatum adversarii*..... 583

ARTICULUS II

*Theophanes Procopovitch ejusque discipuli*..... 587

ARTICULUS III

*De exegetis et oratoribus*..... 598

ARTICULUS IV

*De polemistis*..... 601

*CAPUT TERTIUM*

*Theologia russicæ tertia periodus (1836-1917).*

Prænotamina ..... 605

ARTICULUS I

*De præcipuis compendiis theologiæ dogmaticæ necnon de quibusdam aliis operibus theologiam dogmaticam illustrantibus*..... 612

ARTICULUS II

*De polemistis*..... 618

ARTICULUS III

*De commentariis theologicis*..... 628

ADNOTATIO AD SECTIONEM TERTIAM

*De theologia dogmatica apud Bulgaros, Serbos et Rumenos dissidentes*..... 632

1. Theologia Bulgarorum..... 632
2. Theologia Serborum..... 635
3. Theologia Rumenorum..... 638

TRACTATUS TERTIUS

**De Fontibus theologiæ Græco-Russicæ.**

*CAPUT PRIMUM*

*De duplici fonte Revelationis divinæ juxta doctrinam Ecclesiæ græco-russicæ.*

PRIMA PROPOSITIO

Existentia duplicis fontis Revelationis hodie communissime admissa..... 642

SECUNDA PROPOSITIO

Doctrina de unico fonte Revelationis per sæculum integrum in Ecclesia russica recepta. Hujus doctrinæ vestigia apud hodiernos theologos ..... 644

*CAPUT SECUNDUM*

*De Canone Sacrarum Scripturarum.*

Prænotamina ..... 653

PRIMA PROPOSITIO

A Photio usque ad sæculum XVIII, inspiratio librorum deuterocanonicorum Veteris Testamenti communiter a theologis græco-russis admittitur ..... 654

SECUNDA PROPOSITIO

Inde a sæculo XVIII, Ecclesia russica inspirationem librorum deuterocanonicorum Veteris Testamenti aperte rejicit ..... 657

TERTIA PROPOSITIO

Ab eodem tempore, sub Russorum influxu, theologi græci non pauci eorumdem librorum inspirationem negant vel in dubium ponunt ..... 659

*CAPUT TERTIUM*

*De instrumentis seu fontibus traditionis divinæ juxta theologos græco-russos.*

Divisio ..... 662

ARTICULUS I

*De instrumentis seu fontibus œcumenicis* ..... 663
I. — De numero conciliorum œcumenicorum ..... 663
II. — De conciliis particularibus necnon de aliis documentis ab œcumenicis synodis solenniter approbatis. 666
III. — De fidei symbolis œcumenicis ..... 669

ARTICULUS II

*De libris symbolicis eorumque auctoritate* ..... 671
I. — De fidei confessionibus sæculi XVII ..... 671
II. — De auctoritate catechismi Philareti ..... 679
III. — De Jeremiæ II responsionibus ad Tubingenses .... 680
IV. — De confessione fidei Metrophanis Critopuli ..... 680
V. — De confessione fidei Gennadii ..... 680

ARTICULUS III

De libris symbolicis particularibus..... 681
Nota ad tractatum tertium..... 682

*APPENDIX*

De Photii cultu in Ecclesia græco-russica..... 683

Index nominum alphabeticus..... 693
Index rerum analyticus..... 713

1926. — Imp. Letouzey et Ané, 87, Boulevard Raspail, Paris-VI.
R. C. Seine 218.260 B

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX320.J8 C001 V001
THEOLOGIA DOGMATICA CHRISTIANORUM ORIENT
3 0311 00038 7014
17337

BX 320 .J8 17337 VOL.1.
AUTHOR Jugie, Martin.
TITLE THEOLOGIA DOGMATICA CHRISTIANORUM ORIENTALIUM.
c.1
DATE DUE | BORROWER'S NAME


3 0311 00038 7014